Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XIV. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXVII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

QH
7
C66.
V. 14
SCNHRB

I.

Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences, Année MDCCLXI. Avec les Mémoires de Mathematique et de Phyſique, tirés des Regiſtres de cette Academie. A Paris, de l' Imprimerie Royale. MDCCLXIII. 4. Hiſt. 1 Alph. 1 pl. Comment. 2 Alph. 17 pl. tab. aen. 13.

h. e.

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum, vna cum commentariis, ad annum MDCCLXI.

Poſtquam nuperrime illuſtris Academiae commentarios ad annum MDCCLIX recenſuimus, ſequi debebat Actorum anni LX enarratio. Verum quia Academia nondum ea publicauit, non putauimus differendam nobis eſſe commentationum, ſequentibus annis ſcriptarum, quas iam in lucem emiſit, recenſionem. Itaque de volumine, quod hiſtoriam et ſcripta Academiae ad annum LX continebit, quam primum id euulgatum erit, dicturi, referemus nunc ad lectorem de eo, quod iam in manibus habemus.

Ex Hiſtoria enotabimus primum *obſeruationes ad phyſicam generalem ſpectantes.*

p. 24. 1. Cl. GUETTARDI ſententia, oſteocollam formari depoſitione particularum ab aquis aduectarum ad radices arborum, confirmata eſt obſeruatione Cl. DU TOUR, qui animaduertit in fundo canalis, quo aqua ſuperflua ex horto quodam deriuabatur, natam magnam oſteocollae copiam, in qua erant tenuiſſimae vlmi radices exſiccatae, quae facile inde extrahi poterant. Aqua autem illa venit a ſcaturigine, quae incruſtationes lapideas praebet.

2. Deſcribitur aurora borealis d. 28 Febr. 1761. Tirnauiae in Hungaria obſeruata.

p. 26. 3. Perticae ligneae, quae ſimul ſumtae 42 pedibus accurate factae erant aequales, vbi poſt aliquot annos rurſus exactiſſime menſuratae, octaua pollicis parte longiores ſunt deprehenſae. Cuius extenſionis cauſſam Cl. LE MONNIER, quum eam calori attribui non poſſe intellexerit, fuiſſe ſuspicatur paululum humiditatis, in ligno reſiduae, quae, quum per ſuperficiem ligni, quippe oleoſo pigmento circumlitam, penetrare non potuerit, per extremitates perticarum iuxta fibrarum ligni directionem euaſerit, easque ſimul in longum parumper extenderit.

p. 27. 4. Foſſor, 30 annos natus, in loco quodam fodinae lithanthracum inter materiem ruinarum, quas ea ab aquis ex improuiſo irruentibus fecerat, incluſus, per nouem dies ſine omni nutrimento vixit, praeterquam quod ter de illis aquis bibit, licet ſaepius clamore adeo ſe defatigaſſet, vt in ſomnum profundum incidiſſet. Extractus ex carcere ſuo, aerem quidem liberum ſine incommodo tulit, ſed ſomni per ſex dies expers manſit, nec niſi poſt viginti dies debita diaeta recuperauit ſat virium, vt poſſet domum redire, leucae quadrante diſtantem.

p. 29. 5. Meteorum igneum d. 12 Nouembr. anni 1761. paullo poſt horam quartam matutinam Fran-

DSI

copoli in Agro Belloiouienſi, Diuione in Ducatu Burgundiae, Lutetiae Pariſiorum, et Hameti in Picardia ſimul viſum eſt aerem traiicere, forma globi ingentis, vel dolii dimidiati, cum longa cauda ignea. Crepuit hic globus prope Diuionem cum fragore ingenti, qui aedificia quaſſauit; et innumerae ex eo flammulae deciderunt, quibus tamen nihil eſt incenſum.

6. A Rev. BACHELEY, Sacerdote Dioeceſis p. 30.
Lexouienſis, Academia dono accepit collectionem foſſilium, quae olim corpora marina fuerunt. Adſpectus docet, ea fuiſſe primum terra quadam margacea inuoluta, quae deinceps in ſilicem abierit. Fecit hanc collectionem Vir Rev. ſummo ſtudio ad confirmandam ſuam hypotheſin, ſilices omnes naſci ex terra margacea per acidum quoddam, quod in hiſce foſſilibus a corporibus marinis ſuppeditatum eſſe putauit.

7. Oblata etiam eſt Academiae copia lignorum p. 31.
petrefactorum, haut procul a Medunta ad Sequanam effoſſorum.

8. Et Cl. DE LA CONDAMINE illi monſtrauit Amiantum albiſſimum, in montibus Tarentaſiae repertum.

Obſeruationes anatomicae hic leguntur ſequentes.

1. Quum mulieri fulmine in colli parte poſtica p. 53.
tactae vena poſt horam ſecabatur, proſiluit ſanguis ad dimidium pedis, ſed mox ceſſauit fluere, poſtquam circiter vncia vna effluxerat.

2. Virgo, 23 annos nata, ſcorbuto erat tantopere afflicta, vt cancri exulcerati in labiis et ore, maculae violaceae, rubrae, fuſcae in cute, et exoſtoſes in tibia et vlna apparerent, et ſanguis e vena miſſus in pelliculam ſubnigram ſpiſſam, in ſero limpido natantem, abiret. Hanc, quum omnis gene-

p. 55. ris remedia fruſtra eſſent adhibita, eiusque morbus iam ad ſummum gradum perueniſſet, Cl. RAZOUT, Medicus Nemauſienſis, conſilium Cl. SAUVAGES ſecutus, perfecte curauit, ſolo vſus decocto *Solani ſcandentis*, ſeu *Dulcamarae*, quod remedium ille ab Ill. LINNAEO acceperat. Principio quidem peius inde ſe habere videbatur aegra, et poſt quatuordecim dies viſu adeo priuabatur, praegreſſis capitis et oculorum lancinantibus doloribus: ſed, continuato nihilo ſecius decocti huius vſu, poſt ſeptem dies coepit imminui omne morbi ſymptoma, et inde ab hoc tempore per duos menſes haut intermiſſo remedii huius vſu aegra perfecte conualuit. Interea nullum ab eo incommodum ſenſit, praeterquam quod ſemel, vbi illud in nimia doſi ſumſerat, ardorem ventriculi queſta eſt, quem nauſea et vomitus eſt ſecutus; verum, intermiſſo per 24 horas decocti vſu, ſponte ceſſauit hoc incommodum. Notatu etiam dignum eſt, remedium hoc ſuam virtutem exſerere ſine aliqua euacuatione per ſedes, aut per vrinam, aut per ſudorem, adeo vt dici poſſit malum tollere quaſi per exſtinctionem, virus ſcorbuticum in ipſa ſanguinis maſſa penitus deſtruendo. Haec virgo poſtea in febrem continuam ſimplicem incidit, quae breui et facile victa eſt remediis conſuetis; id quod certe non potuiſſet fieri, ſi paululum virus ſcorbutici in ſanguine fuiſſet relictum. Ratio autem propinandi hoc remedium haec fuit. De caule plantae recentis ſumtum eſt quantum pendit drachmam ſemis: id, demtis inde foliis, floribus, et fructibus, minutim conciſum, coctum eſt in aquae fontanae vnciis ſedecim ad dimidiae partis conſumtionem. Cum colatura miſta eſt aequa portio lactis bubuli, ſed cremore ſuo bene priuati; inde hauſtus vnus datus eſt omnibus quatuor horis. Doſis autem plantae paulatim vſque ad drachmas duas aucta eſt.

3. Mu-

3. Mulos etiam pituita contagioſa (*morve*), qui morbus vulgo creditur equis proprius, affici poſſe, exemplo probatur. p. 58.

4. In minori Balearidum inſularum mulier peperit monſtrum cyclopis facie. Fuit enim illi caput ingens, facies plana fere, cum vno tantum oculo magno, in medio ſub fronte poſito; alter oculus in ſumma fronte ſub parte quadam molli, ad inſtar cornu prominente, delituit. Caput capillis longis, et totum corpus pilis fuit obſitum.

5. Puella, quae cum omnibus ſignis externis pubertatis nata erat, quarto menſe exacto, coepit pati menſtrua; ceterum bona valetudine vtitur. p. 59.

6. Continuatur relatio de puella, quae quatuor annis ſine alimentis, praeter aquam frigidam, vixit *). Ab aeſtate anni 1755. quo coepit in menſtruis eſſe, vsque ad annum 1759. ſatis bene quidem valuit, niſi quod ſine grallis vix potuit incedere; ſed veris initio iterum tantos in pedibus dolores ſenſit, vt parentes eam ad fanum quoddam Virginis Deiparae, auxilii cauſſa, deducendi conſilium caperent. Neque ſine auxilio domum reuertit, quod maximam partem, vt ſapienter monet Hiſtoriographus Academiae, ipſis itineris huius moleſtiis tribuendum erat, quum fanum ſit in alto praeruptoque monte, per quem eam genibus nixam aſcendere ac deſcendere oportuerat. Verum etſi nunc pedibus poterat recte incedere, tamen haut tam perfecta fuit haec curatio, vt ſpei parentum omnino reſponderet. Nam ſub initium hiemis vacillauit rurſus puellae valetudo, pedes circa malleolos leuiter intumuerunt, menſtruorum et quantitas et qualitas minus recte ſe habuit, et ventriculus iterum omne nutrimentum, excepto pane et aqua, reiecit. Attamen temporis progreſſu haec incommoda ſine medicina, cuius per-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 388.

taeſi videbantur parentes, ſuperauit natura; et ſub finem anni 1761 puella valetudine vtebatur optima, quae plus quam annuo ſpatio haut interrupta fuerat.

p. 62. Ad *obſeruationes chemicas* progredimur.

1. Cl. HELLOT parauerat butyrum antimonii cum duplo mercurii ſublimati corroſiui. Cuius butyri, in aere liquefacti, drachmis ſeptem cum dimidia affudit octo vncias ſpiritus vini rectificati; ſic nactus eſt mixtum, quod poſt tres horas congelauit, et fere ſolidum euaſit. Exiguo calore idem liquatur.

2. Idem V. Cl. cum Academia communicauit arcanam vernicis compoſitionem, quo Angli argento et orichalco colorem auri inducere dudum ſciuerunt. Fit ex vnciis duabus gummi laccae, vnciis duabus ſuccini flaui, gr. 40 ſanguinis draconis in granis, drachma ſemis croci, quae omnia in vnciis 40 ſpiritus vini rectificati digeruntur vulgata ratione. Hunc vernicem metallo inaurando calefacto illinere oportet. Metallum ſic inauratum, vbi aliquid impuritatis contraxit, facile aqua tepida purgatur.

p. 64. 3. Quum Cl. CADET chemice inquiſiuit in naturam materiae, quae ab ardente Veſuuio defluit, inuenit, eam conſtare e ferro, paululo cupri, terra aluminoſa, et terra quadam alia vitrificabili, quae cum acido vitriolico vnita cryſtallos format filamentoſas. Vnde coniicere licet, in viſceribus montis magnam eſſe copiam pyritarum vitriolicorum et aluminoſorum, et multo ſulphure grauidorum; quo per ignis violentiam ſeparato, ferrum, cuprum, illaeque terrae colliquatae fuerint, et vitrum opacum formauerint ope quarzi, quod iſtis iunctum fuiſſe, quaedam veſtigia eius in materia a monte euomita docent. Quod quum ita ſit, cauſſa etiam inuenta eſſe videtur incendii montis: quum ex Hombergiano

no experimento conſtet, ferrum cum ſulphure commiſtum, ac parumper humectatum, ſub terra incendi.

Commentarii huius voluminis ſcripta continent vnum et quadraginta.

1. *Abb.* DE LA CAILLE *commentatio de lunae parallaxi.*

2. Cl. BERTIN *deſcriptio planorum muſculoſorum, quibus tunica carnoſa ventriculi in homine conſtat.* Auctor in hac tunica, quam antea Anatomici e duobus tantum planis fibrarum muſcularium compoſitam eſſe docuerant, tria eiusmodi plana obſeruauit ſemper in homine, ita vt inter interius duorum iſtorum planorum, quod circulares habet fibras, et tunicam neruoſam tertium dari videret, vndique fere expanſum, inde ab orificio ſiniſtro vsque ad curuaturam ventriculi minorem, quam aut nullatenus aut ex parte tantum inueſtit. Ceterum quia deſcriptio tunicae muſculoſae ventriculi, quam Auctor hoc loco propoſuit, non diſcrepat ab ea, quam Ill. HALLERUS iam in *Primis lineis Phyſiologiae* exhibuerat, vt metuenda Auctori videretur ſuſpicio, quaſi alienae inuentionis gloriam ſibi arrogare voluerit: monet, ſe iam anno 1746. quum de ventriculo equino Academiae praelegit commentationem, huius inuentionis fuiſſe compotem, eiusque rei teſtem eſſe poſſe Academiam, HALLERUM contra anno demum 1751. inuentum ſuum publicaſſe. Quorum illud quemadmodum et Cl. BERTIN, et teſtimonium eius rei perhibenti Academiae Hiſtoriographo (p. 32.) facile credimus: ita, vt ne in HALLERUM cadat ſuſpicio, quam ille a ſe amouere ſtuduit, aequitas exigit, vt viciſſim moneamus lectorem, *Primas lineas*

p. 58.

p. 63.

 phyſio-

phyſiologiae iam anno 1747. Gottingae primum fuiſſe editas, et in hac libri editione eandem ſtructurae ventriculi deſcriptionem, atque in altera anno 1751. facta, reperiri, volumen autem commentariorum Academiae Pariſinae, in quo BERTINI commentatio de ventriculo equino legitur, anno demum 1751. in lucem prodiiſſe.

3. *Obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum Solis d. 6. Iun. an. 1761. Agendici habita a Cardinale* DE LUYNES.

4. *Alia in Caſtello S. Huberti, praeſente Rege, habita a* Cl. LE MONNIER.

5. *Obſeruatio exitus Veneris e diſco Solis in Obſeruatorio regio habita a* Cl. MARALDI.

6. *Obſeruatio eiusdem tranſitus, ab Abb.* DE LA CAILLE.

7. *Alia a* Cl. DE LA LANDE.

8. *Alia habita in inſula oceani Indici, dicta Roderici inſula, a* Cl. PINGRE'.

9. Cl. LE MONNIER *annotationes ad praecedentem obſeruationem.*

10. Cl. DE LA LANDE *examen parallaxis Solis per minimam diſtantiam limborum Solis et Veneris, tam Lutetiae quam in inſula Roderici obſeruatam.*

11. *Ei. Annotationes ad* Cl. PINGRE' *obſeruationes in inſula Roderici ad parallaxin Solis ſpectantes.*

12. Cl. DE FOUCHY *obſeruatio tranſitus Veneris ſub Sole.*

13. Cl. LE MONNIER *continuatio annotationum ad obſeruationem* Cl. PINGRE'.

14. Cl. DE LA LANDE *annotationes ad computum tranſitus Veneris, Ephemeridibus,* Connoiſſance des Temps *inſcriptis, ad annum 1761. inſertum.*

15. *Eiusd. Annotationes ad obſeruationem huius tranſitus Tobolii habitam.*

16. *Eiusd. Annotationes ad obſeruationes eiusdem tranſitus, iuſſu Regis Daniae, inſtitutas Hafniae et Nidroſiae.*

17. Cl. TENON *commentatio de quibusdam vitiis viarum vrinalium et partium genitalium maſculini ſexus.* In duobus puerulis, quorum alter duos men- p. 116.
ſes, alter tres vixerat, pro veſica erat protuberantia membranacea, forma mori, extrinſecus conſpicua ſuper oſſe pubis, in qua terminabantur vreteres, et per cuius duo foramina guttatim effluebat vrina. Ibidem erat etiam vmbilicus poſitus. In altero horum infantum coles aderat, ſed monſtroſus et non perforatus; alter carebat cole, ſcroto, proſtatis, et veſiculis ſeminalibus, teſticulos vero habebat inter duas cutis plicas, quae vuluam aliquatenus referebant, poſitos. Parum abſimilem conformationem harum partium reperit etiam Cl. TENON in homine viuo, 37. annos nato. In omnibus his exemplis, monet, apparere hernias, ſed ſingulares. Nam tu- p. 119.
mor, ex quo vrina exſtillat, formatus eſt parte poſtica veſicae, quae nulli ſacco incluſa, nec tegumentis muſculisue tecta eſt, quin potius ipſa, vna cum adiacen-

adiacente peritonaei parte, pro ſacco eſt inteſtinis. Praeterea in homine illo adulto, de quo hic agitur, etiam haec obſeruauit commemoratu digna. Quum ieiunus eſt et quietus, ſpatio duorum minutorum horae ex vretere dextro ſex circiter guttae vrinae, e laeuo ſeptem exeunt; poſtquam autem ambulauit, aut alii corporis exercitio vacauit, ieiunus, plures guttae ex vtroque vretere ſpatio temporis breuiori exſtillant. Semihorio poſt hauſtum vini albi, maiores guttae et celerius effluxerunt (tardius tamen ſemper e dextro vretere quam ex ſiniſtro), et vbi ſecretio maxima fuit, praeſertim tuſſiente homine, radius dimidium pollicem longus proſiluit quinquies minuti horae ſpatio; atque elapſa vna hora cum dimidia, reddiderat per vreteres partim vrinam albam vel ſeroſam vix odoriferam, partim vrinam magis coloratam, cuius vtriusque vrinae quantitas tres quartas partes vini potati exaequauit. Vbi autem aquam biberat, neque tam cito vrinae fluxus, neque tanta vi acceleratus eſt. Certe nouas vrinae vias a ventriculo ad veſicam, quas WILLISIUS et MORINUS commenti ſunt, in hoc homine non dari, manifeſtum eſt. Ceterum barbatus eſt, ac robuſtus, et neutiquam effeminatus, neque vllatenus caſtratis ſimilis, pauci cibi ac potus, ſomni leuis, memoriae excellentis, ingenii acris; et omnibus ſenſibus valet, guſtu excepto, veneris autem ſenſu prorſus caret.

18. Cl. DE LA LANDE *commentatio de interpolationibus, ſeu de vſu differentiarum ſecundarum, tertiarum, cet. in computis aſtronomicis.*

19. *Abb.* DE LA CAILLE *excerpta ex obſeruationibus, quas olim* DE CHAZELLES *in Oriente habuit, vna cum notitia MSctorum huius Academici,*

demici, quae in Bibliotheca Academiae aſſeruantur.

20. Cl. MALOUIN *experimenta ſuper mucoſo morbo equorum,* la Morve *dicto, inſtituta.* Sectione plurium equorum, qui hoc morbo correpti erant, didicit V. Cl. in iis quidem, in quibus morbus recens fuerat, non niſi membranam pituitariam fuiſſe vitiatam, in aliis autem, qui diutius iſto morbo laborauerant, viſcera etiam thoracis et abdominis modo pauciora, modo plura, eſſe affecta, tuberculis et maculis albis, praeſertim in pulmonibus et hepate, apparentibus, ſub quibus erant exigui abſceſſus, pituitae talis, qualis per nares excreta fuerat, pleni. Hinc dubius redditus, ſitne hic morbus localis, an humorum, tres equos hoc morbo vehementer afflictos diuerſa methodo tractandos curauit; duos quidem perforandis ſinubus frontalibus, iniiciendoque liquore vulnerario in membranam pituitariam, glandulis ſublingualibus induratis et tumidis incidendis, internis quoque remediis et ſubinde purgantibus adhibendis, tertium autem, ſine extrinſecus adminiſtrata ope, ſolo eorundem internorum remediorum vſu, et purgationibus alui. Hic equus perfecte conualuiſſe viſus eſt, ceterorum autem curationem imperfectam fuiſſe, eorundem occiſorum diſſectio docuit. Vnde conſequens eſſe videbatur, hunc morbum inter morbos humorum cenſendum eſſe. Sed quum huic ſententiae conſtanter repugnaret LA FOSSE iunior, cuius pater, medicina veterinaria clarus, contrariam ſententiam tuitus erat: Academia, hanc rem vlteriori examine dignam eſſe rata, iuſſit quatuor adhuc equos, pituita contagioſa laborantes, occidi et cultro anatomico ſubiici. Quo facto, nondum omnis dubitatio ſublata eſt; nam quae in omnibus his equis viſcera ſana, neque alibi, quam in ſinu-

p. 173.
p. 51. Hiſt.

bus

bus frontalibus et maxillaribus, glandulisque ſublingualibus, morbi veſtigia deprehenſa ſunt. Interim hoc nunc affirmari poſſe videtur, duplicem eſſe huius morbi cauſſam, alteram externam, quae ſolam membranam pituitariam afficiat, alteram internam, morbum ſcilicet praegreſſum, a quo genitus liquor ſeroſus acris, per nares effluens, pituitariam membranam inflammare poſſit; et morbum, priori cauſſae debitum, ſaepius occurrere altero, immo poſſe in hunc alterum temporis progreſſu degenerare, niſi remediis topicis opportune vincatur. Sed pluribus experimentis atque obſeruationibus opus eſt, vt haec res in apricum perducatur.

21. 22. 23. *Obſeruationes eclipſis lunae totalis d. 18. Maii anni 1761. habitae a* V. Cl. LE MONNIER, MARALDI et DE FOUCHY.

24. Cl. LE MONNIER *comparatio eorum, quae ex obſeruationibus coniunctionis Veneris cum Sole ſequuntur, cum tabulis* HALLEII.

25. Cl. GUETTARD *commentatio de lamellis et*
p. 197. *granis auri in fluuio Ariega* cet. *). Hunc fluuium, ipſamque, in quam ille influit, *Garumnam*, auri grana et lamellas vehere, dudum fuit notum accolis, qui illa ſummo ſtudio colligunt. Sed nuper vir quidam induſtrius, *Apamiae* degens, terram ipſam, per quam *Ariega* fluit, nec non eam, quae in aliis Occitaniae regionibus quibusdam effoditur, auriferam eſſe, et ſimiles lamellas et grana auri continere animaduertit. Et quoniam arena illorum fluuiorum, in qua granula aurea reperiuntur, ex granis quarzoſis partim rufis, partim albis, conſtat, in terris autem illis auriferis lapilli quarzoſi inueniuntur, qui com-

*) Lecta d. 29. Aug. 1761.

comminuti ſimilem prorſus arenam praebent: ſuſpicatus ille eſt, hoſce lapillos etiam aliquid auri in ſe continere; hinc copiam illorum Academiae miſit, vt eos explorandos curaret. Equidem inſtituta iuſſu Academiae examina chemica et docimaſtica nihil auri in illis lapidibus demonſtrarunt: attamen conſtitit inde, ſubſtantiam metallicam ferrugineam in quibusdam ineſſe, et ferrum inde non absque lucro parari poſſe.

26. Cl. DE LA LANDE *commentatio de nouis methodis vim magneticam ferro conciliandi, et de declinatione magnetis* *). Hae methodi ſunt illae, quas p. 211.
ante aliquot annos Viri clariſſimi TRULLARD et ANTHEAULME inuenerunt. Ille, Academiae Scient. Diuionenſis Sodalis, virgam ex chalybe confectam direxit verſus ſeptemtriones, eiusque poſitionem tam diu variauit, donec ab ea limaturam ferri attrahi videret; in qua poſitione fixam virgam percuſſit, quoad magnam vim magneticam nacta eſſet. Idem aliquot minores virgas ex chalybe affrictu ad illam magneticas redditas colligauit, et cum his duas laminas ex chalybe, ſoleae equinae formam habentes, et ita iuxta ſe inuicem poſitas, vt oualem figuram complerent, perfricuit, extrema virgarum, verticaliter poſitarum, ſuper laminis in circulum ſaepius, ſed vno tenore, ducens; quo facto magnam virtutem magneticam his laminis conciliauit. Alter Vir Cl. cuius ſcriptum de magnetibus artificialibus Academia Scient. Petropolitana praemio ornauit, animaduertit, duas virgas ferreas, in linea recta poſitas ita, vt exiguum inter eas interuallum ſit, ſine omni praeparatione ſponte ſua vim aliquam magneticam ſenſibilem mox acquirere, maximam vero, vbi inclinatae ſint ad planum aequatoris coeleſtis ſub angulo

*) Lect. d. 20. Maii 1761.

angulo 29 grad. circiter verſus auſtrum, vel ad horizontem Pariſinum ſub angulo 70 circiter graduum verſus meridiem. Itaque in tali poſitione duas virgas ferreas, quarum longitudo eſt 15 pedum, craſſities duorum pollicum quadratorum, ſuper tabula craſſa quercina fixit, ita, vt earum extremitates dimidium pollicem a ſe inuicem diſtent, et has extremitates laminis chalybeis, vltra ferrum paullum prominentibus, muniuit; iam acum, ſeu virgam ferream minorem, magneticam redditurus, eam oris harum laminarum affricat, ducendo eam prorſum et retrorſum iuxta longitudinem virgarum maiorum, hac tamen cautione, vt neutra extremitas acus vnquam in virgarum interſtitium perueniat. Qua ratione acui vim magneticam impertit maiorem omni, quae alia adhuc cognita methodo ipſi conciliari poteſt. Vtitur etiam hoc modo, qui eodem redit. Virgam chalybeam, ſeu acum, magnetica vi imbuendam ſuper tabula figit, et duas eiusmodi virgas, ſed iam magneticas, ſuper virga fixa ſic ponit, vt poli earum diuerſi nominis ſe inuicem reſpiciant, deinde diaphragmate quodam tenui inter vtramque interpoſito, eleuat ambarum extremitates a ſe inuicem remotiſſimas, vt ipſae virgae ad tabulam inclinatae ſint ſub angulis, in oppoſitas plagas vergentibus, et extremitates earum ſibi inuicem proximas, diaphragmati appreſſas, ducit ſuper virga fixa dextrorſum et ſiniſtrorſum iteratis ſaepius vicibus, lente, et hac lege, ne extrema virgae fixae vnquam attingantur; tandem ſub finem huius frictionis virgas ambas, ad medium virgae fixae reductas, ſubito et ſimul tollit; ſic virga fixa virtutem magneticam inſignem aſſumit. Expoſitis his methodis, Cl. DE LA LANDE porro docet, quibus ratiociniis earum inuentor ad eas peruenerit. Denique obſeruationes aliquot profert, ex quibus colligit declinationem magnetis verſus occiden-

cidentem Lutetiae inde ab anno 1582. quotannis nouem minutis primis gradus praeterpropter vniformiter creuiſſe.

27. Cl. ADANSON *deſcriptio noui generis arborum*, Baobab *dicti*, *in Senega obſeruati.* Nomen *Baobab* apud PROSPERUM ALPINUM (de plantis Aegypti) occurrit. A SCALIGERO (de Subtilit. L. VI.) eadem arbor *Guanabanus* dicta eſt. Francogalli in *Senega* degentes eam *Calebaſſier* appellant, eiusque fructum *panem ſimiarum.* LINNAEUS eam vocauit *Adanſoniam*, quoniam eius definitionem a Cl. ADANSON accepit, quam Appendici Tomi II. Syſtem. Nat. Edit. X. inſeruit, et quae tam conformis eſt hic exhibitae, vt illi huc tranſcribendae ſuperſedere queamus. Tradita ea definitione, Auctor oſtendere allaborat, hanc arborem nouum eſſe genus, quod multum quidem ſimilitudinis habeat cum maluaceis, ſed tamen ab aliis maluaceis, adhuc cognitis, vere diſtinctum ſit. Quo fine characteres familiae *maluacearum* ſollicite recenſet, ſimulque notat, hanc arborem ab aliis generibus huius familiae diſcrepare partim calice, qui ipſi ſimplex eſt et deciduus, partim ſtaminum copia et ſitu, quippe in faſciculum collectorum, partim fructu lignoſo, in loculos decem vel quatuordecim diuiſo, qui ſemina plurima continent, carne ſicca et quaſi ſpongioſa inuoluta. Denique de cultura eius arboris, morbis, aetate, locis natalibus, et vſibus diſſerit, atque Auctores, qui eius mentionem fecerunt, recenſet. Maximam omnium arborum eam dicendam eſſe iudicat, propterea quod, licet truncus eius non vltra 12 pedes altus fieri ſoleat, tamen diameter trunci ſere 25 pedes exaequat, et rami circumcirca ad 60 pedes extenduntur. Iconibus adiectis figuras et totius arboris, et foliorum, et florum, fructuumque

p. 218. p. 224. p. 219. 232.

ac ſeminum, optime repraeſentandas Cl. Auctor curauit.

28. Cl. NOLLET *noua experimenta ſuper electricitate, occaſione ſcripti in Anglia nuper a* ROBERTO SYMMER, *Societ. reg. Londin. Sodali, editi capta* *). Repetens Auctor Cl. SYMMERI experimenta circa tibialia ſerica, a nobis alias **) enarrata, varia obſeruauit noua, et valde digna attentione phyſicorum. Nam non modo vidit, eadem experimenta haberi poſſe, licet multo minori ſumtu, in taeniis ſericis,
p. 251. aqua pura et calida elotis, rurſusque ſiccatis; neque calorem animalem neceſſarium eſſe in his experimentis, ſed ea quoque ſuccedere, quum tibialia ni-
p. 248. grum et album, ſibi inuicem inſerta, ſuper prunis charta gryſea, vel panno complicato, fricta fuerint: verum etiam obſeruauit primum illud, quod tibiale nigrum aliud genus electricitatis nanciſcatur, quam album, non eſſe a coloris diuerſitate, quatenus ille eſt lucis modificatio, ſed a materia gallarum, quae tincturam nigram ingreditur. Deinde ex his experi-
p. 250. mentis deduxit hanc propoſitionem generalem: Quum duo corpora, quae per frictionem electrica
p. 252. reddi poſſunt ita, vt alterum electricitatem vitri, alterum electricitatem reſinae nanciſcatur, ſimul fricantur ad ſe inuicem applicata, vis electrica ipſis conciliatur mirifice fortis. Praeterea intellexit, pro
p. 253. generali hactenus habitam legem, qua duo corpora, eodem electricitatis genere praedita, ſe mutuo repellere perhibentur, talem non eſſe, ideoque e mutua attractione duorum corporum electricorum non tuto colligi, ea diuerſis generibus electricitatis praedita eſſe. Vidit enim, telam ſericam albam, ad ſuperficiem vitri applicatam, et vna cum vitro frictam, adhae-

*) Lecta in Conuentu publ. Cal. Apr. 1761.
**) In Vol. X. hor. commentar. p. 499.

adhaerere vitro valide, atque ab eo ſeparatam, velociter ad illud reuerti; item, taenias ſericas nigras, electrificatas frictione, attractas eſſe a vitro non electrificato, eique per horas integras arcte adhaeſiſſe; ſeparari autem inde confeſtim, admoto ipſis alio vitro recens per frictionem electrificato. p. 254.

29. Cl. DE LA LANDE *commentatio de inaequalitatibus in motu Martis ab actione telluris in reciproca duplicata diſtantiarum ratione effectis.*

30. *Virorum* Cl. DU HAMEL *et* TILLET *commentatio de inſecto grana frumentorum in prouincia Engolismenſi erodente* *). Hoc inſectorum genus, admodum damnoſum, eſt eruca exigua, e cuius chryſalide prodit phalaena claſſis ſecundae ſecundum REAUMURII deſcriptionem, a quo etiam hiſtoria huius inſecti iam tradita eſt ſub finem Volum. II. Commentariorum ad Hiſtoriam inſectorum. Et quae magnus ille Vir de hoc inſecto ſcripſerat, neſcius, quam vtilia ea eſſent futura, maximopere ſibi profuiſſe fatentur praedicti Viri clariſſimi in dirigenda inueſtigatione cauſſae calamitatis, quae vniuerſam prouinciam vehementer afflixit. Ipſi autem viciſſim acceptam a REAUMURIO hiſtoriam huius inſecti perfecerunt, deprehenſis per proprias obſeruationes iis, quae illius induſtriam et ſolertiam effugerant. Remedia huic malo inuenerunt duo. Alterum eſt, vt grana frumenti, ab his inſectis infeſtati, torreantur in fornacibus, ad id inſtructis, calore, ſeptuageſimum quintum gradum thermometri Reaumuriani excedente: hoc enim caloris gradu erucae et chryſalides, in granis latentes, enecabuntur. Et remedii huius ſimile quid ruſtici Engolismenſes nonnulli, iam ante Academicorum in prouinciam aduentum, p. 296. p. 324.

 tum,

*) vid. Comm. hor. Vol. XII, p. 14.

tum, tentauerant, in furnis ſuis, poſtquam panis inde exemtus eſſet, grana frumenti aut nuda ad 4 vel 5 digitorum altitudinem aggerere, aut ſaccis incluſa ponere ſoliti. Verum quum hac ratione germina in granis corrumpantur: vt grana non ſolum cibo, ſed etiam ſementi, idonea ſeruentur, ſuadent aliud remedium, quod in hoc conſiſtit, vt prius calx viua in aqua per cinerem colata maceretur, et limpidum lixiuium in ſcutras transfundatur, in quibus calefieri ad 50 gradum in thermometro Reaumuriano poſſit, et deinde ſic calefacto lixiuio grana corbibus incluſa immittantur. Sed nullo remedio malum vinci poſſe monent, niſi, eodem ſimul vti, publica auctoritate adigantur omnes coloni in tota regione, quae hac calamitate prematur. Nihil enim proficient, qui bonis granis agros ſuos conſerant, ſi vicini in granariis ſuis per hiemem nutriuerint hoſtes illos, qui vere nouo in phalaenas conuerſi euolent in hos agros, ſpeciem ſuam, et cum ea ſimul hoece malum, propagaturi.

31. Cl. LE MONNIER *monita circa obſeruationem diametri Veneris d. 6 Iunii an. 1761 Tobolii habitam.*

32. *Determinatio longitudinis et latitudinis Veneris ſub ſole per obſeruationem huius coniunctionis Holmiae habitam, Auctore* Cl. DE LA LANDE.

33. *Abb.* CHAPPE D' AUTEROCHE *excerpta ex relatione de itinere in Sibiriam, vt Venerem in diſco Solis anno 1761 Tobolii obſeruaret, ſuſcepto.*

34. *Eiusd. Additamentum, in quo de annulo lucido et diametro Veneris, Tobolii obſeruatis, agitur.*

35. Cl.

35. Cl. MARALDI *obſeruatio eclipſis quarti ſatellitis Iouis d. 19 Nouembr. anni 1761.*

36. Cl. GUETTARD *commentatio de fodinis ceſpitum ſubterraneorum, ſeu turfae, prope Villam regis in Campania Galliae*, cet. Hae fodinae ſunt in pratis admodum macris, in valle quodam, per quem fluuius, *Eſſona* dictus, procurrit. Os fodinae 12 p. 381.
vel 18 pedum quadratorum, profunditas ad ſummum decem pedum eſſe ſolet; altius enim fodere aqua non permittit. In hac altitudine plura ſtrata ceſpitum habentur, quorum ſingula pedem circiter vnum craſſa ſunt; et horum ſtratorum infima, coloris fuſci et fere nigri, meliora ſuperioribus eſſe putantur. Reperiuntur in illis radices iuncorum, arundinum, cyperoidum, et his ſimilium plantarum, quas prata illa ferunt; nonnumquam etiam trunci ſalicum, populorum, nec non radices harum aliarumque arborum in ſtratis illis repertae ſunt. Porro docet Au- p. 383.
ctor, quo modo et quibus inſtrumentis aquae ex his fodinis hauriantur, ſtrata ſecentur, et maſſae exſectae egerantur, disponanturque, vt bene exſiccari poſſint; item quomodo ex horum ceſpitum nonnullis carbones fiant in furnis, ad hanc rem exſtructis. Horum autem carbonum aeque ac ceſpitum illorum exſiccatorum vſus et *Corbolii* et *Lutetiae* frequens eſſe coepit apud coquos et opifices. Quo magis hortandos eſſe cenſet populares ſuos, vt etiam in aliis regionibus Galliae turfam quaerant, qua ligno- p. 390.
rum penuriae, ibi ingraueſcenti, ſubueniatur; et plurima loca nominat, quibus id fieri poſſe ſperat. Denique oſtendere ſtudet, turfam nihil aliud eſſe, p. 392.
niſi materiem ex putrefactione plantarum, in pratis p. 393.
non depaſtis prouenientium, natam.

37. Cl. DE LA LANDE *altera commentatio de motu nodorum planetarum primariorum ſingulorum, qui actionibus ceterorum debetur.*

38. Cl. CASSINI DE THURY *obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum Solis, Viennae in Auſtria habita.*

39. Cl. PINGRE' *obſeruationes aſtronomicae in inſula Roderici ob determinandam Solis parallaxin inſtitutae.*

40. *Eiusd. Additamentum ad praecedens ſcriptum.*

41. Cl. DE RATTE *Soc. reg. in Monte Peſſulano Sodalis, obſeruationes cometae, qui menſibus Septembri et Octobri anni 1757 apparuit.*

II.

Della preſervazione della Salute de Letterati, e della gente applicata e ſedentaria, opera poſtûma di GIUSEPPE ANTONIO PUIATI P. P. P. di Medicina Practica nella celebre Univerſitá di Padoua, e data in luce da ANTON-GAETANO ſuo figlio, Dottor di Filoſofia e di Medicina, in Venezia 1762. preſſo Antonio Zatta. in 8vo. 1 Alph. 10. pl.

i. e.

De eruditorum ac ſtudiis vitaeque ſedentariae deditorum hominum valetudine tuenda, opus poſthumum IOSEPHI ANTONII PUIATI,

IATI, editum ab ipſius filio, ANTONIO CAIETANO.

Librum hunc, quem Cl. PUIATI pater maximam partem abſolutum reliquerat, Cl. Editor ita perficere laborauit, loca auctorum in notis laudatorum addendo, lacunasque ſupplendo, vt et patris auctoritatem non minueret, et vtilitatem adferret legentibus. Cum vero hic liber ſcriptus ſit, non ſolum in eruditorum gratiam, ſed etiam in illorum vſum, qui aliis funguntur muneribus, quae ingenii exercitationem et applicationis aſſiduitatem requirunt, lingua vſus eſt Cl. Auctor vernacula. Diſtinxit autem totum hoc opus in tres partes, quarum prima introductoria eſt, altera philoſophica, tertia vero practicas regulas continet. Atque in primo partis p. 1.
primae capite nonnulli Auctores, qui de ſanitate eruditorum tuenda ſcripſerunt, recenſentur, ſecundo vero capite cauſſa morboſa externa, cui eruditi ob- p. 7.
noxii ſunt, exponitur. Facilius eruditos cauſſae externae, ob imbecillitatem corporum, quam robuſtiores laedunt, atque pro diuerſa corporis conſtitutione varia quoque incommoda producunt. Maxime tamen ex nimia ſtudiorum contentione tres corporis partes, ventriculus ſcilicet, cerebrum et oculi patiuntur. In tertio capite de ſanitate eiusque cauſ- p. 12.
ſis in vniuerſum disputatur. Proximam ſanitatis cauſſam Cl. Auctor ponit in perfecto conſenſu virium internarum ad ſuſtinendum motum omnium fluidorum corporis noſtri, ſiue ea in vaſis ſint, ſiue extra vaſa haereant. Sanitas laeditur, quotiescunque iſte conſenſus turbatur, licet motus ſanguinis non vitiatus ſit, aut nondum illud vitium appareat. Caput quar- p. 23.
tum latitudinem ſanitatis explicat. Ea enim minime tam arctis regulis adſtricta eſt, vt incommoda, quae conſenſum, de quo diximus, turbant, non poſſit

homo ſine ſanitatis detrimento perferre. Latitudo autem ſanitatis, cuiuis homini propriae, deduci poſſe videtur ex ſufficiente conſeruatione virium, qua, excretione aliqua imminuta, noua alia producitur, aut conſueta augetur. Hinc illi homines maiore prae aliis gaudent ſanitatis latitudine, in quibus neceſſaria
p. 28. et maxime vtilis euacuatio facilius poterit augeri. Qualis vero illa ſit, Cl. Auctor in capite quinto docet, quod de perſpiratione inſenſibili inſcribitur. Haec, cum ex viribus vitae pendet, optime, vbi eae vegetae ſunt, ſuccedit, mirum in modum vero variat pro varietate rerum extra corpus poſitarum, vel mutationum, quae in ipſo corpore fiunt. Materia perſpirationis omni acrimonia deſtituitur, et retenta, non qualitate, ſed quantitate ſua nocet.

p. 46. Secunda huius operis pars exponit efficaciam et modum agendi cauſſarum primariarum morboſarum, quae cum literatura et ſtudiis aliquem nexum quaſi habent. In capite primo de nimia applicatione ad ſtudia tractatur, qua inprimis ventriculus et vis di-
p. 63. gerendi laeditur. In ſecundo capite Cl. Auctor vigilias et ſomnum conſiderat, et damna, quae ex pro-
p. 84. tractis vigiliis oriuntur, explicat. In tertio capite, quod de motu inſcribitur, demonſtratur neceſſitas motus in vniuerſum, et damna ex nimia quiete ori-
p. 109. unda. Quarto capite de ingreſſu, erecto ſtatu corporis et variis aliis corporis poſitionibus agitur. Ingreſſus ſanguinis motum maxime expedit, et ſaluberrimus eſt, quod minime de ſtatu valet. Sub hoc enim corporis ſitu, illud ipſum ob intenſam multorum muſculorum actionem maxime debilitatur, ſanguinis motus per contractos muſculos laeditur, tandemque ipſa vis concoquendi cibos impeditur, partim ob imminutam muſculorum abdominalium et diaphragmatis in ventriculum actionem, partim ob diſſipationem fluidi neruei, quod ad digeſtionem ciborum

rum rite perficiendam maxime requiritur. Seſſio corpore incuruato tum demum, ſi ventriculus cibis nimis repletus eſt, noxam infert; in vniuerſum autem ſeſſio omnis nimium protracta, iis, qui calculo laborant, nocet, quod etiam de ſitu corporis ſupino valet. Quinto capite Cl. Auctor de ſaltatione p. 130.
et inſtrumentis muſicis, ſexto de equitationis vſu p. 145.
medico fuſius agit. Septimo capite de venatione, octauo de vectione in cymba, nono de declamatione, et lectione clara voce inſtituta diſſerit. Capite decimo aerem conſiderat, atque atmoſphaerae, caloris, frigoris, ventorumque etc. in corpus humanum efficaciam explicat. Simili modo in capite vndecimo de cibo, eiusque variis ſpeciebus, et capite duodecimo de potu potulentisque in Italia vſitatis disputat, tandemque in vltimo ſecundae huius partis capite affectus animi examinat.

Tertia vero huius libri pars applicationem con- p, 393.
tinet eorum, quae de rebus non naturalibus in vniuerſum in ſecunda parte dicta erant. Hinc in primo capite praecepta circa ſtudiorum contentionem in vniuerſum, in ſecundo capite praecepta de ſomno, et in tertio de motu proponuntur, atque damna, quae ex vita ſedentaria proueniunt, explicantur. Quartum quintumque caput comprehendunt regulas circa aerem, et alimenta. Sexto capite continentur regulae, ab iis obſeruandae, qui, neceſſitate quadam coacti, vltra modum ſe per aliquod tempus ſtudiis applicare debent. Septimo capite disputat Auctor de ſignis laeſae tranſpirationis, ex cuius conſeruatione, vti iam ſupra dictum eſt, Noſter ſanitatem pendere contendit. Vltimum tandem caput docet, qualis eſſe debeat medicus, cui cura ſanitatis hominis literati committenda eſt. Haec ſufficiant de hoc libro dixiſſe, cuius lectio iis, qui medici non

 ſunt,

ſunt, et tamen praecipuas diaetae regulas noſſe cupiunt, partim ob rerum praeſtantiam, partim ob ſtili elegantiam, omnino commendanda eſt.

III.

Memoire ſur une queſtion anatomique relative a la Iuriſprudence; dans lequel on établit les principes pour diſtinguer, à l'inſpection d'un corps trouvé pendu les ſignes du *Suicide* d'avec ceux de l'*Aſſaſſinat*. Par M. LOUIS, Profeſſeur Royal de Chirurgie, Cenſeur Royal, Chirurgien conſultant des Armées du Roy. a Paris chez P. G. Cavelier 1763. 8. pl. $3\frac{1}{2}$.

i. e.

Commentarius ſuper quaeſtione anatomica, quae relationem quandam cum iuriſprudentia habet; in quo principia conſtituuntur, ex quibus in inſpectione cadaueris, quod ſuſpenſum reperitur, ſigna *autochiriae* et *homicidii* inter ſe inuicem diſtingui poſſunt. Auctore Cl. LOUIS.

Praelectus eſt hic commentarius a Cl. Auctore in conſeſſu publico Academiae regiae chirurgicae, habito d. 14 April. 1763. atque ſcriptus eſt occaſione triſtiſſimae ſortis familiae *Calas*, omnibus certe lectoribus noſtris ex publicis relationibus cognitae. Cum fere omnes, qui de medicina forenſi ſcripſerunt auctores, ea tantum ſigna proponant, quae oſtendunt, vtrum is, qui ſuſpenſus reperitur, viuus an mortuus ſuſpenſus fuerit, ea vero ſigna negligant, ex quibus dignoſci poteſt, an ſuſpenſus ſe ipſum interfecerit laqueo, vel ab aliis ſtrangulatus

fuerit?

fuerit? Cl. LOUIS de hiſce vltimis ſignis in hac diſſertatione agendum ſibi ſumſit. Varia autem experimenta, quae ad huius argumenti vberiorem explicationem faciunt, tum in cadaueribus humanis, tum in animalibus viuis inſtituit, neque ipſos carnifices conſulere neglexit. In initio huius tractationis chirur- p. 6.
gos, qui examen corporis, quod ſuſpenſum reperitur, ex magiſtratus auctoritate ſuſcipiunt, admonet, omnem dandam eſſe operam, quo ſuſpenſi, ſi fieri poſſit, ad vitam reuocentur, atque probat, *Calaſii* filium forte vixiſſe adhuc eo tempore, quo familia eum ex fune pendentem inuenit. Deinde agit de ſignis, p. 12.
quae docent, vtrum viuus, an mortuus aliquis ſuſpenſus fuerit, tandemque ad ea accedit, ex quibus iudicari poteſt, vtrum ſtrangulatio voluntaria, an vio- p. 15.
lentiae externae effectus fuerit? Oſtendit vero, ſuſpenſos non ſuffocari, vel ex reſpirationis defectu perire, ſed apoplexia, ſcilicet ex compreſſione venarum iugularium, atque hoc inprimis valere de iis, qui ipſi ſuae mortis auctores fuerint. In iis, qui a carnifice patibulo affiguntur, ſaepe vertebrae colli luxantur, et cartilagines laryngis franguntur, quod nunquam fieri ſolet in iis, qui ſe ipſos interficiunt, quapropter etiam eiusmodi homines facilius, quam ii, quos trucidauit carnifex, ad vitam reuocari poſſunt. Homo quidam, qui bis ſe ipſum ſuſpendit, bis quoque refocillatus eſt, neque aliud inde incommodum ſenſit, praeter vehementes dolores in capite et pedibus, qui orti erant ſine dubio ex impedita ſanguinis circulatione per compreſſionem venarum iugularium. Cum vix poſſibile ſit, vt aliquis, ſine praegreſſa ſtrangulatione, ab alio de laqueo ſuſpendi poſſit, ſemper duplex aderit chordae in collo veſtigium, aut alia in cadauere violentiae externae ſigna. Si autem fuerint aliquando fortaſſe malefici, qui poſt ſuſpenſionem, a carnifice factam, ad vitam

reuoca-

reuocati ſint; haud dubie id carnificis culpa accidit, qui officium ſuum in iis non recte fecerat. Probat
p. 27.
hoc Cl. Auctor enarratione methodi, qua carnifices Pariſienſis et Lugdunenſis vtuntur. In iis, qui Pariſiis ſuſpenduntur, fere ſemper colli vertebrae ſuperiores luxantur, ſimulque ac ea luxatio fit, cadauer, quod antea rigidum erat, nunc flexile fit. Pupilla ſemper in ſuſpenſis valde dilatata eſt. Lugduni cartilagines laryngis contra vt plurimum fractae ſunt, cum in anteriore parte laquei, quo ſtrangulantur, nodus ſit fixus, atque carnifex caput eius, de quo ſupplicium ſumitur, magna vi verſus anteriora deprimat. Ex his autem omnibus patet, cadauer, quod ſuſpenſum reperitur, non obiter tantum inſpiciendum, ſed et interiores eius partes ſollicite examinandas eſſe. Qui ſe ipſos laquei ope interficiunt, longe tardius pereunt, quam ii, qui ab aliis ſtrangulantur. Chorda cum veſtigio, quod in collo reperitur, comparanda eſt, atque videndum, vtrum in collo vnicum tantum, an contra duo adſint eiusmodi impreſſionis veſtigia? Haec omnia Cl. LOUIS egregie explicat, atque in fine nonnulla addit de methodo, qua ſuſpenſi ad vitam reuocandi ſunt. Suadet autem ſectionem venae iugularis inſtituere, aërem pulmonibus inflare atque corpus fricare et calore fouere. Si in eo, qui paullulum refocillatus eſt, reſpiratio adeſt laborioſa et ſtertoroſa, materia ſpumoſa bronchia replens euacuanda eſt ope potionis paratae ex oxymelle ſcillitico.

)o(

IV. MAR-

IV.

MARTIN FROBENIUS LEDERMÜLLERS, *Hochfürſtl. Brandenb. Culmbachiſchen Iuſtitzraths, wie auch der Kaiſerl. Academie der Naturforſcher, und der teutſchen Geſellſchaft zu Altdorf Mitglieds, Nachleſe ſeiner mikroſcopiſchen Gemüths und Augenergötzungen.* V. *Sammlungen beſtehend in funfzig fein illuminirten Kupfertafeln, ſammt deren Erklärung, und einer getreuen Anweiſung, wie man alle Arten Mikroſcope geſchickt, leicht und nützlich gebrauchen ſolle, verlegt, und in Kupfer gebracht von* Adam Wolfgang Winterſchmied, *Kupferſtecher in Nürnberg, gedruckt, auf Koſten des Verlegers, von* Chriſtian de Launoy 1762. 4. mai. 15 pl. cum ep. dedic. et praef. L. tab. aen.

i. e.

MARTINI FROBENII LEDERMÜLLERI ſpicilegium microſcopicarum oculorum atque animi oblectationum ſuarum aeri inciſarum et viuis coloribus pictarum.

Poſtquam in detegendis naturae arcanis occupatus Cl. LEDERMÜLLERUS centuriam microſcopicarum ſuarum obſeruationum ante ſex hos annos ediderat, multisque hunc librum non ingratum eſſe animaduertebat, cogitabat de ſpicilegio quodam per vices edendo, ita, vt decem ſemper tabulas, ſine temporis tamen termino conſtituto, ſe publicaturum fore promitteret. Cuius ſpicilegii et nos ſuperius iamiam mentionem fecimus *). Nunc vero, cum

* vid. Commentar. Vol. X. P. III. p. 423.

cum illud abſolutum in manibus noſtris verſetur, non ingratum lectoribus noſtris fore arbitramur, ſi potiora eius momenta breuiter excerpamus, quantoque cum ſtudio Cl. Auctor in continuandis microſcopicis obſeruationibus verſatus fuerit, ſignificemus.

Praeter egregias itaque, variasque nouiter inſtitutas obſeruationes, praecipue quoque in hoc volumine operam dedit LEDERMÜLLERUS Noſter, vt fida inſtructione doceat, quomodo vnusquisque ſingulis microſcopiis commode vti debeat, quem in finem hiſtoriam microſcopiorum dedit, primam eorum originem ex gutta aquae, vel globuli vitrei factam exponit, ſucceſſiuam emendationem ex mutata eorundem fabrica declarat, icones eorum, quibus olim vſi fuerunt, communicat, quo exinde adpareat, ad quantum praeſtantiae gradum recentiorum inuenta peruenerunt. Ea propter non ſolum nouiſſima et optima microſcopia ſecundum ordinem dignitatum ſuarum recenſet, compoſitionis rationem exponit, modumque adhibendi docet, verum etiam non nulla eorum, v. c. microſcopium ſolare Cuſſianum Tab. I. et II. vniuerſale illud illuſtris DE GLEICHEN, tanquam maxime compoſitum, Tab. XI. XII. XIII. XIV. et XV. Lieberkühnianum, pro circulatione ſanguinis contemplanda, Tab. XXIII et XXIV. depinxit. Cum itaque tantam microſcopiorum peritiam, et in recto eorundem vſu dexteritatem acquiſiuerit, praetereaque de ſelectiſſimis ſibi comparandis ſemper ſollicitus fuerit Cl. Auctor, quilibet facile praeuidet, obſeruationes, ope microſcopiorum factas, et in hoc volumine eodem cum ſtudio eſſe conſignatas, quo antecedentes microſcopicae oblectationes ſeſe commendarunt. Cum vero limites non permittant, vt ſingulas ſpicilegii huius obſeruationes commemorare poſſimus, ſatis fore

ſpera-

ſperamus, ſi ſpeciminis loco quaedam ſaltim phaenomena, Auctori in contemplandis corporibus obuia, indicamus.

Delineantur itaque Tab. VII pulices aquatici; in his microſcopii auxilio detexit Noſter, praeter ſex pedes ordinarios, duo alia adhuc corpora, pedibus quoad faciem externam ſimilia, quae vero interius cauam fiſtulam ſiſtunt, ex qua eo tempore, quo pulex ſuper aquam ſaltare tentat, albicantem quendam et oleoſum humorem promanare Noſter obſeruauit, qui ſuper aquam paruum quaſi globulum format, quem baſin forte eſſe, in quam pulex ſaltatorios pedes firmat, Cl. Auctor opinatur. Arborem coffeam ab omnibus inſectis ſemper eſſe liberrimam, Cl. olim Gedanenſium KLEINIUS in manuſcripto quodam, de incremento coffeae, affirmauit. Contrarium vero ſe reperiſſe teſtatur Noſter Tab. IX. quae pediculos in arbore coffea habitantes repraeſentat. Animalculum hoc latum eſt, et tenuiſſima quadam lana obductum. Animaduertuntur in eo quindecim annuli vel ſegmenta, quae in mucrones terminantur mobiles, et mediantibus quibus ouula ſua craſſo ſatis tomento obducere poteſt. Ponit ſua ouula in rimas veterani rami, et vtplurimum in cacumine arboris animalcula haec habitant. Hac occaſione Tab. X. delineauit Noſter modum creſcendi coffeae. Has figuras KLEINIUS dedit, quas etiam LEDERMÜLLERUS immutatas repraeſentat. Ex iconibus huius tabulae praecipue attentionem noſtram mouet puluis antherarum coffeae. Hic enim, microſcopii ope contemplatus, ſiſtit corpuſcula ſeminibus tritici haud abſimilia, quae vero, ſi aqua, vel ſpiritu vini humectantur, rotundam figuram acquirunt, et ſenſim ſenſimque ſubſtantiam quandam oleoſam vaporis ad inſtar emittunt. Ex variis animalium pilis, Tab. XVII. delineatis, commemo-

memoratione dignum iudicamus pilum talpae; hic enim, innumeris annulis vndiquaque obſeſſus, aeque ſatis a reliquorum animalium pilis ſeſe diſtinguit, ac pilus Cerui Capreoli Tab. XLIX. repraeſentatus, ſquamis ſexangularibus vndique tectus, a reliquis ſtatim internoſcitur.

In Tab. XXXIII. depictam vidimus aegagropilam, ex ventriculo agni ſimul cum quatuordecim aliis deſumtam. Haec exterius duriſſimo quodam cortice obtecta erat, interius autem ſubſtantiam reperit Noſter, operi coactili ſimillimam. Cum internam hanc ſubſtantiam microſcopii ope diſquiſiuerit, detexit, eam ex meris particulis laneis conſiſtere, quae, ſicuti pili, ex canalibus medullaribus compoſitae, et externe minutiſſimis quaſi ſquamis obtectae erant. Sequenti Tabula XXXIV. repraeſentauit Noſter membrum virile muſcae. Hoc ex tribus ſegmentis conſiſtit, quorum duo inferiora innumeris papillis, et peculiari quadam protuberantia annulari, obſeſſa ſunt. Paſſim occurrunt pili, et in ſuprema parte conſpicitur foramen quoddam ouale, per quod corpuſcula, pro animalculis ſeminalibus habita, exire vidit Cl. Auctor. Sed cum errare humanum ſit, ita etiam LEDERMÜLLERUS noſter, ſe in denominanda hac parte quendam commiſiſſe errorem, ipſe fatetur in defenſione nonnullorum dubiorum, contra microſcopicas ſuas obſeruationes factorum, huicque ſpecilegio adiecta. Mouit enim Ill. DE GLEICHEN praeter alia dubia etiam hoc, quod Cl. Auctor figuram Tab. XXXIV. datam, membrum virile muſcae nominet, cum tamen aliae obſeruationes edocuerint, hanc partem neutiquam membrum virile, ſed tubulum eſſe, per quem ouula ponit foemina muſca. Veritatem huius rei perſpiciens Noſter, hunc ſuum errorem in defenſione hac indicauit, ſententiam mutauit, et deſcriptionem Tab. XXXIV. ſub nomine

tubuli

tubuli, per quem ouula ponit foemina muſca, eſſe aſſumendam, ſcripſit. Pollinem antherarum tulipae Tab. XLVIII. repraeſentat. In hoc detexit Noſter globulos diuerſi coloris, quorum alii lutei, alii purpuraſcentes fuerunt. Quando iis vnica guttula aquae adſperſa eſt, mox ex iis ſubſtantia quaedam promanauit, guttulam aquae tot coloribus impraegnans, quot antea pollen ipſum imbutum erat. Tab. L. continet figuras ſalis cuiusdam compoſiti, coeruleſcentis, et ſalis eſſentialis acetoſellae. Saepius dubitauit Cl. Auctor, num ope artis coeruleum quoddam ſal produci poſſet, cuius cryſtalli colorem ſuum, propter pelluciditatem, ſub microſcopio adhuc conſpiciendum praeberent. Contigit ei, ab amico quodam compoſitionem eiusmodi ſalis acquirere. Quando nimirum ſalis volatilis cornu cerui drachma ſemis, et laminae cupri in paruas fruſtulas conciſae grana 15. in vitro bene obturato ſimul reſeruantur, et hiſce inter ſe coniunctis 6 - 8. guttae ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi adſperguntur, mixtumque hoc in leniſſimum calorem caute reponitur, ne volatile ſal in auras abeat: tunc vnica guttula huius mixturae ſub microſcopio ſiſtit egregias cryſtallos azurei coloris, vtplurimum octangulae figurae. Sal acetoſellae, in eadem tabula repraeſentatum, cryſtallos diuerſiſſimae figurae ſiſtit, quarum aliae ramorum arboris ad inſtar inter ſe combinatae ſunt, aliae vero ſexangularia et multangularia corpora repraeſentant.

Adiecta ſunt huic volumini duo alia additamenta, quorum prius reſponſiones Cl. Auctoris ad dubia nonnulla Ill. DE GLEICHEN continet *); poſterius

*) Cuius titulus eſt: MARTIN FROBENIUS LEDERMÜLLERS *abgenöthigte Vertheidigung, als einen Anhang*

ſterius vero deſcriptionem iconemque muſcae, permultis paruis inſectis refertae, et a Cl. WINTERSCHMIEDT obſeruatae, ſiſtit. Nos vero ex iis, quas indicauimus, obſeruationibus microſcopicis, induſtriam Auctoris ſatis conſtare arbitramur. Quas vero in poſterum obſeruationes, circa ſpecialiora quaedam corpora inſtituendas, edere promittit, de his iuſto tempore ad lectores noſtros erimus relaturi.

V.

The vegetable Syſtem, or the internal Structure and the Life of Plants etc. By IOHN HILL, M. D. Vol. V. Containing the entire Claſſ of Aggregate or Cluſterheaded Plants, London. Solded by R. Baldwin 1763. fol. pl. 18. Tabb. aen. 53. Vol. VI. Containing the whole Claſſ of Vmbrell'd or Vmbelliferous Plants. London. 1764. fol. pl. 18. Tabb. aen. 62.

i. e.

Syſtema vegetabile, ſiue explicatio internae ſtructurae et vitae plantarum etc. Auctore IOANNE HILL, M. D. Vol. V. VI.

In ea, quam iam exponere cepimus *), Cl. Auctoris methodo nunc ſic pergimus, vt aggregatas atque

Anhang ſeiner mikroſcopiſchen Gemüths und Augenergötzungen, wider einige von dem vornehmen Hr. Verfaſſer des neueſten aus dem Reiche der Pflanzen, und der Geſchichte der Stubenfliege, in dieſen beyden Schriften geäußerte Zweifel und Vorwürfe, nebſt einer Beylage des Verlegers Adam Wolfgang Winterſchmids, welche die Abbildung einer mit vielen ſehr kleinen Inſekten geplagten ganzen und vergrößerten Stubenfliege enthält; mit Kupfern.

*) vid. Comment. Noſtr. Vol. XIII. P. II. p. 296.

que vmbelliferas plantas ſimul eadem ratione recenſeamus, qua in prioribus vſi ſumus voluminibus.

Quod de compoſitis egerat plantis Cl. Auctor, Vol. V. nunc prius multis probare nititur argumentis, aggregatas, iam conſiderandas plantas, inter illas compoſitas et vmbelliferas medium mereri locum, etſi cum vtrisque aliqua communia habeant. Hinc protinus ea, quae plerumque adſumitur, inter vmbellam ſimplicem atque compoſitam differentia concidit, et aggregatae flores perfectos, in capitulum p. 5. collectos, communi calyce exceptos, ſingulo tamen flore proprio calyci inſidente et ſuo etiam pedunculo excepto. In vmbellis contra communis pedunculus diuiſus ex centro in plures, ſingulum denuo et ſecunda vice diuiſum oſtendit. Deſcribit porro ſingulas aggregatarum plantarum fructificationis partes atque delineat, et quod in ſingulis communis ille calyx folioſus eſt, nec commodas ſatis diſtinctionis notas ſuggerit, nunc ex proprio ſinguli floris calyce eiusque forma et diuiſione, ſquamarumque numero definitiones ordinum deſumit, eorumque in aggregatis ſeptem ſequentes deſcribit, ſtamina vero florum non ſunt coalita.

Ordo I. recenſet plantas, calyce particulari mo- p. 11. nophyllo, et in margine integro, inſtructas: capitulo florum ouali, calyce communi floribus longiore, *Dipſacus;* capitulo rotundo, calyce communi breuiore, *Virga*, dipſacus piloſus; capitulo obtuſe conico, calyce communi floribus longitudine aequali, *Xanthium;* occaſione huius Xanthii, quod in Europa aeque ac America occurrit, de ſententia ea, ſingulis locis ſingulares plantas conceſſas fuiſſe, diſſerit, eamque negando hoc et aliis exemplis confirmat, in magnitudine tamen earum nonnunquam differentias occurrere. Capitulo plano, ex quinque floribus compoſito, calyce communi integro, cylin-

drico, apice dentato, *Knautia* *); capitulo et caly-
ce eodem tres tantum flores comprehendente, *Al-*
lionia; capitulo plano, multos flores continente, ca-
lyce communi integro, plano, margine indiuiſo, *Dor-*
ſtenia; capitulo rotundo, calyce communi, tetra-
phyllo, foliolis acutis, floribus ſingulis breuiter pe-
dunculatis, *Hydrocotyle;* capitulo lato, plano, calyce
communi polyphyllo, foliolis breuibus acutis, flori-
bus ſingulis pedunculo longo inſidentibus, pentape-
p. 26. talis, incuruatis, *Panax.* *Ordo II.* calyce proprio,
integro, apice plicato. Capitulo globoſo, multi-
floro, calyce communi ſquamato, flore pentapetalo,
calyce proprio apice membranaceo, *Statice.* *Ordo*
p. 28. *III.* calyce proprio ſimplici, ſeu in vnicam ſeriem
ſegmentorum diuiſo. Capitulo globoſo, multiflo-
ro; calyce communi floribus aequali: corolla ſin-
gula tubuloſa quadrifida, ſuperiore ſegmento breui,
recuruo, tribus reliquis longioribus, acutis, *Globu-*
laria. Capitulo conuexo multifloro, calyce commu-
ni, floribus longiore, corolla pentapetala, leuiter in-
ciſa, reflexa, *Aſtrantia;* capitulo plano libero, calyce
flores multum ſuperante, integro, apice leuiter quin-
quedentato, *Agroſtana;* capitulo plano, multifloro,
calyce communi capitulo longiore, integro, in qua-
tuor partes apice ſpinoſas ſecto, *Arctopus;* capitulo
plano, floribus ſeſſilibus, calyce communi floribus
longiore, monophyllo, apice lato, irregulariter ſex-
fido, *Echinophora;* capitulo oblongo, communi ca-
lyce folioſo, capitulo breuiori, circulo perfectorum
foliorum cincto, *Gundelia;* capitulo globoſo, caly-
ce communi duplicis ſeriei, altera erecta, altera re-
p. 37. curua, *Iaſione.* *Ordo IV.* calyce proprio duplici, ex
duabus ſegmentorum ſeriebus compoſito: capitulo
conuexo, calyce communi ex pluribus ſeriebus fo-
liolorum

*) Per errorem hanc plantam aliquoties *Knantiam* appellari obſeruamus.

liolorum, *Scabioſa;* capitulo conuexo, calyce communi ſimplici, foliolis acute ſpinoſis, *Acura.* *Ordo V.* p. 55.
calyce proprio diuiſo vel plurium ſegmentorum ſeriebus: capitulo globoſo, calyce communi ſimplici in plura ſegmenta fiſſo, flore minore, flore ſingulo laciniato, apice reflexo, *Echinops;* capitulo cylindrico, denſo, calyce communi folioſo duorum ſegmentorum, floſculo ſingulo quinquifido, *Ruthrum;* capitulo ex ouali globoſo, communi duplicis ſeriei pennatae, proprio triplicis ſeriei externaeque trifidae, mediae trifidae, interioris bifidae, corollis pentapetalis apice diuiſis, *Lagoecia.* *Ordo VI.* calyce proprio p. 58.
monophyllo, foliolo cauo ouali: capitulo plano, paucorum florum, calyce communi floribus longiore pentaphyllo vnius ſeriei, floſculis tubuloſis, quinquifidis, externis planis, trifidis, *Sigesbeckia.* *Ordo* p. 59.
VII. calyce proprio polyphyllo foliolis concauis: capitulo ouali, calyce communi duplicis ſeriei, foliolis acutis, floſculis tubuloſis, leuiter quinquifidis, *Stoebe;* capitulo conuexo, calyce communi hemiſphaerico, ex pluribus ſquamis diuerſarum ſerierum compoſito, corollis pentapetalis, baſi anguſtis, apice diuiſis, *Brunia;* capitulo ouali, calyce communi floribus longiore, ſpinoſo-folioſo, flore pentapetalo, apice recuruo, *Eryngium.*

Non ſolum vero omnium hic recenſitarum ſpecierum icones, atque generum characteres aeri inciſi occurrunt, ſed aliquae etiam nouae delineationes proponuntur, vt *Knautiae occidentalis,* quae fo- p. 18.
liis lanceolatis dentatis, pedunculis diuiſis et corollarum colore coeruleo differt a nota ſpecie. Porro inter Scabioſas duas nondum deſcriptas ſpecies reperimus, *lanatam,* foliis ouatis tomentoſis inſtru- p. 46.
ctam, floſculi luteoli coloris ſunt atque ſaepe proliferi, et *triandram,* cuius folia radicalia ſunt oualia atque ſerrata, caulina vero in multas teneras lacinias

 ſecta,

ſecta, multifida: corollae ſunt trifidae, tribus etiam,
quod vtique ſingulare eſt, ſtaminibus inſtructae, no-
uum tamen genus Cl. Auctor exinde efformare no-
luit, quod conſpectus protinus externus ſcabioſam
p. 27. referat. In generibus etiam a Statice Limonium
iterum ſeparauit ob diſpoſitionem florum; in Scabio-
ſis ad corollae diuiſiones ob inconſtantiam non re-
p. 32. ſpexit: noua ſunt *Agroſtana*, quae eſt Perfoliata Al-
pina anguſtifolia media; *Ruthrum*, quo comprehen-
duntur Echinopi ſpecies floſculis diuerſis. Tandem
p. 52. quoque hybrida planta ſub *Acurae* nomine depingi-
tur, de qua, quod ipſe HILLIUS dubitat, eam perpe-
tuam eſſe futuram, melius ad varietates referri de-
buiſſet. Arbitratur autem, illam ex Scabioſa atque
Eryngio plano compoſitam fuiſſe, dataque hac oc-
caſione de plantis hybridis diſſerit, quae vero iam
ab aliis accuratius tractatae ſunt.

Vol.VI. Iam in vmbellis disquirendis verſatur Cl. Auctor,
quibus, vt diximus, eas complectitur plantas, quae
ex pedunculis, ex vno centro prodeuntibus, eorum-
que centris iterum nouos pedunculos producunt,
itidem ex centro, quorum etiam ſingulo flos inſidet.
Expoſitis itaque variis notionibus, ad cognitionem
horum florum pertinentibus, ab inuolucris potiſſi-
mum diſtinctiones deſumit, et omnes vmbellas in
duos tribus diſpeſcitur, hos in ordines et familias.
p. 4. *Tribus I.* Inuolucro folioſo: vmbella vniuerſa-
li parum conuexa, partiali plana et denſa, *Ammi;*
vmbella vniuerſali concaua, partiali parum, inuolu-
cro vniuerſali folioſo foliolis profunde pinnatifidis,
partiali breuibus, ſeminibus oblongis ab vno latere
conuexis, *Daucus;* vmbella vniuerſali irregulari, par-
tiali conuexa, ſeminibus oualibus, ab vno latere
ſtriatis, *Apium;* vmbella vniuerſali laxa parum con-
uexa, partiali irregulari, inuolucro vniuerſali et par-
tiali

tiali tetraphyllo, ſeminibus ſtriatis, *Cuminum;* vmbella vniuerſali laxa inaequali, partiali denſa conuexa, inuolucro vniuerſali pentaphyllo ſerrato, partiali dentato, ſeminibus hiſpidis, *Sanicula;* vmbella vniuerſali plana, partiali paulum concaua, inuolucro vniuerſali decaphyllo, foliolis trifidis, partiali triphyllo pennato, ſeminibus tuberculatis, *Artedia.*

Tribus II. Inuolucro membranaceo: *Familia I.* p. 10. inuolucro vniuerſali et partiali. *Ordo I.* inuolucro vniuerſali tantum vnica membranula conſtante: vmbella vniuerſali conuexa, partiali irregulari, inuolucro partiali, variis membranulis, floribus regularibus in centro, irregularibus in ambitu, ſeminibus ellipticis, ſtriatis margine ſetaceis, *Tribula; Ordo II.* inuolucro vniuerſali ex quatuor membranulis: vmbella vtraque inaequali, partiali pluribus radiis, floribus regularibus, ſeminibus ouatis ſtriatis, *Siſon; Ordo III.* inuolucro vniuerſali ex quinque membranulis: vmbella vniuerſali ſubrotunda, denſa, partiali globoſa, inuolucro partiali octofido, ſeminibus tribus ſtriis, margine membranaceis, *Angelica;* vmbella vniuerſali irregulari, conuexa, denſa, partiali denſa plana, inuolucro partiali plerumque ſexfido, ſeminibus ſtriatis villoſis, *Bubon;* vmbella vniuerſali inaequali, partiali radiis exterioribus longioribus, inuolucro partiali aequali, floribus irregularibus, ſeminibus ſtriatis, hiſpidis, *Caucalis;* vmbella vniuerſali laxa, partiali itidem parum conuexa, inuolucro partiali quinquifido floribus regularibus, ſeminibus oualibus, glabris, ab vno latere ſtriatis, *Bupleurum; Ordo IV.* inuolucro vniuerſali ex pluribus membranulis confecto: vmbella vniuerſali laxa ſubconuexa, partiali irregulari denſa, inuolucro partiali ex variis membranulis compoſito, ſeminibus oualibus ex vno latere planis, *Bunium;* vmbella vniuerſali irregulari, depreſſa, partiali parum conuexa, inuolucro partiali

 linea-

linearibus ex membranulis, ſeminibus ſpongioſis, ſtriatis, *Cachrys;* vmbella vniuerſali denſa, ſubconuexa, partiali denſa, plana, inuolucro partiali paucis linearibus foliolis conſtante, ſeminibus tumidis ſtriatis, *Conium;* vmbella vniuerſali plana, ſubconuexa, partiali depreſſa, inuolucro partiali anguſtis membranulis conſtante, ſeminibus ouatis, ſtriatis, *Athamanta;* vmbella vniuerſali ſubconuexa, paucorum radiorum, partiali inaequali, inuolucro partiali paucorum foliolorum, ſeminibus ellipticis tribus ſtriis inſignitis, *Peucedanum;* vmbella vniuerſali conuexa, paucorum radiorum, partiali irregulari conuexa, inuolucro partiali ex foliolis linearibus, radiis aequalibus conſtructo, ſeminibus ellipticis, planiuſculis, dorſo ſtriatis, *Crithmum;* vmbella vniuerſali plana, partiali inaequali, plana, inuolucro partiali paucarum membranularum, ſeminibus oblongis, quatuor membranaceis alis, *Laſerpitium;* vmbella vniuerſali irregulariter conuexa, partiali plana, inuolucro partiali tribus vel quatuor foliolis conſtante, ſeminibus oblongis, quinque ſtriis, *Liguſticum;* vmbella vniuerſali laxa, inaequali, partiali plana et lata, inuolucro partiali foliolis anguſtis, ſeminibus ſubrotundis, turgidis, ſtriatis, *Sium;* vmbella vniuerſali conuexa, partiali globoſa, inuolucro partiali numeroſis breuibus foliolis, ſeminibus ellipticis planis, tribus ſtriis notatis, *Ferula.*

Quum in prioribus flores regulares ſint, nunc
p. 38. ſequuntur vmbellae, inuolucro vniuerſali multorum foliolorum floribus irregularibus: vmbella vniuerſali irregulari, concaua, partiali plana, inuolucro partiali diuiſo, radiis longiore, ſeminibus rotundis, planis, margine dentatis, *Tordylium;* vmbella vniuerſali plana, magna, ſubconuexa, partiali magna, plana, inuolucro partiali foliolis anguſtis, patentibus, ſeminibus ellipticis, planis, ſtriatis, margine membranaceis, *Selinum;* vmbella vniuerſali magna, plana, partiali

tiali plana, aequali, inuolucro partiali diuiſo, foliolis inaequalibus, ſeminibus oualibus, planis, margine membranaceis, *Heracleum*; vmbella vniuerſali irregulari conuexa, partiali compacta, inuolucro partiali foliolis anguſtis, ſeminibus oualibus, planis, ſtriatis, apice coronatis, *Oenanthe.*

Familia II. inuolucro partiali tantum: *Ordo I.* inuolucro partiali trium foliolorum, vmbella vniuerſali irregulari plana, partiali eadem, ſeminibus hemiſphaericis, cauis, *Coriandrum*; *Ordo II.* inuolucro partiali quinque foliolorum: vmbella vniuerſali concaua, partiali plana, ſeminibus rotundis, ſtriatis et planis, *Aethuſa*; vmbella vniuerſali laxa, plana, partiali irregulari, concaua, ſeminibus oualibus, margine membranaceis, *Imperatoria*; floribus irregularibus: vmbella vniuerſali plana, laxa, partiali plurium radiorum, plana, ſeminibus oblongis, baſi latis apice acutis, *Scandix*; *Ordo III.* inuolucro partiali plurium foliolorum, floribus regularibus: vmbella vniuerſali rotunda, partialique, ſeminibus oualibus, ſtriatis, *Cicuta*; vmbella vniuerſali irregulari plana, partiali denſa, rotunda, ſeminibus oualibus, profunde ſtriatis, *Seſeli*; floribus irregularibus: vmbella vniuerſali irregulariter conuexa, partiali rotunda, denſa, ſeminibus oualibus denticulis calycinis coronatis, *Phellandrium*; vmbella vniuerſali expanſa, irregulari, parum conuexa, partiali rotunda, denſa, ſeminibus oblongis, verſus apicem extenuatis, *Chaerophyllum.* p. 45. p. 47.

Tribus III. inuolucro nullo. *Ordo I.* vmbella laxa, paucorum radiorum: vmbella vniuerſali inaequali, partiali denſa, paene plana, ſeminibus oblongo ouatis, ſtriatis, *Carum.* *Ordo II.* vmbella denſa, ſeu plurium radiorum: vmbella vniuerſali conuexa, ampla, partiali denſa, planiuſcula, ſeminibus magnis, p. 56.

oblongis, conuexis, apice acutis, margine membrana lata auctis, *Thapſia*; vmbella vniuerſali magna, plana, partiali denſa, paulum conuexa, ſeminibus ellipticis planis, a latere membranaceis, *Paſtinaca*; vmbella vniuerſali irregulari et inaequali, partiali parum conuexa, ſeminibus gibbis, incuruatis tribus ſtriis notatis, *Smyrnium*; vmbella vniuerſali ampla, plana, partiali denſa et plana, ſeminibus oualibus, ſtriatis, margine membranaceis, *Anethum*; vmbella vniuerſali et partiali paulum conuexis, ſeminibus oblongo ouatis, dorſo tumidis, ſtriatis, nudis, *Foeniculum*; vmbella vniuerſali paulum conuexa, partiali planiuſcula, ſeminibus oblongis, acuminatis, dorſo conuexis, ſtriatis, *Pimpinella*; vmbella vniuerſali et partiali conuexa, ſeminibus oblongis, conuexis, ſtriatis, *Aegopodium*.

Omnia quidem tum ratione deſcriptionum, tum ratione iconum, cum prioribus tomis conueniunt, in nominibus tamen generum nomina anglica tantum adhibita fuiſſe miramur, nos, quod adducere illa non poteramus, Linnaeana, quae ſpeciebus adponuntur, retinuimus. Priora enim non facile intelligerentur, ſic v. c. *Hedge - Parsley* Tordylium, *Fools Parsley* Aethuſa eſt, *Alexanders* Smyrnium ſignificat, cet.

p. 10. Vnicum genus nouum *Tribula* eſt, ex ſpeciebus Caucalis Mauritanica et Seſeli Turbith compoſitum;

p. 24. Athamanta omnes ſpecies Linnaeanas recenſet, ſine reſpectu ad diuerſitatem ſeminum, etſi Anethum et Foeniculum ob hanc cauſſam a ſe iterum diuellit

p. 38. Cl. Auctor, et Bubon Macedonicum, ſeminibus villoſis, ad Tordylium ſeminibus ambitu dentatis retulit. Valent etiam de hac vmbellas diſponendi ratione, quae contra inuolucrorum inconſtantiam in foliolorum numero ab aliis monita fuerunt.

VI. Oe-

VI.

Oeconomical and Medical Obſervations in two Parts. From the Year 1758 to the Year 1763 incluſive, tending to the Improvements of Military Hoſpitals and to the Cure of Camp Diſeaſes incident to Soldiers. To which is ſubjoined an Appendix, containing a curious Account of the Climate and Diseaſes in Africa upon the great River Senegal etc. In a Letter from Mr. BOONE. By RICHARD BROCKLESBY Phyſ. to the Army, Fellow of the Coll. of Phyſ. and of the R. S. London, printed for T. Becket and P. A. de Hondt, 1764. 8. pl. 21.

h. e.

Obſeruationes oeconomicae et medicae, in duas partes diuiſae, ab anno 1758 vsque ad annum 1763 incluſiue, ſuper emendatione noſocomiorum militarium et curatione morborum caſtrenſium. Quibus adnexa eſt appendix, continens relationem de climate et morbis regionis ad flumen Senegal in Africa ſitae, in literis Cl. BOONE. Auctore RICHARD BROCKLESBY.

Libri huius, profecti a longa ſatis experientia et profunda meditatione Cl. Auctoris, cuius candorem amoremque in patriam abunde teſtatur, prima pars continet animaduerſiones miſcellaneas tum de conſeruanda ſanitate militum in vniuerſum, tum praecipue de modo inſtituendi et dirigendi noſocomia militaria. Cum vero eae conſcriptae ſint po-

tiſſimum

tiſſimum in vſum conciuium Auctoris, et proprie ad rem medicam parum ſpectent, eas breuiter indicaſſe ſufficiat. Commendat autem inprimis exſtructionem tuguriorum militarium in locis ſiccis, non paludoſis, aegrosque belli tempore non in conclauibus anguſtis collocandos, ſed, ſi non aliter fieri poteſt, eiusmodi tuguriis raptim exſtructis immittendos eſſe, ſedulo monet. Quantum enim anguſta eiusmodi conclauia, inprimis ſi ea maligno aliquo contagio inquinata ſunt, obſint militum ſanitati, triſtia lo-
p. 62. quuntur exempla. Ex his Cl. Auctor vnum adducit, vbi quinque milites, ſucceſſiue immiſſi conclaui anguſto, in quo aeger, angina maligna laborans, diem obierat, ſimili morbo correpti ſunt, licet conclaue ſaepius et magna cum cura purgatum eſſet. Negare autem non poſſumus, Cl. BROCKLESBY in hac prima obſeruationum parte vſum eſſe dicendi genere nonnunquam ſatis acerbo, tantum non iniurio, quod ſatis teſtantur, quae contra chirurgos Anglos, noſocomia militaria Germanorum, noſtrumque populum in vniuerſum, tandemque contra medicos Gallos dicit.

p. 105. Secunda pars, quae magis ad nos ſpectat, obſeruationes comprehendit, a Cl. Auctore ab anno 1758 ad annum 1763. in Anglia ſuper morbis militum factas. In vniuerſum milites pluribus et grauioribus morbis obnoxii ſunt, quam alii homines, qui vero ipſi morbi ratione anni temporis, climatis et diaetae ordinem quendam ſeruant, ſecundum quem milites ex hibernaculis egreſſos caſtraque petentes inuadunt. Atque ad hunc ordinem Cl. BROCKLESBY ſuas de ſingulis morbis obſeruationes ita diſpoſuit, vt non omnem morbi hiſtoriam explicet, ſed ea tantum proponat, quae ei vel in morbo vel in methodo medendi praecipue attentione digna viſa ſunt.

Agit

Agit autem primum de tuſſi, qui morbus, quam- p. 109.
quam per ſe nullum adfert periculum, tamen eo maio-
rem medici caſtrenſis curam requirit, quo periculo-
ſiores morbi ſint, ad quos ex eius neglectu milites
facillime deducuntur. Hinc ſtatim Noſter venam
ſecat, decoctumque auenae excorticatae cum magna
nitri in eo ſoluti copia porrigit, aegrumque ab omni
victu animali et potu ſpirituoſo arcet. Atque ſimili p. 111.
fere methodo vtitur quoque in rheumatiſmo acuto
ſiue inflammatorio, qui ex perſpiratione ſuppreſſa
oritur, quae non modo obſtructionem partialem in
vaſis ſubcutaneis producit, ſed et vniuerſalem febrem
excitat. In hoc aegris ſuis nitrum, in infuſo aliquo te-
pido ſolutum, tam copioſe exhibet, vt illi haud ra-
ro in viginti quatuor horis decem drachmas nitri
ſumſerint. Neque tanta ſalis huius copia, ſi modo
in potu calido ſumitur, vllam moleſtiam ventriculo
creat, cum vis eius refrigerans, vti Cl. BROCKLES- p. 124.
BY experimenta thermometrica hoc probant, mo-
mentanea tantum ſit, doloresque nitri vſu in ven-
triculo excitati hauſto iuſculo calido ſtatim conſopi-
antur. In rheumatiſmo chronico purgantibus et p. 126.
decocto corticis Peruuiani addito ſale ammoniaco ma-
gis confidit. In arthritide vaga veſicatoria dorſo
vel lateri affecto imponit, nitrum cum ſalibus alca-
linis volatilibus praeſcribit, neque opiata paroxyſmi
tempore, et inter paroxyſmos laxantia et corticem,
negligit. Laudat quoque in rheumatiſmo frigido
infuſum herbae trifolii fibrini, cui tincturam guaia-
ci volatilem addit, *pulueremque* ſic dictum *ſudoriferum*
DOVERI, qui ex opio et ipecacuanha componitur,
cuius vſus nunc Anglis maxime ſollennis eſt. Opium
enim ipecacuanha coniunctum nullam narcoticam
vim habere contendit, vt aliquot eius grana ſine
omni noxa, vt potentiſſimum diaphoreticum, ſumi
poſſint. Nonnunquam tartaro emetico, quem omni-

bus

bus reliquis praeparatis ex antimonio palmam prae-
p. 138. ripere putat, in refracta doſi vtitur. In eryſipelate, quod anno 1760 et 1761 aeſtiuo tempore graſſabatur, quarto vel quinto morbi die, tumore faciei et colli ſubſidente, integumenta ſcroti adeo celeriter haud raro intumeſcebant, vt ſaepius aegrotis gangrae-
p. 145. nae periculum inſtaret. Poſt venae ſectiones in febre ſimplici inflammatoria ſcarificationibus ſummo cum fructu vſus eſt, monet tamen ſedulo, omnes euacuationes ſanguineas in iis febribus plerumque nocere, quae poſt menſem auguſtum milites inuadunt, cum eae fere omnes putridam indolem pro-
p. 155. dant. In pleuritide et peripneumonia nitrum in longe minori copia, quam in aliis inflammatoriis morbis, exhibet, cum in iis ſaepius ſtimulo ſuo corporibus maxime noceat. Vtitur vero potiſſimum in iis tinctura antimonii Cl. HUXHAM, cuius guttas 30 vel 40 poſt quartam venaeſectionem exhibet, veſicatoria porro lateri dolenti imponit et ſcarificationes inſtituit. Aluum, ſi tinctura antimonii non ſoluitur, clyſmatibus liberam reddit.

p. 166. Iam ad autumnales morbos procedit, qui non antiphlogiſticis, ſed antiſepticis magis remediis debellandi ſunt. Inter eos primum locum occupat febris biliosa autumnalis, quae ſingulis annis in caſtris magnam cladem edit. In ea vero aegri torporem ſentiunt, ingratamque in ventriculo nauſeam. Accedit mox horror, quem calor intenſus excipit, quem vel exterius manus adſtantis, hypochondriis admota, percipere poteſt. Sitis clamoſa, pulſus vero plenus et durus eſt, lingua humida cruſta flaua tegitur. Sequitur maior nauſea et irriti conatus vomendi, quos, hypochondrio dextro maxime diſtento, vomitus et crebriores alui deiectiones excipiunt, per multos dies durantes, cholera morbo exorto. In nonnullis aegris morbus ſatis cito ſoluitur, protrahitur in aliis per

per plures ſeptimanas, aegrique vt plurimum pluribus recidiuis obnoxii eſſe ſolent. In aliis in dyſenteriam mutatur. Cadauerum diſſectiones ſemper inflammationem inteſtinorum oſtendunt, quae vel in iis, ſed in parte tantum adeſt, qui morbo iam per ſatis longum tempus affecti fuerunt. In curatione huius morbi duae tantum venaeſectiones, ante quintum morbi diem inſtitutae, ſufficiunt, poſt hunc diem nocent. Conducunt inprimis emetica ex ipecacuanha, licet nonnunquam ventriculus et inteſtina tam parum irritabilia ſint, vt maximae huius remedii doſes vix vomitum aut deiectionem aluinam producant. Proſunt porro hauſtus ſalini medii, ex ſalibus vegetabilibus compoſiti, et purgantia lubricantia, rhabarbarum vero nocet. Imminuta febris violentia, adſtringentibus Cl. BROCKLESBY vtitur, vt cortice quercus et granati, atque radice tormentillae. Adhibet quoque corticem Peruuianum, cuius decocto philonium romanum addit. Aliis opii grana duo cum tribus granis ipecacuanhae, aliis rhabarbarum cum ſapone, aliis ipſum colcothar vitrioli cum philonio porrigit. Corticis ſimaroubae vires vehementer extollit, illumque cortici *Tilicherry* dicto (eſt ex *Codaga Pala* Hort. Mal.) praefert. Huius enim vires haud ſuperant virtutem aliorum aromaticorum calidorum, ſaepeque ille narcotica ſua qualitate adeo nocet, vt Noſter viderit ſpaſmum cynicum ab eius vſu excitatum. Commendat quoque vt optimum roborans vinum Luſitanicum rubrum, Anglis *Red Port* dictum.

Inter morbos contagioſos primum occurrit febris petechialis, cuius ſignum inſignis ſtupor et anxietas cum lingua nigra eſt. Diarrhoea in ea frequenter accedit, qua oborta petechiae euaneſcunt. In non nullis aegris ex ipſis maculis rubris petechiarum ſtriae diuergentes eiusdem coloris ad reliquam p. 199.

cutis

cutis ſuperficiem producuntur, quod inſignis putredinis ſignum eſt. In aliis extremitates gangraena occupat, ſed hi vt plurimum conualeſcunt. Quam primum aeger hoc morbo affectus in noſocomium defertur, corpus eius aqua et aceto tepido lauandum eſt. Omnes euacuationes ſanguineae in hoc morbo alienae ſunt, atque haud raro veſicatoria quoque nocent, cum ſaepius cutem gangraenoſam reddant, inprimis ſi ea multas petechias aut lineas illas ex petechiis diuergentes ſupra deſcriptas oſtendit. Hinc veſicatoriorum vſus tantum in leuiori huius morbi gradu concedendus eſt. Multum autem Cl. Auctor vomitoriorum vſum extollit, quae, ſi oris cauum muco nigro obtegitur, vel octauo aut nono morbi die exhibet. Putat enim, per illa languentem ſecretionem fluidorum lymphaticorum in vniuerſum excitari. Commendat quoque acidiuſculum potum, cardiaca, radicem ſerpentariae et camphoram, atque, ſi putredinis ſigna plura adſunt, decoctum corticis Peruuiani, cui acetum addit. Atque tam parum veretur, ne aceti vſus diarrhoeam excitet, vt vel in putrida diarrhoea oborta illud denuo praeſcribat. Cardiaci loco vinum Luſitanicum rubrum, vel decoctum corticis additis aromatibus adhibet.

p. 231. Ex iis, qui in exercitu Anglico variolis naturalibus corripiuntur, quarta pars perit, ex 130 inoculatis vnicus tantum. Ante eruptionem in variolis venaeſectione rarius, vomitorio vero vel purgante ſemper in militibus vtitur. In ſaliuatione ſuppreſſa ſpermati ceti et oleo oliuarum vinum addit ipecacuanhae. In malignis et confluentibus corticem Peruuianum et ſpiritum vitrioli adhibet, atque, ſi aegri corticem reſpuunt, ſpiritu vitrioli fortiore aqua diluto in tanta copia vtitur, vt aeger aliquis vltra vnciam vnam eiusdem quouis die ſumſerit. Purgantia, nimis frequenter poſt variolas ſuperatas exhibita,

atque

atque intempeſtiuam opii in omnibus huius morbi ſtadiis exhibitionem, damnat. In omnibus vero his morbis aeris renouationem ita commendat, vt ei plus ſaepe in ſanandis morbis, quam medicamentis, tribuat.

Supereſt, vt breuiter de chronicis morbis diſpi- p. 250.
ciamus. In febribus autumnalibus intermittentibus ſemper euacuantibus ante corticis vſum opus eſt, cum cortex ſaepe hac cautione neglecta noceat. Si breuiſſimae tantum ſunt, inter paroxyſmorum interualla, corticis decocto myrrham vel ſerpentariam addit. Calculi biliarii, qui in vna eademque veſicula p. 258.
includuntur, ſemper ſibi forma et figura ſimiles ſunt. Diarrhoea, quae icterum in frigidis regionibus comitatur, minime reprimenda eſt, hoc tamen fieri debet in ea icteri ſpecie, quae in calidis regionibus accedit. Saepius et vtiliter in ictero vomitoria adhibuit. In hydrope corticem ebuli inſignem exſerere vim, repetita experientia Cl. Auctorem docuit. Ex anthelminticis filamenta ſtanni contra taeniam, atque ad vermes in vniuerſum, eorumque reliquias expellendas, *Caryophyllum americanum anthelminticum* ſiue *Anthelmiam* extollit. Cum ſcabiem ab inſectis tantum deriuet, nullis remediis internis, ſed ſolo vnguento cum ſulphure vtitur. In gonorrhoea inte- p. 289.
rius nulla mercurialia exhibet, audat autem iniectiones cum mercurio ſublimato, aut cum calomel et gummi Arabico, cui parua vitrioli albi copia additur. Inter omnes praeparationes mercuriales maximum vſum Cl. Auctori attulerunt pillulae Plumerianae, et Swieteniana mercurii ſublimati corroſiui ſolutio. In morbis venereis, cum febre hectica coniunctis, quartam partem grani vnius mercurii ſublimati corroſiui in decocto ſaturato radicis ſaſſaparillae cum lacte diluto porrigit. In ſcorbuto tandem p. 301.
nihil magis prodeſt, quam corticis Peruuiani vſus.

p. 312. Atque huius diuini remedii vires multis quoque decorantur laudibus in epiſtola Cl. BOONE, quae huic libro adnexa eſt. In febribus enim bilioſis et putridis, quae in inſula Senega inſaluberrima tanta malignitate graſſantur, vt intra tres annos 2500 Angli ibi hinc perierint, vnicum remedium, quod reliquos ſeruauit, cortex fuit, quem tanta in copia aſſumſerunt, vt illis cibi quaſi loco eſſet. In hiſce febribus venaeſectiones plane alienae ſunt, concedit tamen Cl. BOONE, ſi dolores capitis nimis frequentes ſunt, ſcarificationes. In dyſenteria, quae febribus bilioſis conquieſcentibus ſe oſtendit, opiatorum frequentior vſus, quam in Europa, requiritur. In ſcorbuto ſanando pariter cortex magnam vim habet.

VII.

An Account of the Diſeaſes, which were moſt frequent in the British Military Hoſpitals in Germany, from January 1761 to the Return of the Troops to England in March 1763. To which is added an Eſſay on the Means of Preſerving the Health of Soldiers and conducting Military Hoſpitals. By DONALD MONRO M. D. Phyſ. to the Army, and to St. George's Hoſpital. London printed for A. Millar, D. Wilſon etc. 1764. 8. 1 Alph. 3½ pl.

i. e.

Relatio de morbis maxime frequentibus in noſocomiis Anglicis militaribus in Germania, a menſe 1761 vsque ad reditum exercitus Anglici in Angliam menſe Martio 1763. Cui additum

additum eſt tentamen ſuper mediis praeſeruandi militum ſanitatem et methodo dirigendi noſocomia militaria. Auctore DONALD MONRO.

Cl. DONALD MONRO, qui ſuo de hydrope libello *) iam inclaruit, atque temporibus vltimi belli munere medici caſtrenſis apud exercitum Britannicum in Germania functus eſt, proponit hic ſuas obſeruationes ſuper iis morbis, qui ei illo ipſo tempore maxime in praxi ſua militari occurrerunt. Ita vero in ea re verſatur, vt primo ſingulorum morborum hiſtoriam deſcribat, per omne tempus, quo noſocomia direxit, addat occaſionales eorum cauſſas, atque ſubiungat tandem methodum iis medendi, tum ſuam, tum aliorum celeberrimorum practicorum. Cum vero hic liber inſignem copiam obſeruationum contineat, atque ſpatii anguſtia haud permittat, omnem Cl. Auctoris methodum explicare; ſufficiat morbos, de quibus agit, nominaſſe, atque adiunxiſſe obſeruationes quasdam, ſpeciminis loco ex toto opere excerptas.

Initium facit a febre maligna et petechiali. Nunquam in hoc morbo miliarem eruptionem vna cum petechiis obſeruauit, licet non neget, id fieri quandoque poſſe. Venaeſectionem in primo morbi ſtadio adminiſtrauit, rarius tamen eam repetiit niſi vrgentibus ſymptomatibus. Saepe hic morbus in initio inflammatoriam habebat indolem. Contra Cl. DE HAEN cardiacorum vſum in hoc morbo confirmat, ita vt ea cortici Peruuiano haud raro addi debeant. Veſicatoria ei non tantum vſum attulerunt, quantum ab iis exſpectauit. Corticis autem vires multum extollit. Pro varia indicatione ei varia addidit reme- p. 1.

*) vid. Comment. hor. Vol. VI. P. IV. p. 688.

remedia, vt cardiaca, oxymel ſquilliticum, opiata et ſpiritum MINDERERI. Quodſi poſt petechiarum eruptionem ſigna aderant plethorae, conſilium Cl. HASENOEHRL ſecutus, venaeſectionem optimo cum ſucceſſu adminiſtrauit. In ea tamen cautionem adhibendam eſſe monet, ne aegri vires nimium imminuantur, quapropter ſtatim poſt eam corticem in larga doſi vult porrigi. De vſu ſalium alcalinorum volatilium ita ſentit, vt putet, ea omnino, ſi pulſus debilis eſt, et lipothymiis aegri ſubiecti ſunt, vt cardiaca adhibenda eſſe. Attamen acida ſimul, ad acrimoniam alcalinam corrigendam, dari debere, et ſimul ac aegri paullulum conualuerunt, alcalinorum vſum plane intermittendum eſſe, cum illa ſalia in corpore humano, licet carnem a putredine praeſeruent, tamen putredinoſam reſolutionem excitare valeant. Gangraena, qua aegri, febre petechiali laborantes, nonnunquam in extremitatibus afficiuntur, vt plurimum oritur ex cubilibus nimis frigidis, in quibus aegri aeris iniuriae nimis ſunt expoſiti. Quodſi veſicatoria in initio, quando vires nondum deiectae ſunt, adhibentur, tunc vlcera gangraenoſa haud fiunt. Si vermes aderant, rhabarbarum cum calomel Noſter adhibebat.

p. 57. Sequitur dyſenteria, in qua inteſtinum rectum ſaepe inflammatum eſt, verumque pus per aluum excernitur. Si aegri, qui in noſocomium deferuntur, recenti dyſenteria laborant, tunc vt plurimum curatio ex voto ſuccedit, contrarium euenit in iis, in quibus morbus iam aliquantum durauit. Rhabarbarum in initio morbi Noſter non laudat, ſed eius loco vtitur hauſtu ex manna, oleo amygdalarum et ſale amaro parato; ſi tormina ſumma adſunt et teneſmus, nonnulli medici cum fructu emulſionem ex cera et ſapone paratam adhibere ſolent. Ex adſtringentibus cortice Peruuiano cum aliis adſtringentibus et

opiatis,

opiatis, ac potiſſimum decocto ſimaroubae, in cholera vero diluentibus ad acrimoniam obtundendam, p. 97.
cardiacis, fomentis et leuioribus opiatis Cl. MONRO vtitur.

Sequuntur morbi inflammatorii. In febre in- p. 104.
flammatoria poſt euacuationes puluerem antimoniatum, qui ex tartaro emetico et terreo paratur, ſaepe cum inſigni fructu in refracta doſi dedit. Por- p. 111.
ro de angina loquitur et pleuritide, in qua venaeſectiones ad lipothymiam vsque inſtituit. In ae- p. 116.
gris, qui peripneumonia obierunt, pulmones vehe- 123.
menter inflammati et in iis maculae gangraenoſae, in aliis abſceſſus erant; nonnunquam pulmones tanta copia ſanguinis repleti deprehendebantur, vt aquae immiſſi ad fundum vaſis deſcenderent, pleura ipſa non multum affecta. In iis e contrario, quos pleuritis ſuſtulerat, pleura et intercoſtales muſculi vehementer inflammati erant, atque hinc inde gangraenoſas maculas oſtendebant, parua tantum parte in pulmonibus contiguis vitiata.

Accedit porro ad tuſſim et phthiſin. In hac ſi p. 124.
obſtructiones confirmatae ſunt, et expectoratio haud bene ſuccedit, corticis Peruuiani vſus noxius eſt, cum hoc medicamentum febris impetum augeat vel excitet. Idem de balſamo Peruuiano et de copaiua valet. Quodſi autem vera adeſt vomica, atque aeger tuſſi purulentam materiam reiicit, tunc cortex egregios praeſtat effectus. Saepius Cl. Auctori in praxi ſua ſetacea et fonticuli, propius ad partem dolentem applicati, inſignem vſum attulerunt. In conſummata phthiſi vſum opiatorum cum oxymelle ſquillitico commendat. Adnectit porro Noſter tractationem de febre epidemica catarrhali, *influenza* dicta, quae anno 1762 menſe aprili per totam fere Europam graſſata eſt, ex qua tamen pauci tantum perierunt. In ea rheumatiſmi ſpecie, quae cum fe- p. 141.

 bre

bre eſt, Cl. Auctor diaphoretica, ſub initium morbi data, noxia deprehendit, in chronico vero mercurialia nullam opem attulerunt, licet ſaliuatio nonnunquam
p. 154. eorum vſu excitaretur. In febre autumnali intermittente cutis ſaepe tantam, quantam in ictero ſolet, flauedinem oſtendit. Nullam Cl. MONRO in hoc morbo regularem criſin obſeruauit, praeter ſudores; atque febris haec in iis aegris, qui ex ea pereunt, ſemper in continuam tranſit. Poſt venaeſectionem, vomitorium et purgans, Cl. Auctor refrigerantibus et leuioribus diaphoreticis, in aliis vero puluere antimoniato, ſuperius a nobis indicato, vtebatur. Contra hunc morbum vires corticis Peruuiani nullae erant, licet haud raro ille in febrem remittentem mutatus eſſet.

p. 174. In febribus intermittentibus, ſi aegri ſanguine abundant, venaeſectio ſemper ante corticis exhibitionem inſtituenda eſt; hac enim cautela neglecta, medicamentum hoc febrem haud raro non minuit, ſed potius accendit. Si febris ob aegri debilitatem mox in initio ſupprimenda eſt, nullis praegreſſis euacuationibus, tunc cortici rhabarbarum ſuaſu Cl. Auctoris admiſceri debet. Si ventriculus nimis debilis corticem vomitu reiicit, is clyſmatum ope ingeri poteſt; quod et de infantibus valet, qui omnem vſum corticis, ob nauſeoſam eius amaritiem reſpuunt. Minime hoc quoque medicamentum nocet, ſi ictéritius in aegro eſt habitus, cum cortex icterum non augeat, ſed potius ſoluat. Nam in vniuerſum ex Noſtri ſententia ii caſus, in quibus cortex Peruuianus nocuit, aut obſtructionibus gignendis anſam praebuit, magis adſcribendi ſunt vi et pertinaciae
p. 206. morbi, quam vſui corticis. In ictero vomitoria vtiliſſima ſaepe eſſe, variis hic exemplis confirmatur.
p. 216. Nonnunquam balneorum in hoc morbo vſus reliquorum medicamentorum actionem inſigniter auget. Vernali tempore an. 1761 multi ex aegris, qui hieme antece-

antecedente in noſocomiis fuerant, tumoribus in exteriore pectoris parte adficiebantur. Hi lente et nunquam plenarie in ſuppurationem abibant, ſed remanebat ſemper tumor durus, atque aegri tandem, ſterno et coſtis carioſis redditis, abſceſſu nonnunquam ad interiora pectoris penetrante peribant.

Tranſit porro Cl. Auctor ad paralyſin, et vrinae p. 220.
incontinentiam, quem morbum milites ſaepe mentiuntur, tandemque ad retentionem vrinae. Epilepſia raro in noſocomiis militaribus curatur, licet p. 237.
ea inter milites, qui aeſtiuo tempore longis itineribus defatigati in humido ſolo cubant, frequens ſit.
In variolis etiam Cl. Auctor iis aegris, in quibus de- p. 243.
glutitio laeſa erat, corticem Peruuianum in clyſmatibus dedit. Scorbutus verus tempore vltimi belli in exercitu Anglico tantum 1762 Bremae graſſabatur. Contra ſcabiem Cl. MONRO vtitur ſolo deco- p. 265.
cto aut vnguento radicis hellebori albi. Cum vero hoc medicamentum ob acrimoniam ſuam ſaepe inflammationem excitet, magis commendat vſum ſulphuris, cui, cum perſpirationem ſupprimat, purgantia quoque ſubiungit. Mercurialium vſus in omni ſcabie, quae non venerea eſt, reiicitur.

Sequitur breuis *Pharmacopoeia in vſum noſocomii regii militaris Britannici.* Hanc excipit *tentamen de* p. 275.
mediis praeſeruandi ſanitatem militum in vniuerſum, p. 307.
aliudque *de ratione dirigendi noſocomia militaria.* Cum vero regulae hic propoſitae vel ex aliis ſcriptoribus p. 355.
ſumtae, vel eiuſmodi ſint naturae, vt commode in compendium redigi nequeant, finem hic faciamus, perſuaſi, Lectores noſtros ſatis ex iis, quae protulimus, intellecturos eſſe, quanta ſit huic Cl. Auctoris inſtituto laus tribuenda.

)o(

VIII.

Obſervations on the Diſeaſes of the Army, by IOHN PRINGLE, Phyſ. in ordinary to her Majeſty. The fifth edition corrected. London printed for A. Millar, D. Wilſon etc. 1765. 4. 2 Alph. 15 pl.

i. e.

Obſeruationes de morbis militum. Auctore IO. PRINGLE. Editio quinta.

Retulimus quidem de egregio hocce libro iam eo tempore ad Lectores noſtros, quo prima eiusdem editio in publicum prodierat *), ſed ſperamus tamen, non inutilem nos operam ſuſcepturos eſſe, aut rem ingratam praeſtituros lectoribus, dum etiam de noua hac editione exponimus. Nam in vniuerſum ea, quae Cl. Auctor tum ex propriis tum aliorum obſeruationibus correxit et addidit, ita augent huius libri praeſtantiam, vt ad huius editionis commendationem non opus ſit commemorare externam eiusdem elegantiam et nitorem, etſi ſummus ſit. Pauca tantum in duabus prioribus huius operis partibus mutata ſunt, longe vero plura augmenta et additamenta in tertia occurrunt. Ex quibus emendationibus, cum ſingulas, quod in animo habebamus, recenſere, ſpatium non permittat, ſequentes tantum, vt praecipuas, ſpeciminis loco adnotaſſe ſufficiat.

p. 127. Inter ſigna, quae felicem exitum in omni *morbo inflammatorio* promittunt, animi deliquia potiſſimum
p. 129. ab Auctore numerantur. Pulueres ex terreo, radice contrayeruae et nitro compoſitos, quibus antea Noſter vſus erat, plane nunc reiicit, cum omni vi ca-
p. 130. reant. Veſicatoriis, nunc tantum in cephalalgia et

*) vid. Comment. horum Vol. II. pag. 393 ſqq.

et morbis pectoris inflammatoriis, non vero amplius in omni inflammatorio morbo, vtitur. Opiata in hiſce febribus conducere putat tantum in eo caſu, quando poſt febres ſuperatas ex debilitate vigiliae remanent. Attamen tunc temporis ſemper quoque aluus enematum ope libera ſeruanda eſt. In *phre-nitide*, nullo veſicatorio capiti impoſito, ſaepe ſola capillorum abraſio profuit. Laudat quoque Cl. PRINGLE efficaciam ſalis ſedatiui HOMBERGII, quam aliquoties in hoc morbo expertus eſt. Pedibus fomenta, ex aqua et aceto compoſita, eodem fere, quo WHYTTIUS, modo, inſigni cum fructu applicauit. Agnoſcit nunc gargariſmatum ex infuſo ſal-uiae et oxymelle compoſitorum virtutem in *angina*, ſi ſyringis ope ea iniiciuntur, ſique in hoc morbo abſceſſus adeo quidem profunde in collo formatur, vt eum ſcalpellum non attingere poſſit, illum emetici ope rumpere iubet. p. 134. p. 138.

Pleuritidem et *peripneumoniam* Cl. Auctor nunc vt vnum eundemque morbum conſiderat, licet in peripneumonia ſaepe ſoli pulmones, in pleuritide vero ſemper vna cum pleura pulmones quoque inflammati ſint. Parti, vbi intus dolor et punctiones ſentiuntur, veſicatorium applicat, quodſi vero oppreſſorius tantum ſenſus in pectore eſt, veſicatorium primo inter ſcapulas, deinde in latus dextrum vel ſiniſtrum ponit. Ea enim eſt veſicatoriorum in hoc morbo efficacia, vt, vel extremitatibus applicata, tamen morbum leuiorem reddant, et expectorationem promoueant. Interius adhibet Cl. PRINGLE pectoralia, aliaque, quae materiae eiectionem adiuuant. Linctui, ex ſyrupo et ſpermate ceti parato, aliquot grana ſalis cornu cerui addit. Laudat quoque vaporem aquae et aceti per os hauſtum. p. 142.

Caput, quod *de inflammatione ventriculi et inteſtinorum* inſcribitur, etiam inſigniter in hac editione au- p. 147.

ctum deprehendimus. Veteres omnem inteſtinorum inflammationem ileum dixiſſe, obſeruat. SYDENHAMUM porro taxat, quod, de hoc morbo ſub nomine colicae bilioſae agens, venaeſectionem non commendauerit, cui tamen Cl. PRINGLE in impediendo progreſſu inflammationis et gangraenae multum tribuit. Multum quoque proficere contendit, ſi veſicatoria abdomini dolenti imponantur, cum ſaepe antiſpaſmodica ſua vi ventrem ſoluant. Ex remediis, interne porrigendis, multum laudat laxantia, maxime vero ſolutionem ſalis cathartici aquoſam. Cum ventriculus, qui omnia alia reiicit, ſaepe eiusmodi ſolutionem retineat, ſuſpicio nata eſt Cl. Auctori, ſalia media forte ſedatiuam quandam vim obtinere. In vomitu pertinaciſſimo ſaepe, MEADIUM ſecutus, purgantia cum opiatis coniunxit, neque enemata in omni huius morbi cura neglexit, quae tamen ex mente Noſtri ſola ſua ſtimulante virtute
p. 153. agunt. Magnum quoque in hoc morbo praeſidium poſitum eſt in vſu mixturae RIVERII, ex ſale abſinthii et acido citri compoſitae, et ſub ipſa efferueſcentia hauſtae. Nonnunquam latens in corpore arthritica materia ilei ex noſtri obſeruatione cauſſa eſt, qui ſuccedente podagrico inſultu ſoluitur. Magna cautione opus eſſe monet, ne in diagnoſi inflammationis inteſtinorum erremus. Saepe enim, obſeruante hoc iam SWIETENIO, in eiusmodi morbis parua tantum febris adeſt.

p. 160. In *rheumatiſmo* chronico ſolutionem gummi guaiaci, cui pauxillum ſalis volatilis additur, commendat; morbi vero impetu ſublato, corticem peruuianum in auxilium vocat. Adhibuit quoque Noſter in rheumatiſmo pertinaciore DOUERI pulueram. Sudores
p. 165. colliquatiuos in *phthiſi* compeſcit vſu aquae calcis vel elixirii vitrioli, reiicit vero nunc in hoc morbo omnia balſama. E contrario in phthiſicis paruas venaeſectio-

ſectiones ſaepius repetitas inſtituit, diaetam lacteam et vegetabilem, ſetacei adplicationem, equitationem et aerem liberiorem commendat. Concedit quoque infuſum corticis Peruuiani, cum id, ex eius obſeruatione, nullum calorem in aegro excitet.

Cauſſam remotam et externam *febrium remittentium et intermittentium*, quae in caſtris graſſantur, ponit Noſter in calida et humida atmoſphaerae diſpoſitione, internam vero et praediſponentem in laxitate ſolidarum partium, et putredinoſa diſpoſitione humorum, quae ex aeris conſtitutione orta eſt. Occaſionales tandem cauſſae vt plurimum omnia illa diaetae vitia ſunt, quae ſanguinis motum vehementer excitant, vel perſpirationem ſupprimunt, quae quidem ſuppreſſio eo magis nocet, quo maior eſt corruptio, qua humores iam antea vitiati ſunt. Proximam vero cauſſam harum febrium definire Cl. Auctor non audet, cum, vti in omni, ita etiam in hoc morbo, multa adhuc obſcura ſint. A veteribus febres hae ideo bilioſae dicebantur, quia bilis vitium pro cauſſa horum malorum habebant. Bilis tamen corruptio magis effectus eſt, quam cauſſa morbi, licet non negandum ſit, bilis deprauationem, ex febre ortam, ſecundam cauſſam irritationis et malorum ab irritatione pendentium eſſe poſſe. Relationi porro de hoc morbo Cl. PRINGLE in hac editione ſubiunxit relationem Cl. HUCK de febre bilioſa Indiae occidentalis. Ex ea patet, febrem flauam (*the yellow fever*) a remittente vel intermittente bilioſa gradu tantum differre. In cura febrium caſtrenſium nunc Cl. PRINGLE poſt venaeſectionem ſtatim purgans dat, et poſt illud quartam partem grani tartari emetici ter vel quater de die porrigit, cum in vſu huius remedii maius praeſidium, quam in vſu ipecacuanhae, poſitum ſit. Vix vnquam febres illae, niſi in veras tertianas vel quartanas iam mutatae

p. 183.
p. 197.
p. 201.

ſint,

ſint, corticis ope tuto ſupprimuntur, quo medicamento in vniuerſum in huius morbi medela vix opus
p. 210. eſt. Si vermes adſunt, qui ſaepe multa ſymptomata in hoc morbo excitant, citius illi expellendi ſunt purgantis ope ex rhabarbaro, cui calomel additum eſt. Communicantur quoque obſeruationes Cl. DE MONCHY, medici Roterodamenſis, de hoc morbo. Hic vomitorium tres vel quatuor horas ante paroxyſmum dat, deinde eccoproticis aluum per omnem morbum laxam ſeruat, atque hac methodo quotannis magnam aegrotorum copiam autumnali tempore curat.

p. 219. Tractationi *de dyſenteria* pariter quoque multa in noua hac editione ab Ill. Auctore addita ſunt. Huc pertinent primo ea, quae de ſignificatione vocis
p. 222. *dyſenteriae* in vniuerſum profert. Porro tam ex ſuis, quam ex aliorum medicorum obſeruationibus, contra SYDENHAMUM probat, minime tot dyſenteriae ſpecies dari, quot variolarum, medendique methodum vix adeo diuerſam requiri. Negat quoque contra eundem, dyſenteriam reperiri, in qua nullae ſint deiectiones, atque in curatione non ſemper requiri euacuantia, ſed quandoque omnem curam laudani ope abſolui poſſe. Ipſa quoque morbi huius deſcriptio, eaque, quam SYDENHAMUS dedit, multum auctae hic deprehenduntur. Corpuſcula pinguia ſiue carunculae, quae ſaepe cum excrementis in dyſenteria eiiciuntur, ex Noſtri obſeruatione caſei naturam habent. Quaenam partes inteſtinorum in dyſenterico adfectae ſint, difficulter, nec aliter, quam ex obſerua-
p. 246. tione ſymptomatum, definiri poteſt. In diſſecto cadauere dyſenterici Cl. Auctor puſtulas variolarum ſimiles in craſſis inteſtinis inuenit. Harum ſedes in celluloſa, quae villoſae ſubiicitur, erat, villoſa vero ipſa illaeſa. Simile quid alii quoque obſeruarunt, licet id ignorare videantur BONNETUS et MORGAGNUS.

Cauſſa

Cauſſa dyſenteriae remota eadem eſt, quae febrium p. 251.
bilioſarum, exacte quoque praediſponentes et occa-
ſionales vtriuſque morbi inter ſe conueniunt. Dif-
fert tamen vterque morbus in eo, quod dyſenteria
contagioſa ſit, contagio per excrementa inprimis
propagato. Cauſſa dyſenteriae proxima a Cl. Aucto- p. 256.
re non amplius in putrido fermento ponitur, ſed ac-
cedit magis ad LINNAEI opinionem, qui eam in
diſſ. *exanthemata viua*, animalculis quibusdam adſcri-
pſit. Licet Cl. Auctor, veteres ſequutus, dyſenteri-
am ad bilioſos morbos retulerit, tamen bilis, quam-
uis in initio morbi corrupta eſſe poſſit, vbi morbus
iam adoleuit, nullo manifeſto vitio laborat, neque
ipſum hepar aut veſicula fellea afficiuntur. Vitri p. 260.
antimonii cerati vſum, licet de praeſtantia huius re-
medii perſuaſus ſit, nunc plane neglegit. Vtitur
vero ipecacuanha, cui pauxillum tartari emetici ad-
dit, ſique purgante opus eſt, rhabarbarum cum ca-
lomel iunctum exhibet. Opiatis in hoc primo ſta-
dio parum confidit. Adducuntur quoque Cl. HUCK
de dyſenteria obſeruationes, qui etiam ipecacuanha
cum pauxillo tartari emetici iuncta in refracta doſi
vſus eſt, et methodus Cl. MONRO, qui, vti ex eius
libro notum eſt, purgans ex manna, ſale et oleo
compoſitum exhibet. In ſecunda periodo Noſter p. 270.
laxantia et ſal amarum dat. Clyſmata quoque, ad-
dito iis laudano, commendat, et hac methodo opi-
um in dyſenteria optime exhiberi poſſe, contendit.
Si acida in ventriculo adeſt acrimonia torminaque
excitat, terrea commendantur, ſi vero nullum acidum
praeſens eſt, mucilaginoſis acrimonia inuoluenda eſt.
Adhiberi quoque poteſt ſolutio cerae cum ſapone, a
Cl. MONRO iam laudata. Si pulſus debilis ſit, et
aphthae, ſingultus, anxietas praecordiorum aliaque
mala ſymptomata accedunt, corticem cum ſerpen-
taria porrigit, qua methodo etiam Cl. WHYTT in

praxi

praxi ſua vſus eſt. Cl. HUCK, ſi inteſtina inflamma-
ta ſunt, et gangraenae metus eſt, clyſmata ex deco-
p. 277. cto corticis vel aliis adſtringentibus iniicit. Cum in
graui morbo ventriculus ſolam fere aquam calidam
retineat, forte ea ſola ad dyſenteriae curam ſuffice-
re poſſet. Probant hoc obſeruationes Noſtro ab
Ill. SENAC communicatae. Hic poſt venaeſectio-
nem et emeticum, neglectis omnibus medicamentis
aliis et alimentis, iuſculum tantum tenuiſſimum ex-
hibet, in cuius menſura vna granum vnum tartari
emetici ſolutum eſt, ſique tormina adſunt vehemen-
tiſſima, ad ea ſopienda ſyrupo papaueris albi vtitur.
p. 279. Tertium morbi ſtadium Cl. Auctor ponit in teneſmo,
aegro poſt morbum ſuperatum adhuc moleſto, vel
in debilitate inteſtinorum ex morbo relicta. Si te-
neſmus oritur ex faecibus induratis, conducit vncia
vna ſalis amari, in menſura vna aquae ſoluta, per
hauſtus ſumenda. Si ex vlcere prouenit, opiata ex-
hibenda ſunt, vel ſebum veruecinum in lacte co-
ctum, cui amylum addi poteſt. In recidiua adſtrin-
gentia curam abſoluunt. Simarouba non multum
laudatur, atque Cl. HUCK, eam tantum in ſtadio ter-
tio vtilem eſſe, inuenit. Inprimis vero ſub vſu ro-
borantium diaetae ratio in hoc ſtadio habenda eſt,
cum in ſola lactea vel vegetabili diaeta maius ſaepe
auxilium ſit, quam in medicamentis.

p. 287. Ex iis, quae Cl. Auctor de *febre carcerum* vel no-
ſocomiorum maligna habet, ſequentia notaſſe ſuffi-
p. 290. ciat. Vnicum fere ſignum pathognomonicum, ex quo
in initio a reliquis febribus diſtinguuntur, manuum
p. 297. tremores ſunt. Ex Cl. CLEPHAN obſeruatione
morbus die decimo ſeptimo potiſſimum in melius
mutatur. Quodſi aeger, in quo morbus iam adoleuit,
de nauſea conqueritur, magnum periculum ei im-
minet. In aliis febribus, contra idem hoc ſympto-
ma Cl. Auctor Riuerianam mixturam vtilem depre-
hendit.

hendit. Analepticorum vſus nunquam criſin accelerat, quae raro ante decimum quartum diem morbum ſoluit. Veſicatoriorum loco, ſi periculum phrenitidis imminet, fomenta ex aqua et aceto, ſupra iam laudata, hic quoque vtiliſſima dicit. Tumores metaſtatici ſaepe cataplaſmatum vſu, ſi ea frigefacta ſunt, materia per frigus retropreſſa, deſidunt, hinc ſaepius mutanda, vel eorum loco emplaſtra gummoſa adplicanda ſunt. Poſt morbum ſuperatum vel criſin factam cortex optimos effectus habet, morbique reditum impedit. p. 315. p. 318.

Supereſt, vt de iis, quibus appendix aucta eſt, breuiter dicamus. Pertinent vero ea partim ad Cl. Auctoris cum Cl. DE HAEN controuerſiam, partim ad ea, quae Cl. GABER contra Noſtri experimentum adduxit. Contra Cl. DE HAEN libellum *de febrium diuiſione* Cl. PRINGLE varia monet. Negat primum, ſe aliquid in libro ſuo de morbis militum de febre miliari protuliſſe, aſſeritque, ſe nunquam febrem miliarem et malignam noſocomiorum pro ſimili morbo habuiſſe. Neque maligna febris Noſtri cum febre petechiali a Cl. DE HAEN deſcripta eadem eſt, cum in febre carcerum, petechiae non ſemper adſint, petechialis contra ſemper ſit cum petechiis. Contendit porro, petechias, prout eas Cl. DE HAEN deſcripſit, non conuenire cum maculis a ſe obſeruatis. In Anglia in vniuerſum rariſſime occurrunt, neque cutis variegationes, a Cl. PRINGLE obſeruatae, reſponderunt deſcriptionibus petechiarum ab aliis traditis. Maculae vero hae, quibus aegri corpus variegatum eſt, oriuntur ex effuſione ſeri et ſanguinis per putredinem reſoluti in ipſius cutis cellulas. Hinc rariſſime in facie occurrunt, cum ibi cutaneus habitus longe ſtrictior ſit, quam in reliquo corpore. Vibices vero ſiue ſtriae purpureae, quae non nunquam obſeruantur, oriuntur ex disru- p. 94. p. 97. p. 100.

diſruptione vaſorum cutaneorum, a putredine quodammodo ſolutorum, per digitos aegri corpus ſcalpentis. Errat Cl. DE HAEN, dum ſedem petechiarum in cuticulam vel telam celluloſam, quae inter cutem et cuticulam eſt, ponit, neque ſub cute in pinguedine vel muſculis ſedent. Credit Noſter, Cl. DE HAEN nunquam petechias vidiſſe. Vix enim, ſi vidiſſet, eas ad eruptiones miliares referret, cum quibus non magis, quam cum variolis, conueniunt.
p. 107. Defendit porro medicos Anglos, oſtenditque, illos minime regimine calidiore miliarium generationi anſam praebere. Saepe enim, vel optima antiphlogiſtica methodo adhibita, tamen miliaria erumpunt, et critica ſunt, nam ſymptomata tollunt. Neque in maligna febre calidioris regiminis effectus petechiae ſunt. Cum enim illae maculae a putredine oriantur, tunc tantum proueniunt, quando vitalis indicatio nimium neglecta fuit, aut vires depreſſae ſunt. Interim, licet Cl. PRINGLE miliarem febrem non attigerit, neque petechialis febris Cl. DE HAEN idem ſit morbus cum febre maligna Noſtri, tamen methodum ſuam ita defendit, vt doceat, ſe non nimium aegros calefacere, atque cardiaca tantum porrigere, vbi vires aegri nimium depreſſae ſunt, in quo caſu optimum effectum habere ſolent. Hinc optat Noſter, vt Cl. DE HAEN non theoreticis argumentis, ſed experientia, contrarium probare velit.

p. 110. Secunda controuerſia, quae Noſtro cum Cl. DE HAEN intercedit, eſt de vſu camphorae. Aſſerit vero Cl. PRINGLE, ſe camphora tantum vti ad ſpaſmos leniendos, vbi delirium imminet, et ad blandam diaphoreſin excitandam, nunquam vero ſe illam vt paregoricum vel analepticum adhibere. Ter-
p. 112. tia eſt de vi antiſeptica alcalinorum fixorum. Volatilis odor, quam Cl. DE HAEN poſt admixtionem alcali fixi in vrina obſeruauit, ortus eſt ex alcalina

volati-

volatili parte vrinae, quam alcali fixum expulſit, neque putredinis ſignum fuit.

Cl. GABER in miſcellaneis Taurinenſibus *) probauit, omnino humores noſtros, dum corrumpuntur, alcalinos fieri, quod Cl. PRINGLE antea negauerat. Concedit nunc Cl. PRINGLE, in putrefactione omnino eſſe aliquod tempus, vbi partes animales putrefactae cum acidis efferueſcant. Ipſe enim Noſter bilem ex icterico ſumtam cum acidis efferueſcere vidit. Expulſo vero et difflato alcali hoc, putrefacta corpora nullum amplius efferueſcentiae ſignum dare ſolent. p. 117.

IX.

Principia medicinae. Auctore FRANCISCO HOME, Medico Regio, et Collegii Medicorum Edinburgi Socio. Editio ſecunda. Edinburgi impenſis A. Millar etc. 1762. 8vo. pl. 20.

Cl. Auctor in compendium hoc praecipua medicinae practicae principia ita redigere conatus eſt, vt hiſtorias morborum depingeret, curationesque vſu confirmatas breuiter et ſuccincte traderet. Vſus vero eſt praecipue HOFFMANNO ex recentioribus, addidit tamen tum aliorum celeberrimorum practicorum, tum ſuas quoque hinc inde obſeruationes.

Diuiſum autem eſt totum hoc opus, praelectionibus academicis accommodatum, in tres libros, quorum primus *de ſanitate et morbis* in genere, ſecundus *de morbis febrilibus*, et tertius *de morbis non febrilibus* agit. Traditur itaque in primo libro hygieine, pathologia et therapia generalis breuiſſime. p. 1.

In

*) vid. Comment. Vol. VIII. pag. 594.

p. 51. In libri ſecundi parte prima Cl. Auctor de di-
uerſis morborum diuiſionibus diſputat, febreque in
p. 63. vniuerſum. Calor febrilis non tantum ab attritu,
ſed etiam, cum neque in morboſo, neque in ſano ho-
mine calor exacte quadret augmento vel diminu-
tioni motus, a continua humorum in putredinem
procliuitate prouenit, praecipue in putridis. Pu-
tredinem enim ſemper calor ſequitur; quo maior
eſt putredo, eo maior quoque calor eſt; calor per
dies aliquot poſt mortem durat, putreſcentibusque
in hydrope humoribus calor ſuperuenit. Calorem
ad gradum 167 thermometri Farenheitiani Cl. HO-
ME adſcendere, ſine vllo periculo inſequente, obſer-
p. 70. uauit. Pars ſecunda de febribus, quae in totis cor-
poribus conſiſtere videntur, inſcribitur. Inter eas
prima eſt inflammatoria, altera lenta neruoſa, tertia
putrida, quam febris intermittens, febris remit-
tens, tandemque febris hectica ſeu maraſmus exci-
piunt. Cum frigus certa perceptio in animo ſit, ca-
loris abſentiam non denotat. Nam tum aliorum,
tum Cl. Auctoris experimentis conſtat, maiorem in
frigore febrili iam inchoato adeſſe calorem, quam in
eodem corpore ſano. Cruſta alba inflammatoria in
ſanguine hominis, qui febre inflammatoria laborat,
oritur a volatili aliqua et ſeptica materia, particulas
ſeroſas eleuante et coniungente, forte a materia
perſpirabili retenta. In febre neruoſa lenta ſurdi-
tas, quam alii bonum ſignum eſſe contendunt, inter
p. 96. mala habetur. Pars tertia de febribus, quae in par-
te quadam oriuntur, agit, atque in ea primum diſpu-
tatur de inflammatione eiusque vario exitu in gene-
re, deinde de phrenitide, ophthalmia, angina, tuſſi,
peripneumonia, pleuritide, paraphrenitide, phthiſi
pulmonali et tabe, inflammatione ventriculi, dyſen-
teria, diarrhoea et lienteria, colica, cholera, ileo,
hepatitide, nephritide et ſtranguria. In ophthalmia
ſcro-

ſcrophuloſa cortex Peruuianus, et aquae minerales ferrugineae purgantes, in angina vero inflammatoria gummi guaiacum, poſt praegreſſas euacuationes, vt ſpecificum laudatur. Tuſſis conuulſiua non ex ventriculo oritur, amara enim pulmonibus quoque proſunt, neque per conſenſum affici videntur pulmones, quia tuſſi ſaeuiente ſaepe ventriculus non irritatur. Putat itaque Cl. HOME, prouenire hanc tuſſim a maiore partium in catarrho communi affectarum irritatione, et maiore laxitate et irritabilitate tum corporis in vniuerſum, tum inprimis ventriculi. Cl. Auctor vidit tuſſim remittentem, quae periodice definita hora adueniebat, et per horam vnam vel alteram inſtar conuulſiuae aegram agitabat. Haec, omnibus pectoralibus fruſtra applicatis, ſpatio viginti quatuor horarum cortice Peruuiano feliciter profligabatur. In dyſenteria radix ipecacuanhae, ad grana quinque ſexta quaque hora data, vtiliſſima eſt. Monet tamen Cl. Auctor, paucos aegros nauſeam continuam perferre poſſe. Vitro antimonii cerato, ad minuendam draſticam eius vim, et materiam morbificam ab inteſtinis ad cutem determinandam, opium addit. In parte quarta morbi p. 158. explicantur, qui primo in toto corpore, deinde in parte quadam ſunt. Huc pertinent arthritis, rheumatiſmus, febris purpurata ſeu miliaris, febris ſcarlatina, eryſipelas, variolae, et morbilli. Obſeruauit Cl. Auctor lumbaginem rheumaticam epidemice graſſantem, cuius cauſſa in inflammatione ligamentorum vertebralium poſita eſt, et qui venaeſectioni, medicamentisque topicis, vt vnguentis calidiſſimis penetrantibus, et emplaſtris epiſpaſticis ceſſit. Speciem illam eryſipelatis, quam SYDENHAMUS iam deſcripſit, durante conſtitutione varioloſa Cl. Auctor quoque obſeruauit. Scilicet febri, tertio vel quarto morbi die, eruptio puſtularum ſuperueniebat,

 quae

quae humorem flaueſcentem continebant, febremque mitigabant. Diſparebant poſt quatuor dies, et facillime venaeſectioni et purgantibus cedebant. Putat Cl. Auctor, febrem variolarum ſecundariam omnino tolli poſſe pure e puſtulis inſitione educto. Morbillos Cl. HOME per inſitionem feliciſſimo cum ſucceſſu communicaſſe, iam alibi a nobis adnotatum eſt *).

p. 187. In libri tertii, qui de morbis non febrilibus inſcribitur, prima parte, proponuntur morbi totius corporis, ſcilicet ſcorbutus, hydrops, ſcrophula ſeu ſtrumae et ſcirrhus, tandemque carcinoma vel cancer. In ſcorbuto febrem ideo putrefactis humoribus non adeſſe, ſuſpicatur Cl. Auctor, quia natura putredini ſe gradatim aſſuefacit. Scrophulis aciditas, ſanguinem coagulans, haud originem praebet, cum acidi veſtigia guſtu aut chemico examine detegi nequeant, et acida tumorem diſcutiant, qua propter magis viſciditas ſeri et lymphae peccat. In cancro faciei naſique ſaepe mercurius ſublimatus methodo Swieteniana adhibitus, in carcinomate vero mamma-
p. 207. rum ſolani infuſio vtilis eſt. Pars ſecunda agit de cerebri neruorumque morbis, vt apoplexia, morbis ſoporoſis, paralyſi, epilepſia aliisque morbis conuulſiuis, malo hyſterico et hypochondriaco, inſania et odontalgia. Tetanum, omnibus aliis remediis fru-
p. 231. ſtra tentatis, opium extemplo ſanauit. Tertia pars continet morbos, qui in partibus oriuntur. Huc vero refert haemoptyſin, aſthma, imbecillitatem ventriculi et inteſtinorum, haemorrhoides, icterum, calculum cyſticum, diabeten, incontinentiam vrinae,
p. 255. tandemque calculum renum et veſicae. Quarta pars morbos genitalium et vteri comprehendit, morbos ſcilicet venereos, obſtructionem menſium, nimiam menſium profuſionem, fluorem album, furo-

rem

*) vid. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 504 ſq.

rem vterinum, et qui eandem cauſſam et curationem habeant, ſatyriaſin et priapiſmum, ſterilitatem in vtroque ſexu, denique grauidarum et puerperarum morbos. Gonorrhoea non virulenta, quam Angli *the Gleet* dicunt, nunquam a ſola laxitate ductuum excretoriorum, vel proſtatis aut veſiculis ſeminalibus prouenit, ſed oritur ab vlcere paruo, calloſo, haud venereo, quod in ipſo glandulae emiſſario ab vlcere gonorrhoeae remanſit, eandemque ſedem habet. Quinta tandem, quae vltima pars eſt, morbos infantum et puerorum enarrat. Praecipui ſunt morbi ab acido, aphthae, vermes, varii motus conuulſiui, cutanei, ani procidentia, atrophia et rhachitis. p. 300.

X.

Diſſertazione epiſtolare di ANTONIO LIZZARI Medico, ad un' amico, relativa a due oſſervazioni in iſtampa recentemente publicate, in cui coll' autorità di alcune antiche, e moderne dottrine, e oſſervazioni ſi accredita l' operatione ceruſica detta paracenteſi nell' idropiſie aſcitiche, ciſtiche e tel peritoneo. Si tocca ancora di paſſaggio l' altra operazione ceruſica detta nefrotomia. In Venezia 1761. preſſo Antonio Zatta. 8vo. 10½. pl.

i. e.

ANTONII LIZZARI diſſ. epiſtolica ad amicum, quae pertinet ad obſeruationes duas nuper in lucem editas, in qua auctoritate variarum veterum et recentiorum doctrinarum, et obſeruationum operationis chirurgicae, quae paracenteſis dicitur, vſus in hy-

 drope

drope etc. ſtabilitur. Subiicitur etiam breuis de nephrotomia tractatio.

Occaſionem ſcribendae huius diſſertationis Cl. Auctori dederunt binae rariorum morborum hiſtoriae, quas an. 1761 edidit, et de quibus iam alio loco ad Lectores noſtros retulimus *). Praemiſſa vero eſt tractationi de paracenteſi breuis diſputatio de hydrope in vniuerſum eiusque variis ſpeciebus.
p. 20. Diſtinguit Cl. Auctor hunc morbum, ſecutus hac in re veteres, in acutum et lentum, in eum, qui cum febre, et illum, qui ſine febre eſt, in idiopathicum porro et ſymptomaticum, in vniuerſalem et particularem, tandemque in externum et internum. In hydrope acuto et calido, qui ex ſubitanea omnium humorum colliquatione, et ſolidorum motu nimium aucto prouenit, calida omnia nocent, quapropter multi quoque in huius morbi medela methodo refrigerante vſi ſunt, et ipſam frigidam aegris propinare haud dubitarunt. Externus vero hydrops, qui proprie a Graecis ὕδρωψ dicitur, vel ſecundum venas eſt, vbi oedema appellatur, vel ſecundum carnes, vbi anaſarca vocatur. Haec ſpecies, vt plurimum, vt Galli loqui amant, ex infiltratione (*par infiltration*) oritur, atque in ea ſcarificationis praecipuus vſus eſt. Internus contra, quem Graeci ὕδερος vocant, ex diffuſione aquarum (*par epanchement*) maxime prouenit, cuius ſpecies ſecundum partes et cauitates, in quibus aquae contrahuntur, variis quoque nominibus inſigniri ſolent. Pertinent etiam huc hydatides. Cum vero in interno potiſſimum hydrope paracenteſis locum habeat, ad eam ipſam
p. 47. Noſter accedit. Colligimus vero ex vniuerſa Cl. LIZZARI tractatione, hanc operationem hodie non in eo honore haberi apud Italos, in quo inter alios populos

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. Part. III. p. 503.

populos eſſe ſolet; ſed illam in ſuſpicionem potius veniſſe, ac ſi periculum contraheret aegroto, illumque praecipitet. Quae res Cl. LIZZARI permouit, vt veterum pariter ac recentiorum teſtimonia bene multa conquireret, quo praeſtantiam illius operationis commendet. Oſtendit vero, illam ex antiquiſſimis eſſe operationibus, forteque primum ad naturae imitationem inſtitutam fuiſſe, quae ſcilicet nonnunquam hydropicos ſine vllo alio remedio interno adhibito ſanauit, apertura in cute exorta, et aquis per hanc aperturam effluentibus. Exercebatur olim haec operatio a peculiari chirurgorum genere, quos exinde paracentiſtas vocabant. Veteres vero ex aegroti corpore non vna vice, ſed vice plus vna, aquas emittebant, vt Cel. MEAD, vti ex loco dedicationis, quam IAC. DOUGLASSIUS libro de peritonaeo praefixit, patet, primus fuerit, qui auderet, vnica operatione, omni tamen neceſſaria cautione prius adhibita, aquas emittere. Ex omnibus vero obſeruationibus et teſtimoniis collectis Cl. Auctor concludit, hanc operationem, ſi tempeſtiue inſtituitur, vtiliſſimam eſſe; prodeſſe tamen illam quoque haud raro in morbo, qui diu iam durauerit, et cuius plenaria curatio vix poſſibilis videatur. Reſpondit ſimul ad duas obiectiones, quarum prima ſumta eſt a difficultate definiendi temporis, vbi neglectis medicamentis internis ad operationem confugiendum ſit. Altera depromitur ab impoſſibilitate formandae prognoſeos, de exitu et effectu operationis. In fine pauca de nephrotomia adduntur, vbi docetur, ſi pus in renibus contrahitur, abſceſſum omnino aperiendum eſſe.

p. 47. p. 87. p. 139. p. 162.

)o(

XI.

Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par Mr. A. ROUX, Docteur Regent de la Faculté de Medecine de Paris, Membre de l' Academie Royale des Belles-Lettres, Sciences et Arts de Bordeaux, et de la Societé Royale d' Agriculture de la Generalité de Paris, Tome XIX. a Paris 1763. chez Vincent. 8. Alph. 1. pl. 13. Tome XX. 1764. Alph. 1. pl. 13.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, etc. pertinens. Auctore Cl. A. ROUX. Tomus XIX et XX.

T. XIX. In menſe Iulio 1763 haec inprimis recenſeri merentur.

p. 21. 2. *Obſeruationes de ſpecie colicae, quae colicae pictonum ſimilis eſt, et in Abbatia* Sauigny *ſaeuit; au*ctore Cl. MARTEAU DE GRAND VILLIERS. Dolores ventriculi leues, et digeſtio difficilis praecedunt, accedit obſtructio alui, ardor ventriculi, vehementiſſimi dolores inteſtinorum, ſpaſmi inſignes extremitatum, quae poſtea moueri non poſſunt, dyſuria, interdum febris plerumque maligna, per viginti dies cum delirio continuans. Iuniores ab hoc morbo inprimis afficiuntur, quibus ſaepe lethalis eſt. Clyſmata, balnea emollientia, et antiſpaſmodica maxime profuerunt.

p. 41. 4. *Obſeruatio de pernicioſo effectu ſeminum hyoſcyami.* Auctore Cl. PLANCHON. Medicaſter duos ſcrupulos horum ſeminum, vt ſpecifici in calculo et haemorrhoidibus, pro doſi dedit. Cum imperitus, his

his morbis non laborans, nouem doſes intra tres dies ſumſerat, ſenſit vertigines ac dolores inſignes capitis, ſomnolentiam, motus conuulſiuos, proſtrationem virium, tandemque incidit in maniam et epilepſiam. Attamen venaeſectiones, euacuantia, veſicatoria, et inprimis acidorum, roborantiumque vſus aegrum tandem in ſanitatem reſtituerunt.

7. *Obſeruatio de retentione vrinae, complicata cum prolapſu magnae partis inteſtini recti.* Auctore Cl. LEAUTAUD. Puero octenni magna pars inteſtini recti, alias ſponte recedens, nunc, ob retentam per quatuor dies vrinam, ano incarcerata propendebat. Poſt venaeſectionem, balneum calidum, et fomenta emollientia, tandem reductum eſt inteſtinum rectum, atque aeger, vrina catheteris ope educta, conualuit, et ſpongia, imbuta ſolutione ſacchari ſaturni et aluminisque, per ſex menſes ano applicata, prolapſus inteſtini recti plane curatus eſt. p. 70.

Menſe Auguſto.

5. *Obſeruatio* Cl. LEAUTAUD *de corpore peregrino, per 18 menſes in vulnere, ſine vllo incommodo, relicto.* Quinquagenarius lapſu laeſus eſt iunco, qui cutem perfodiens in gluteo ſiniſtro iuxta os ſacrum haemorrhagiam excitabat. Specillo nihil peregrini in vulnere detectum eſt, quod tandem, cum aeger eius dilatationem recuſaret, coaluit, nec intra 18 menſes doluit. Tandem, ob inſignes dolores ibi ſentitos, cicatricis inciſio, quatuor pollicum longitudine, facta eſt, ex qua pars iunci, longitudine duorum pollicum et craſſitie quatuor linearum extrahebatur, ac vulnus poſtea breui tempore curatum eſt. p. 171.

Menſe Septembri.

6. *Obſeruationes de vſu alcalium volatilium in paralyſi.* Auctore Cl. IAHAN DE LA CHESNE. p. 260.

Obſ. 1. Feminae 71 annorum, hemiplegia dextri lateris laboranti, dedit omni bihorio ſex guttas alcali volatilis aromatici in ptiſana, quo ſudor excitatus et quarto die omnis morbus ſuperatus eſt. Obſ. 2. Alia 18 annorum, per quinque dies paralyſi affecta, ſumſit, poſt vomitorium, octo guttas ſpiritus volatilis cornu cerui, eiusque vſu per tres dies adhito motum membrorum recuperauit.

Menſe Octobri.

p. 347. 5. *Obſeruationes de hemeralopia et nyctalopia.* Auctore Cl. DUIARDIN. Obſ. 1. Puella ſeptennis poſt rubeolos lucem diurnam perferre non poterat, verſus veſperam vero viſu vtebatur. Cum Auctor clauſas eius palpebras aperiret, ſenſit puella grauem dolorem, ac emanarunt lacrymae acres, corroſiuae. Suaſit venaeſectionem, vomitorium et veſicatorium nuchae, ad deriuandam hanc acrimoniam, ſed ſucceſſum horum remediorum non amplius obſeruare potuit. Obſ. 2. Iuuenis, octodecim annorum, poſt ſuppreſſam excretionem pituitae, alias matutino tempore factam, incidit in nyctalopiam, vt veſpera debili viſu, noctu coecitate laboraret, interdiu vero viſu perfecto gaudens; cui Cl. Auctor poſt venaeſectionem praeſcripſit purgans e puluere de tribus, regimen accuratum et potum decocti rad. chinae, tandem veſicatorium poſt aures, ac intra menſem aeger viſum perfectum recepit.

p. 351. 6. *Obſeruatio de gangraena totius inteſtini recti;* a Cl. PASQUIER. Tricenarius, per octo dies diarrhoea ſeroſa vexatus, contraxit procidentiam inteſtini recti, quod, cum non repoſitum fuiſſet, ac forte contracto ſphinctere incarceratum, gangraena tactum eſt. Diſſecuit Cl. Auctor corruptam partem, et huic canali immiſit turundam, vnguento digeſtiuo imbutam, quam poſt deligationem rurſus eduxit, vt

vt canalem elongaret, ac vicinis partibus applicaret, ſtrictaque diaeta ſuppuratio bene ſucceſſit, et aeger paulo poſt plane ſanatus eſt.

7. *Obſeruatio* Cl. MARTIN *de neglecta operatione empyematis.* Puer 15 annorum, poſt lapſum in dextrum latus thoracis, ſtatim ibi ſenſit dolorem acutum cum febre inſigni, et quarto die ibi perceptus eſt tumor oedematoſus. Die decimo quinto Cl. Auctor accerſitus propoſuit operationem empyematis, qua recuſata aeger tandem mortuus eſt. In cadaueris disquiſitione latus affectum thoracis tribus menſuris puris albi repletum inueniebatur, et pleura plurimis granulis albis erat referta; patet igitur, operationem empyematis, ſi 15 vel 20 die facta eſſet, aegrum forte ſaluaſſe. p. 352.

8. *Obſeruatio* Cl. LE ROUX *de vulnere, granulis plumbeis exploſis facto.* Tricenarius, tubum ſclopeti manu tenens, eius exploſione improuiſa laeſus eſt in hypochondrio dextro, inter tertiam quartamque coſtam ſpuriam. Vulnus, altero demum die disquiſitum, erat magnum, ac multae coſtae ſimul fractae. Cl. Auctor e dilatato vulnere multa eduxit grana plumbi, corpora peregrina, et fractas partes coſtae tertiae et quartae ſpuriae, atque dilatato peritonaeo laeſo, vulnus transuerſale, trium pollicum longitudine, ſemi pollicis latitudine, in lobo magno hepatis detexit, vnde extraxit granula plumbi, ac denique hoc accurate deligato et caute tractato, omnia bonum euentum praedicebant. Attamen poſt menſem ſenſit aeger tumorem ſub angulo inferiori ſcapulae, quo aperto effluxit pus cum corporibus peregrinis, et ex inciſo tumore, ſub muſculo dorſali magno haerente, exiit particula corporis vnius poll. longitudine ac duarum linearum latitudine, et pus e pluribus ſinubus, a granulis plumbeis factis, emanauit; aeger vero inter duos menſes cum dimidio plane ſanatus eſt. p. 355.

9. *Ob-*

p. 361. 9. *Obſeruationes* Cl. PET. GUYARD *de exſtirpatione duorum tumorum magnorum.* Obſ. I. Quadragenaria laborabat tumore cancroſo palati, ad radicem dentium inciſoriorum maxillae ſuperioris, qui totum fere os occupabat, et pugni magnitudinis inſtar ex hoc propendebat. Eius baſis dura, ſubſtantia cartilaginea, oſſi palati firmiter adhaeſit. Ad quem tumorem exſtirpandum chirurgus eum incidit ad radicem alueolorum, atque ter a copioſo ſanguinis effluxu in hac operatione interruptus eſt. Tumoris pondus nouem vncias aequauit; vulneri applicabatur puluillus, cum puluere ſperniolae CROLLII conſperſus, atque cicatrix intra octo dies coaluit, ſalua aegrota.

Obſ. 2. Alia, 34 annorum, conqueſta eſt de tumore magno ad inferiorem partem lateralem dextram ventris, qui magnitudinem lagenae duarum menſurarum ſuperabat, et pedunculo, pugni craſſitie, adhaerebat, quem, cum ligatura parum efficeret, Cl. Auctor vna inciſura diſſecuit, ac multum ſanguinis ex hoc vulnere, tres pollices amplo, effluxit, aegra vero intra menſem conualuit. Pondus tumoris, qui interius ex carne ac vaſis varicoſis conſtabat, quatuor libras ſuperabat.

p. 365. 10. *Obſeruatio* Cl. DENIS *de exſtirpato et ſanato tumore fungoſo oris*, quo laborabat ruſticus, cui, ad dentes molares ſiniſtros ortus, totum latus oris obtegebat, ac maſticatos cibos ſanguine inquinabat, nec, ob adhaeſionem cum lingua et fundo oris, ligaturam permittebat. Euulſit igitur Cl. Auctor dentem, inter dentes alterius lateris ſuber poſuit, atque tumorem poſtea exſtirpauit et aegrum ſanauit.

Menſe Nouembri.

p. 410. 2. *Epiſtola* Cl. PHILIP, *continens obſeruationem de colica metallica, ope emetici et draſticorum curata.*

Typo-

Typotheca, ex conſuetudine typos ſaepe ore tenens, ſubito incidit in colicam vehementiſſimam, conuulſiones, affectum comatoſum, alui obſtructionem pertinaciſſimam, cet. cui Cl. Auctor, reliquis iam fruſtra tentatis, dedit clyſma cum colocynth. gr. 18. et hieraepicrae drachma vna, ac potum ex aqua card. benedict. canell. confect. hyacynth. et ſex granis tartari emetici, cuius doſis ſequenti die duplicata eſt, poſtea aeger aliquot purgantia ſumſit, et plane conualuit.

3. *Obſeruatio de morbo venereo inueterato pertinaci, ſecundum nouam methodum tractato.* Auctore Cl. PASSERAT DE LA CHAPELLE. Vir, qui ante nouem annos gonorrhoea laborauerat, incidit in luem veneream, cum vlcere glandis ac phimoſi, et poſt largum vſum mercurii copioſa ſaliuatione creberrimaque alui deiectione maxime debilitatus eſt. Poſtea paululum reſtitutus maculas rubras cutis ſenſit, quae tandem in vlcera mutabantur, ſaliuatio copioſa denuo irrupit vna cum febre, acceſſit ophthalmia pertinax, quae viſum dextri oculi plane auferrebat, ſiniſtri maxime imminuebat; ſed vſu medicamentorum amarorum, balneorum et frictione mercuriali ſymptomata haec cedebant, ac vlcera paulo poſt hinc illinc denuo exorta eadem remedia requirebant. Peſſimis tandem ſymptomatibus venereis rurſus affectum aegrum ſubiecit Cl. Auctor methodo medendi KEYSERI, et ſucceſſiuum augmentum trochiſcorum, venaeſectionum ac purgantium, quod ille commendat, tam proſpero cum euentu adhibuit, vt aeger breui tempore viſum, motum membrorum, et plenariam ſanitatem recuperaret. p. 414.

6. *Tres obſeruationes* 1. *de medela polypi mucoſi;* p. 453. 2. *de tranſſudatione lymphatica;* 3. *de phaenomeno peculiari, quod poſt vulnus abdominale occurrit.* Auctore Cl. DUMONT, fil. Obſ. 1. Sexagenaria gerebat

rebat

rebat in cauitate narium ſiniſtra polypum, conſiſtentia gelatinae carnis, colore rufeſcente. Huic cauitati immiſit Cl. Auctor vltra menſis ſpatium turundam, ſolutione ſaturni imbutam, ſed fruſtra; poſtea aegra ex conſilio medicaſtri ibi applicauit turundam ſebo liquido immerſam, ac intra duos menſes polypus hinc ſenſim decreſcens plane diſſipatus eſt.

Obſ. 2. Tornator contundens tibiam, ei applicauit ſpiritum vini, maximamque irritationem doloroſam effecit, et poſt vſum cataplaſmatum emollientium ſub aponeuroſi ortus eſt abſceſſus, quo inciſo effluxit libra vna puris, et vulnus intra duos menſes coaluit. Poſtea e ſuperficie cutis, cataplaſmatibus tractatae, exſudabat ros lymphaticus, ſiue potius ſeroſus, cutem arrodens, nec, niſi puluillis, ſolutione ex aluminis ℥ij et praecipitati rubri ℥ß imbutis, cedens.

Obſ. 3. Quadragenaria cultro laeſa eſt in ventre, tres vel quatuor pollices ab inſertione inferiori muſculi quadrati lumborum; parum ſanguinis effluxit e vulnere, idque intra octo dies coaluit. Hora quinta poſt acceptum vulnus aegra minxit ſedecim vncias ſanguinis, rediitque hic mictus cruentus per quatuor dies, ſenſim in minori copia ac ſine dolore. Aegra debilitata ſumſit clyſmata aquae frigidae, conſtrinxit ventrem faſciis, lecto ſe detinuit, et victu refrigerante vſa eſt; ſic ceſſauit hic mictus cruentus, ac die decimo vrina pura reddita eſt. Cum vero lectum citius reliquiſſet, denuo per tres dies ſanguinem minxit, ſed eodem regimine, et ſeruata quiete in lecto per tres hebdomadas, ac vſu tandem lactis, nullus amplius ſanguis ex vrethra eiectus eſt. Videtur acumen cultri peluim renis tranſiiſſe, ibique vas laeſiſſe.

p. 458. 7. *Obſeruationes peculiares:* 1. *de verme cum vrina eiecto, ex epiſtola* Cl. RAISIN ad Cl. ALLEAUME.

Quin-

Quinquagenarius colica nephritica vehementi, cum vrina cruenta et nigreſcente, laborauit, quae ſaepe rediit, tandem vero, eiecto vna cum vrina verme, trium pollicum longitudine, plane ceſſauit.

Obſ. 2. *De homine myope in ſiniſtro oculo, et presbyta in altero*, ex litteris Cl. STRACK. Vir, 50 annorum, hoc vitio oculorum affectus eſt, cui, ad hoc leuandum, Cl. Auctor commendauit perſpicillum vitro conuexo, ad vſum oculi dextri, ſimileque vitro concauo, ad oculi ſiniſtri adminiculum.

Menſe Decembri.

2. Epiſtola Cl. DUPUY DE LA PORCHERIE, *de morte feminae, quae poſt abortum doſin pulueris* D' AILHAUD *ſumſerat.* Haec, 28 annorum, ab abortu nondum ſatis refecta, ab hoc puluere maxima tormina ſenſit, et intra octo horas periit, in cuius ſectione multum ſeri ſanguinolenti ex aperto abdomine effluxit, viſcera vero nihil morboſi oſtenderunt, praeter dilacerationem meſocoli duodecim linearum; attamen cauitas peluis erat repleta ſanguine nigro coagulato, quatuor librarum pondere, qui ex ramo venae hypogaſtricae, ad finem curuaturae magnae coli, proſiliit. Viſcera thoracis perfecte ſana erant, praeter ecchymoſin trium pollicum in dextra parte ſuperiori diaphragmatis; curuatura magna et cardia ventriculi tumida, inteſtina vero tenuia, praeter maculas nigras pulueris D' AILHAUD hinc illinc diſperſas ſana inueniebantur; anus erat excoriatus et inflammatus; vterus a ſtatu naturali non recedebat. Hinc patet, puluerem D' AILHAUD excitaſſe tormina vehementiſſima et rupturam vaſis, ex cuius extrauaſato ſanguine praematura mors orta eſt. p. 502.

Adiecta eſt *alia obſeruatio eiusdem generis, communicata a* Cl. ROUSSIN. Vir, 38 annorum, inſultibus podagricis vexatus, ſumſit doſin pulueris D' AIL- p. 518.

HAUD

haud, qui mox copioſas excitabat deiectiones alui, dolores vehementes ac ardorem abdominis; deiectiones, poſt viginti quatuor horas ceſſantes, ſequuta eſt febris irregularis, difficilis reſpiratio, haemoptoe, ac decimo quarto demum die progreſſus morbi aptis remediis coercitus eſt, et aeger lente recuperauit ſanitatem, crebriori afflictus inſultu podagrico et vitiligine.

In Tomo XX haec prae reliquis indicanda ſunt.

Menſe Ianuario 1764.

Tom. XX. p. 15. 2. *De methodo curatoria colicae pictonum vegetabilis* *). Auctore Cl. bonte. Hanc in quatuor ſectionibus propoſuit, quarum 1) docet medelam, in prima huius morbi periodo, ſiue initio, adhibendam; 2) eam, quae in eius ſecunda periodo, ſiue progreſſu, requiritur; 3) illam, quae in eius tertia periodo, ſiue fine, neceſſaria eſt; 4) prophylaxin, ſiue methodum praeſeruatoriam indicat.

p. 18. Sect. 1. *Medela in prima periodo.* In ſubiecto iuniore plethorico requiritur initio morbi venaeſectio, ſed rarius ſanguinei et plethorici hac colica laborant, crebrius cholerici et melancholici, quibus venaeſectio nocet; in regreſſu morbi non ſuadeatur, multo minus feminis hyſtericis; in robuſtis et iunioribus, vbi podagra huic morbo iungitur, iuuat venaeſectio, ſenibus nocet; ſi ſcorbutus accedit, minime concedatur; ſemper itaque eſt prophylacticum remedium et praeparatio ad reliqua medicamenta. Si venaeſectio neceſſaria inuenitur, ſtatim detur vomitorium ex granis 2 vel 3 tart. emet. in aqua tepida, vel cum manna; in feminis hyſtericis ſufficit granum vnum tart. emetici. Si vomitus vltra

*) De hoc morbo iam alias diximus, in Commentar. hor. Vol. XII. P. IV. p. 651. 657. 660.

tra modum continuantur, vel virideſcentes ſunt, exhibeantur temperantia, vt ſuccus citri, laudanum liquidum SYDENHAMI, narcotica, et ipſa veſpera, poſt ſumtum emeticum, granum ſemis opii cum theriaca mixti. Clyſmata ſaepe dentur, primo emollientia, poſtea purgantia. Si interdum retineantur: clyſmata ſalina requiruntur; ſi non ſufficiant: adiiciatur decocto emollienti aqua benedicta, vel vinum emeticum, et poſtea ſumatur clyſma emolliens oleoſum; ſi ſpaſmus coli ingreſſum clyſmatis impedit: iniiciatur oleum. Praeterea ſimul euacuentur inteſtina purgantibus, et quidem in robuſtis, draſticis opio mitigatis, v. c. pillulis cochiis, cum grano vno opii pro doſi. Tutius adhibentur purgantia leniora, v. c. potio ex ſenna, manna, caſſia, hiera picra, cet. quorum operatio ſuſtineatur clyſmatibus crebrioribus. Ad imminuendam acrimoniam humorum dentur diluentia et relaxantia, decoctum graminis atque glycyrrhizae, infuſum florum maluae et violae, inprimis chamomillae, iuſculum tenue; interdum ſumatur cochlear olei, ſi nauſea non adſit. His remediis retardatur progreſſus morbi, nec vltra ſeptimum diem perdurat. Quod ſymptomata primae periodi huius colicae attinet, vt plurimum, ſopitis doloribus, ſentitur per duos dies inſultus febrilis, cum articulorum ſtupore, qui, aucta tranſpiratione vel ſudore, facile cedit. Languida digeſtio carminatiuis tollatur; color flauus cutis aperientibus lenibus et aquis martialibus remoueatur, vel ſero lactis cum fumaria. Saepe initio morbi accedunt conuulſiones epilepticae, inprimis in hyſtericis, quae coerceantur narcoticis cum antiſpaſmodicis mixtis. Saepe podagrici in hoc malum incidunt, atque tum requiritur venaeſectio pedis, poſtea lene purgans, ſinapiſmi vel veſicatoria pedum, vt materies podagrica huc deducatur. Non raro ad articulos defer-

tur, ac tum perſpiratio augeatur. In variis artificibus, v. c. in iis, qui plumbum, cuprum, cet. tractant, colica mineralis et vegetabilis complicantur, atque tum omittatur initio venaeſectio, et potius oleoſa ſuadeantur.

p. 57. 4. *Obſeruatio* Cl. DE LA BROUSSE, *de ſphacelo, ex terrore orto.* Puella triennis ab adſpectu ſanguinis, e vulnerato naſo effluentis, tantopere perterrita eſt, vt in animi deliquium incideret, ac poſt quinque horas extremitas naſi, buccae, manus, pedes et nates intumeſcerent, liueſcerent, et paulo poſt, gangraena cum ſphacelo acceſſis, aegra decimo die moriretur.

p. 61. 5. *Obſeruatio de abolitione memoriae peculiari, poſt apoplexiam virginis non menſtruatae exorta.* Auctore Cl. GUILLEMEAU. Haec, temperamenti phlegmatici, quae nunquam paſſa eſt menſtrua, anno 25 aetatis febre periculoſa, quae caput inprimis petebat, ac eius inſignes dolores excitabat, afflicta eſt, atque per octo dies in vero ſtatu apoplexiae fuit, donec ſenſim conualuit. Sed hinc amiſerat omnem facultatem memoriae, vt neminem, praeter matrem, agnoſceret, pauca verba eaque confuſe produceret, magna cum difficultate legere diſceret, et lecta vix pronunciare poſſet.

p. 66. 6. *Obſeruatio* Cl. MIOLLIS, *quae docet, quam neceſſarium ſit, vt celeriter aperiantur abſceſſus, poſt variolas confluentes exorti.* Vir 27. annorum a refrigerio variolas in ſtatu inflammationis repreſſit, quae aptis remediis reſtitutae paulo tardius ſuppurabant. Die duodecimo febris aucta delirium phreniticum produxit, quo tempore aeger leuiter obtectus noctu campos obambulabat, donec delirans et conuulſione afflictus vi ad lectum delatus eſt. Denuo aptis auxiliis reſtituebantur variolae depreſſae, earumque ſuppuratio, adeoque deſquamatio bene

bene peractae ſunt. Die viceſimo tres oriebantur abſceſſus metaſtatici doloroſi, magnitudine oui gallinacei, in regione lumbari dextra, in parte media poſteriori dextri femoris, et in parte media poſteriori dextra thoracis, quibus inciſis materia foetida exiit. Cum aeger celaſſet eiusmodi abſceſſum cubiti ſiniſtri, is maxime increuit, et apertus materiam corroſiuam emiſit, ac intra ſeptem dies triginta duo abſceſſus metaſtatici exorti ſunt, quos ſemper aperiendos eſſe iudicat, et abſtergendos leuiterque deligandos; natura enim horum coalitionem facile adiuuat, etenim aeger hoc modo tractatus rurſum conualuit.

Menſe Februario

2. *Continuatio methodi curatoriae colicae pictonum vegetabilis.* Auctore Cl. BONTÉ. Sectio 2. *Medela in ſecunda periodo adhibenda.* Haec periodus incipit ſeptimo die morbi, et interdum vſque ad 14 interdum ad 40 vsque diem continuatur, ac febris continua ſemper adeſt. Mitigentur ſpaſmi et dolores, euacuentur primae viae, liberetur maſſa ſanguinis a miaſmate morboſo; id, quod fiat relaxantibus, emollientibus, diluentibus, demulcentibus, narcoticis, purgantibus. Aegro, prius non euacuato, conuenit ptiſana purgans, dilutum caſſiae cum manna, clyſmata purgantia; ſi febris magna ſit, et dolor acutus, purgantia nocent, in morbi regreſſu vero proſunt. Melius compeſcuntur dolores inteſtinorum relaxantibus et demulcentibus, inprimis clyſmatibus, fomentis, balneis, ſemicupiis ex aqua tepida, vel decocto emolliente. His adiiciantur remedia interna, v. c. ſerum lactis, infuſa demulcentia, iuſcula tenuia. Optima via eiiciendae materiae malignae eſt aluus, quae moueatur crebriore purgante leni, ex ſero lactis cum tart. emet. vel manna, p. 106.

 vel

vel oleo amygd. dulc. Ob vrgentes dolores medicus interdum anceps eſt, vtrum febris a ſtimulo materiae morboſae, an ab inflammatione inteſtinorum excitetur? Haec tamen, niſi prior cauſſa delirium excitat, venaeſectione non ſupprimatur, apoſteriori orta febris, ſemper periculoſa, ea vna cum relaxantibus adhibitis coerceatur. Paſſio iliaca interdum accedens opiata et lenientia requirit. Debilioribus narcotica nocent, et ſaepe, vti non raro ipſa opiata faciunt, paralyſin accelerant. Melius adhibetur opium cum caſtoreo iunctum, vel liqv. anodynus HOFFM. cum laudano liquido SYDENHAMI. Proſunt ſudorifera, ſi ſuppreſſa perſpiratio vel podagra irregularis hanc colicam produxit. Interdum ſymptomata vrgent, inprimis dolores renum, e quibus non raro oritur phrenitis, conuulſio epileptica, coecitas, cet. quae venaeſectione brachii, ſemicupiis, cataplaſmatibus regioni renum applicatis, remoueantur. Dyſuria vel ſtranguria, interdum accedens, relaxantibus coerceatur; haemorrhagia narium, ſi magna eſt, critica dicenda, ſi parca, venaeſectione brachii iuuanda eſt. Catamenia ſuſtineantur pediluuiis, clyſmatibus emollientibus; purgantia tum nocent, narcotica vero cum emmenagogis maxime proſunt. Delirium, febri accedens, requirit narcotica refrigerantia, v. c. ſyrup. diacod. cum aquis deſtillatis; ſin grauius redditur, venaeſectionem. Conuulſiones epilepticae, maxime periculoſae, coerceantur narcoticis cum antiſpaſmodicis, inprimis balſamo Peruuiano, venaeſectione, relaxantibus, ac, ſi fieri poteſt, ſumantur aliquot grana tart. emet. cum oleo amygd. dulcium; deinde ſuris applicentur veſicatoria, inprimis, ſi ſopor accedit; febris, poſt conuulſiones occurrens, bonum eſt ſignum. Soporoſi affectus magnum periculum praedicunt, et venaeſectione ac veſicatoriis tractentur. Coecitas vel gutta ſerena metaſtatica

rarius

rarius occurrit, et ſimili modo remoueatur. Sedatis ſymptomatibus, ſi noui dolores gignuntur, clyſmata carminatiua requiruntur.

5. *Obſeruatio* Cl. BERTRAND, *de morbo aurium, cum ſymptomatibus malignis.* p. 150. Virgo, 15 annorum, ante quatuor annos amiſerat facultatem audiendi in aure ſiniſtra, poſt eius dolorem inſignem cum febre et effluxu puris, qui ſingulo tertio menſe ſuppreſſus, eundem morbum reuocabat. Paulo poſt acceſſit ſurditas auris dextrae, quae tamen poſt duos annos ſublata eſt. Tandem, cum ſub dio obdormiiſſet, quinque vermes, conica figura, craſſitie calami ſcriptorii, octo linearum longitudine, aurem ſiniſtram ingreſſi ſunt, et ſenſim excitarunt maximos dolores, febrem, delirium, conuulſiones, haemorrhagiam auris, ii ..ue poſtea eductis, caries canalis auditorii detecta eſt, quae tamen intra ſex menſes plane curata eſt, relicta plenaria ſurditate.

6. *Obſeruatio* Cl. CELLIEZ, *de pene infantis nonimeſtris, quem canis comedit.* p. 169. Infans, in cunis ac conclaui ſolus relictus, a catulo ad genitalia ita vulneratus eſt, vt penis vna cum dimidia parte ſcroti plane deuoraretur, ac funiculus ſpermaticus dextri lateris denudaretur, et vas deferens ab epididymide diſſecaretur. Cl. Auctor diſſecuit partes dilaceratas, et vulnus, linteo carpto deligatum, intra 40 dies coaluit. Vſum tubuli, quem, ad cauendam vrethrae corrugationem, plurimi chirurgi in hoc caſu commendant, plane diſſuadet, ac noxium putat, cum vrethra ſatis firma ac facile expandenda, et a muco ſuperficiei ſatis flexilis ſit, vt vix corrugetur. In amputatione penis tubulus nocet, cum nimis premat margines vulneris, eosque calloſos reddat.

Menſe Martio.

p. 204. 2. *Continuatio methodi curatoriae colicae pictorum vegetabilis.* Auctore Cl. BONTE'. Sect. III. *Medela periodi tertiae.* Tum paralyſis creberrime occurrit, ac difficillime curatur. Lente accedit; etenim incipit ſtupore membrorum, et ventris dolores imminuti tum in extremitatibus ſentiuntur, maxime acuti, etiamſi motus iam amiſſus ſit; pars enim materiae morbi neruis paralyſin inducit, praegreſſis doloribus ventris. Quae quidem paralyſis, a communi valde diuerſa, peculiarem etiam medelam poſtulat. Sudorifera, in eius initio data, minime ſint calida, potius leniſſima; in confirmata paralyſi calidiora proſunt. Balſama, inprimis Peruuianus, et pillulae ex gummi reſinoſis, nimis calidae ſunt. Frictiones cum panno aſpero, in decocto emolliente immerſo, ſuadendae ſunt, vt et emplaſtra gummi ferulacea, abdomini imponenda. Haec paralyſis tempore vernali facilius curatur, vbi balnea, embrocationes thermarum, balnea frigida in aqua marina, et aquae minerales plerumque felici cum ſucceſſu adhibentur. Vt ad haec praeparatio fiat, ſumantur diaphoretica, cum frictionibus; membra affecta per 14 dies ſanguini animalis recens mactati immergantur; digiti ſaepe extendantur, ne rigidi maneant. Balneorum ex aqua marina vſus in dies augeatur, et aeger ſudorem in lecto exſpectet. Balneum frigidum, inprimis aquae marinae, excitat tremorem conuulſiuum vniuerſalem, qui ſoluit obſtructiones vaſorum ac neruorum. Aquae martiales in quacunque huius morbi periodo proſunt. Conualeſcentes plerumque maraſmo, febre lenta, acrimonia humorum, obſtructione meſenterii, phthiſi neruoſa, laborant. Febrem lentam compeſcunt diluentia, demulcentia, analeptica; lac optime nutrit, vel ſerum lactis, inprimis lac aſininum cum infuſo ſtomachi-

machico vel aquis martialibus bibendum. Phthiſis pulmonalis, praeter bechica demulcentia, vſu lactis tractetur. Strepor articulorum, poſt curatam paralyſin relictus, fomentis emollientibus et reſoluentibus tollatur, minime vero ſpirituoſis, ne rigor accedat. Hydrops, colicam hanc ſubſequens, plerumque lethalis eſt; duplex eſſe ſolet, vel tympanitis, vel aſcites, interdum ex vtroque complicatus. Priori, quae crebrius occurrit, aperientibus carminatiuis ſuccurratur; alter rarior, in iis, qui ſpirituoſa amant, vt plurimum lethalis, hydragogis lenioribus tractetur, minime emeticis et draſticis; proſunt etiam diuretica aperientia, v. c. ſucci cerefolii, fumariae, parietariae, tandem tonica. Mania, interdum occurrens, tonicis et neruinis cephalicis curetur, ac imminuta memoriae facultas eadem requirit auxilia. Qui ſaepe hac colica afflicti fuerunt, conuulſiones epilepticas patiuntur, quas ſubſequitur epilepſia, plerumque non curanda et haereditaria.

Sect. IV. *Curatio prophylactica.* Haec vel praecaueat regreſſum morbi, vel eius impetui proſpiciat. p. 227. Qui colicam hanc iam paſſi ſunt, diu fugiant potum vini pomacei, potius vino bono aqua diluto, aqua pura, infuſo canellae aut coriandri, vtantur. Ne vinum pomaceum noceat, paretur ex fructibus maturis, eique initio fermentationis planta amara admiſceatur; ſaltim non niſi recens bibenum eſt. Ob debilitata viſcera digeſtionis ſit victus leuis, parcus; inprimis iuſcula conueniunt; flatulenta ſemper omittantur; conualeſcentes iuuat aer ruralis, nocet iis pluuioſus et nocturnus: vitentur loca vliginoſa ac ſubterranea; ſaepe mutetur aer conclauium, inprimis culinarum, vbi ſaepe vapores cupri ſoluti abundant; corpus motu exercitetur, praeſertim equitatione; abſit triſtitia, ſuſtineatur hilaritas, ac ſomno magis indulgeatur, quam vigiliis.

p. 238. 3. *Epiſtola* Cl. PLANCHON, *de morte hominis, cuius iam mentio facta eſt menſe Iulio 1763. p. 41.* Hic praeterlapſo anno incidit in febrem tertianam pertinacem, ac neglectis remediis, in conuulſiones, pauloque poſt epilepticus periit, in cuius ſectione inteſtinum ieiunum multis lumbricis viuis repletum et gangraenoſum apparuit.

p. 243. 4. *Obſeruatio* Cl. VAUNIER, *de colica pictorum.* Femina, tapetes ſericeos texens, colica habituali per duos menſes laborauit, quae, ſumto iuſculo tenui per octo dies, aucta eſt, ac poſt vſum antiſpaſmodicorum vlterius increuit, attamen poſt emeticum crebrius adhibitum, vna cum purgantibus crebrioribus, bolis narcoticis, ptiſanis ſudoriferis et ſemicupiis plantarum aromaticarum, plane ceſſauit.

p. 246. 5. *Epiſtola* Cl. MARTIN ad Cl. ROUX, *ſiſtens hiſtoriam polypi vteri.* Femina, 45 annorum, tumorem habuit per quinque annos, e vagina propendentem, pyriformem, pedunculo molli, quem annulus circularis circumdabat, totus vero tumor in vaginam reponi poterat. Poſt annum accidit, vt pedunculus ab annulo conſtringeretur, et tumor gangraena afficeretur. Ligato itaque pedunculo, abſcidit Cl. Auctor tumorem, et vaginam detergentibus iniectis tractauit, nihilominus tamen poſtea a reſorpta ſanie abſceſſus externae partis femoris dextri oriebatur. Subſtantia tumoris ex plurimis ſtratis membranarum conſtabat, quae ſubſtantiam adipoſam continebant, et fibris ligamentoſis cohaerebant; haec maſſa cordiformis quatuor libras aequauit. Hinc patet: 1. nonnullos polypos vteri, vti vterum inuerſum, reponi poſſe; 2. citius ligari debere; 3. non ſtatim ad inuerſionem vteri concludendum eſſe, etiamſi collum vteri vix a polypo diſtingui poſſit.

p. 251. 6. *Obſeruatio* Cl. BAURIENNE, *de vulnere contuſo, quod in ſphacelum ſcroti tranſiit.* Lanio, 45 annorum,

norum, a boue duabus contuſionibus laeſus eſt, ab oſſis pubis dextri parte inferiore vsque ad perinaeum, et ad ſuperiorem partem internam femoris ſiniſtri. Poſt quatuor dies acceſſit febris vehemens, alui obſtructio pertinax, et gangraena ſcroti, cuius partes corruptas abſcidit Cl. Auctor, vna cum teſticulo dextro, ac ſiniſtrum plane denudauit, qui tandem rite tractatus ſponte nouis integumentis obtectus eſt, et aeger intra duos menſes conualuit.

7. Cl. TERLIER *obſeruatio herniae cruralis cum gangraena.* Vicenaria in quarto grauiditatis menſe, poſt inſignem dolorem, in plica femoris ſiniſtri percepit tumorem, quem ſecuta eſt colica, ac vomitu foeces reiiciebantur. Septimo die tumor inciſus oſtendit, inteſtinum exulceratum quidem reductum eſſe, ſed peritonaeo adhaerere, nec annulum hac ex cauſſa dilatari poſſe. Ad euacuandam materiam in abdomine effuſam, vulneri iniecit vinum calidum, ac decocta vulneraria cum aqua calcis, quae cum pure in apto ſitu corporis e vulnere rurſus effluebant. Primo menſe foeces partim e vulnere, partim ex ano emanabant, ſed ſenſim vulnus coaluit, ac aegra reſtituta poſtea iuſto tempore peperit. p. 256.

8. Cl. BOURGEOIS *obſeruatio de agno monſtroſo.* Habuit quatuor aures, duas in ſitu naturali, duas ſibi adhaerentes in medio oſſis occipitis ſitas, quarum ductus cartilaginei os penetrabant. Collum erat duplex arcte coniunctum, ſpina dorſi duplex ab occipite vsque ad caudas, coſtae duplici ſterno adhaerebant, trunci duplices vsque ad vmbilicum inter ſe cohaerebant, reliqua vtriusque pars ab altero ſeparata erat; extremitates aderant quatuor ſuperiores, totidemque inferiores. Aperto abdomine conſpiciebantur duae venae vmbilicales, in duplex hepar inſertae, reliqua viſcera duplicia erant, excepto ventriculo et canali inteſtinorum, qui in duo inte- p. 264.

 ſtina

ſtina recta finiebatur; genitalia duplicia; leuato dupli-ci ſterno, ſub quolibet viſum eſt cor, pulmones ac thymus; cerebrum et cerebellum non receſſit a ſtatu naturali, praeter ſpinalem medullam, quae diuiſa per duo foramina occipitis in duplicem ſpinam dor-ſi deſcendit.

Menſe Aprili.

p. 335. 3. *Obſeruatio* Cl. CONNELL *de morbo conuulſiuo.* Vir 27 ann. vlcere cruris afflictus, et ob vitae ge-nus ſemper pedibus inſiſtere coactus, ſubito tactus eſt tetano cum alui obſtructione, veſicae conſtrictio-ne, motu conuulſiuo maxillae inferioris, deglutitio-ne difficili, doloribus nephriticis. Cum omnia re-media parum efficerent, ad ſoluendum tetanum, id tandem praeſtarunt ſanguiſugae, hypochondriis applicatae, ac balnea continuata vna cum purganti-bus mitioribus aegrum intra 27 dies ſanum reddi-derunt.

p. 342. 4. *Obſeruatio* Cl. HAZON, *de bono effectu chinae chinae in variolis gangraenoſis.* Infans quinquennis, variolis confluentibus laborans, ac 16 die a purgan-te nimis agitatus, die 18 a medico accerſito inue-niebatur debillimus, cum conuulſionibus faciei, et variolis gangraenoſis, adhibito vero infuſo vinoſo cort. Peruv. et veſicatoriis, conuulſiones ceſſarunt, cruſtae ſecedebant, et latus dextrum paralyticum paulo poſt reſtitutum eſt.

p. 346. 5. *Epiſtola* Cl. FABRE, *ſiſtens obſeruationem de amauroſi, a colica producta, et emetico ſublata.* Qua-dragenarius poſt colicam vehementem mox coecus factus eſt, cui Cl. Auctor praeſcripſit 4 gr. tart. emet. altero die potionem laxantem, tertio 4 gr. tart. emet. eandemque doſin per 9 dies, poſtea ptiſanam ſudo-riferam, et ad oculos applicauit vaporem ſpir. vini et caffeae, quibus remediis aeger poſt 20 dies plane viſum recuperauit.

6. Cl.

6. Cl. SAULQUIN *obſeruatio peculiaris, de puella* p. 348.
elingui, quae loquitur, cantat, cet. Huic, 14 annorum, tertio aetatis anno, cum vix verba exprimere poterat, a variolis malignis lingua gangraena deſtructa eſt, ſed ſenſim didicit maxime neceſſaria petere, et nunc diſtincte loquitur atque cantat, quamuis parua portio linguae ei relicta ſit. Cum vero baſi linguae relictae adhaereant muſculi externi, et niſus loquendi horum actionem faciliorem reddiderit: facultas loquendi hinc euidentior fit. Varia eiusmodi exempla ex variis auctoribus hic afferuntur.

7. *Obſeruatio* Cl. LOTTINGER, *de hernia in-* p. 352.
carcerata gangraenoſa, vi naturae curata. Octogenariam hoc malo affectam clyſmatibus tractauit, ſed paulo poſt tumor inguinalis inflammatus ſe aperuit, vt anus artificialis oriretur. Aegra vulneri nihil, praeter emollientia, applicauit, idque tandem ſponte coaluit.

8. Cl. LEAUTAUD *obſeruatio de contuſionibus* p. 355.
maxime doloroſis, quibus iuuenis in abdomine laeſus eſt. In rixa vnus alterum per crebros ictus in abdomen in terram proiecit. Febris vehemens, dolores, hepatis tumor, abdominisque tenſio nullis remediis cedebant, poſt tres tandem hebdomadas Cl. Auctor diluentia, aperientia lenia, et ſemicupia proſpero cum effectu adhibuit, et aeger, eiecto per aluum copioſo ſanguine putrido et vermibus, conualuit.

Menſe Maio.

3. *Obſeruationes* Cl. POSTEL DE FRANCIERE, p. 407.
de catalepſi. Eſt affectio cerebri acutiſſima, quae ſubito aegrum loquela, motu et ſenſu priuat, oculis fixis apertis, effluit ſaliua viſcida ex ore, et finitur plerumque apoplexia vel caro lethali, quod tribus obſeruationibus confirmatur. 1. Quadragenarius, repreſſa ſcabie ſicca inueterata, incidit in catalepſin,

et

et ſenſum quidem, poſt emeticum et venaeſectionem, ad leue tempus recepit, ſed poſtea apoplexia periit. 2. Alius, eadem aetate, curis confectus, in catalepſi iisdem remediis vſus eſt, ſed breui tempore poſt apoplexia mortuus eſt. 3. Alius 22. ann. valde defatigatus, eodem morbo correptus eſt, cui Cl. Auctor venas extremitatum et iugulares crebrius ſecuit, eumque, poſt vſum clyſmatum, purgantium ac diluentium, plane ſanauit.

p. 430. 5. Cl. DARLUC *obſeruationes de hydrope peritonaei.* Quadragenaria per 4 annos hydrope laborans, tandem paracenteſi a quindecim menſuris ſeri fuſci, ſpiſſi, turbidi, liberata eſt, ſed poſtea diaetae erroribus in priorem morbum rurſus incidit, vbi, abdomine acu pertuſo, corpus durum ſeri effluxum retardabat, et ex altero latere acu pertuſo parum ſeri turbidi, nigri, emanabat, ac aegra paulo poſt periit, in cuius abdomine diſſecto ſub muſculis transuerſis apparuit ſaccus liuidus, ſpiſſus, carnoſus, ab vmbilico ad oſſa pubis deſcendens, cuius membrana ſuperior erat mollis, ſanioſa, inferior ſpiſſior, multisque glandulis ſcirrhoſis obſita, fundus aliquot menſuris ſaniei repletus. A ſuprema parte ſiniſtra huius ſacci pendebat tumor ſteatomatoſus, decem librarum pondere, qui vicinas partes maxime compreſſerat, et epiploon ſiſtere videbatur, vti ſaccus ipſum peritonaeum. Ouaria maxime tumida et ſcirrhoſa, inteſtina valde conſtricta, hepar iuſto maius, ac hydatidibus refertum erat.

p. 445. 6. *Obſeruatio* Cl. CONSOLIN, *de vermibus cucurbitaceis.* Vir, 45 annorum, poſt leuem diarrhoeam et eiectionem vermium cucurbitaceorum, ſubito incidit in motus epilepticos, ſed ſumto purgante amaro et granis 20. merc. dulc. eademque eius doſi per 10 dies continuata, plurimos eiusmodi vermes aluo eiecit atque conualuit. Hinc patet, hos

hos vermes non ſemper praeſentiam taeniae indicare, ac mercurio dulci et reliquis anthelminticis cedere.

8. *Obſeruatio* Cl. DE GLATIGNY, *de ſarcomate tenui virginis, quod ab inferiori parte dextra regionis pubis ad genu vsque dependebat.* Haec 35 annorum acum intrudit in regionem pubis, vnde enata eſt excreſcentia carnoſa pedis vnius longitudine, quinque linearum latitudine, piſtillo ſimilis, et ex pluribus quaſi filis membranaceis ſpiraliter contorta, quam Cl. Auctor filo ſericeo ligauit, ac ſine haemorrhagia ſecuit. p. 453.

Menſe Iunio.

2. Cl. LARROUTURE *obſeruatio de cancro naſi, complicato cum tuberculis ſcirrhoſis ac vlceribus pulmonum, extracto cicutae, ad* STOERKII *methodum praeparato, curato.* Virgo 24 ann. laborauit cancro naſi aperto; effluxu ſaniei a medicaſtro repreſſo, incidit in febrem, ac tuſſim phthiſicam, cui Cl. Auctor dedit pillulas cicutae, quarum doſis, bis ſingulo die adhibita, et ſenſim a grano vno vsque ad 12 gr. adaucta, febrim et tuſſim auxit, atque, cum aegra ſponte cicutae vſum per 14 dies omiſiſſet, omnia in peius mutabantur, donec tandem Cl. Auctor cicutae doſin ad ℨß auctam bis ſingulo die praeſcripſit, qua ſenſim cancrum hunc plane curauit. p. 502.

3. Cl. PLANCHON *obſeruatio, de colica pertinaci, purgantibus ſublata.* Tricenaria colica laborabat et alui obſtructione pertinaci, praegreſſa eius tarditate per 6 hebdomadas. Manna quidem et oleum amygd. dulc. cum rhabarbaro aluum ſoluebant, et colicam mitigabant, ſed vomitu reiecta ab aegra vlterius non ſumebantur. Auctis poſtea ſymptomatibus, ei propinauit ſex grana kermes miner. in oleo amygd. dulc. et ſyrupo altheae, quo aluus aperta p. 520.

eſt,

eſt, ac repetitis potionibus purgantibus aegra ſenſim conualuit.

p. 551. 6. Cl. ICART *obſeruatio de tumore ſcirrhoſo, molis inſignis, exſtirpato.* Quinquagenarius per octodecim annos geſſit tumorem, pondere 42½ librarum, qui vertebris colli adhaerens, ſuper ſcapulas expanſus, ad nates vsque deſcendebat; inferius erat rotundus, craſſus, non dolens, nec niſi pondere moleſtus, colore cutis naturali, maculis nigris, cicatricibus variolarum ſimilibus, obſitus. In eius exſtirpatione ſex librae circiter ſanguinis e duabus arteriis magnis effundebantur, ac vulnus poſtea breui tempore coaluit.

p. 553. 7. Cl. VOLAIRE *obſeruatio, de globo plumbeo, per duos annos in ſubſtantia cerebri militis, ſine vllo ſymptomate, relicto, tandem eius mortem excitante.* Ab ictu ſclopeti vulneratus eſt aeger ad partem ſuperiorem oſſis temporum dextri, vnde chirurgi vndecim fragmenta oſſea intra 40 dies extraxerunt, donec conualuit. Poſt duos vero annos hic ſubito ex vehementiſſimo dolore capitis mortuus eſt, in cuius ſectione apparuit, dimidiam partem globi plumbei ipſi ſubſtantiae cerebri inhaeſiſſe.

p. 554. 8. *Obſeruatio* Cl. MUTEAU DE ROQVEMONT *de duobus tumoribus et vlcere ſcrophuloſo, ope pillularum cicutae curatis.* Parotides et glandulae maxillares pueri ſexennis erant ſcirrhoſae, atque vlcus ad articulum brachii dextri deprehendebatur, cui per ſex menſes exhibuit pillulas cicutae, ad drachmam ſemis vsque ſingulo die ſenſim in doſi adſcendens; praeterea applicauit cataplaſma cicutae, ac omni duodecimo die aegrum purgauit octo granis *paſtae alexiteriae de Rotrou*, quibus tandem remediis puer plane eſt reſtitutus.

XII. AN-

XII.

ANTONII GOUAN, Doct. Med. Monſpel. Reg. Societ. Scient. Socii etc. Flora Monſpeliaca, ſiſtens plantas no. 1850. ad ſua genera relatas, et hybrida methodo digeſtas; adiectis nominibus ſpecificis, triuialibusque, ſynonymis ſelectis, habitationibus plurium in agro Monſpelienſi nuper detectarum, et earum, quae in vſus medicos veniunt nominibus pharmaceuticis, virtutibusque pharmaceuticis. Lugduni, ſumptibus Bened. Duplain 1765. 8vo. Alph. 1. pl. 12. tab. aen. 3.

Qui alio tempore a nobis excitatus laudatusque fuit Cl. GOUAN, denuo commemorari nunc debet. Licet enim hortus Monſpelienſis *) ab eodem editus indigenas quoque plantas contineat, easdem tamen et alio ordine diſpoſitas, et multis modis illuſtratas, numeroque auctas, in hoc volumine accepimus, hinc etiam de eodem quaedam nunc annotare, non iniucundum fore exiſtimamus. Et de ordine quidem, ſecundum quem Cl. Auctor hasce diſpoſuit plantas, quaedam primo moneamus. Hybridam dixit methodum, eſtque eadem partim Riuiniana, partim Linnaeana, et in multis cum ea conuenit, quam Cl. LUDWIGIUS condidit, in nonnullis autem ab huius diſpoſitione recedit. Claſſes itaque ex Riuiniano ſyſtemate, ordines vero a Linnaeanis claſſibus deſumſit, cum, vt ipſe monuit, facilius in flore detegantur petalorum numerus, proportio, inſertio, aequalitas, quam ſexuum affectiones; et ſic ex numero et regularitate petalorum duodecim con-

*) Eius recenſio legitur in Comment. Vol. XI. Part. I. p. 154.

conſtruxit claſſes, quas ſequuntur flores compoſiti, ex corollulis regularibus, irregularibus, et ex vtrisque; agmen tandem claudunt apetalae, vbi etiam nonnulli nudi flores, vt *Ruppia*, *Hippuris*, occurrunt, tandemque cryptanthemae. Et ſic ſeptemdecim claſſibus tota coercetur methodus, in qua ad diuerſorum florum ſexum nullibi reſpexit, vbique imperfectos miſcuit cum perfectis, et *Iuglandem* e. g. *Poterium*, *Momordicam*, *Bryoniam*, ad monopetalas, *Cannabim*, et *Humulum* ad apetalas reduxit; in compoſitis ſyngeneſiae LINNAEI genera modo retinuit, eorumque ordines eadem methodo ſecundum polygamiam aequalem et ſ. p. diſpoſuit, aggregatosque vt *Scabioſam*, *Dipſacum*, ad ſimplices amandauit. Porro quoque cum certi inter calycem et corollam limites nondum inuenti ſint, calycem ſaepius pro corolla aſſumſit, easdemque plantas, vt *Polygonum*, *Theſium*, ad petaloideas retulit. Multa quoque cum ſint genera, quorum ſpecies corolla diuerſa inſtruantur, aut ſtaminum numero, vel ſexu diſcrepent, eas vbique a ſe inuicem ſeparauit, immo plantas monoecias et dioecias, vbi in maſculo et foemineo flore aliquid, ratione corollae, animaduertitur diſcrimen, in diuerſis claſſibus repetiit, genusque idem et ſpeciem bis nominauit, vt in loco, quem ſibi quilibet flos vindicabat. Quo haec clarius adpareant, nonnulla excitemus exempla. *Scabioſae* aliae ad regulares, aliae ad irregulares monopetalas, *Crucianellae* ad monopetalas tetrandrias, digynias, maritima vero ad pentandrias, monogynias, *Conuallaria bifolia* ad tetrandrias, reliquae ad hexandrias, *Gentianae* quaedam ad monopetalas tetrandrias, monogynias, aliae ad digynias, *Polygoni* aliae ſpecies ad monopetalas pentandrias, digynias, aliae ad hexandrias digynias, aliaeque ad octandrias trigynias amandantur; ſic etiam in tetrapetalis regulari-

bus

bus diandriis *Lepidii, Siſymbrii, Lythri* ſpecies recenſentur. *Xanthium* et *Naias* mas in monopetalis, femina in apetalis, *Buxus* mas in dipetalis, femina in tripetalis collocantur; immo vbi flores in vna planta variant, eadem in duplici loco recenſetur, ſic *Adoxa* inter monopetalas octandrias, item et inter decandrias occurrit. Monemus porro, vmbelliferas partim ad regulares, partim ad irregulares pentapetalas, *Orchides* omnes ad pentapetalas irregulares, *Euphorbium* et *Polygalam* ad tetrapetalas irregulares, et Gramina pleraque ad dipetalas irregulares, attamen *Alopecurum* ad monopetalas irregulares, *Anthoxanthum* vero ad dipetalas regulares, Cl. Auctorem reduxiſſe, et ſic vbique leges methodi artificialis ſtricte obſeruaſſe. Cur vero *Ficaria* polypetala cum *Ranunculis* pentapetalis coniunctim propoſita?

Licet autem Cl. Auctor in ſyſtemate claſſibusque a LINNAEO multum receſſerit, in ordinibus tamen ſaepiſſime, in generibus vero et ſpeciebus vbique eundem preſſe ſecutus eſt. Ita antheras et ſtylos numerando, monandria, monogynia et ſ. p. dixit, in monopetalis regularibus, poſt decandrias, monadelphiae, monoeciae, dioeciae, in irregularibus, poſt pentandrias didynamiae, diadelphiae, vbi et *Fumariae*, et *Trifolii* ſpecies occurrunt, dein et gynandriae character, contra vegetationis regulas aſſumtus, et in tetrapetalis regularibus, poſt polyandrias, tetradynamiae, etiam in pentapetalis, gynandriae ſeorſim collocantur. Generum charactéres, in Syſtemate Naturae LINNAEI traditos, compendioſos, ſaepe vt nobis videtur, inſufficientes, immutatos plerumque repetiit, aliquando eosdem locupletauit, vbique vero illos notis ſecundariis auxit, ſolis graminibus exceptis, vbi ſolummodo efflorefcentiam, nullas vero alias notas addidit, monuitque ipſe: aſſignent alii notam ſecundariam eſſen-

 tialem,

tialem, qua differunt inter ſe plantae, gramina di-
ctae; ſic quoque nomina triuialia et ſpecifica ple-
rumque retinuit, in varietatibus conſtituendis eius-
dem veſtigia preſſit, earumque, quae in vſus medi-
cos veniunt, virtutes vtplurimum ex eodem repe-
tiit, immo vbi ipſe Cl. Auctor qualitates nouas no-
tauit, a LINNAEO primum inuentas, nouas quaſi
medicas voces retinuit. Dabimus et aliqua huius
rei exempla. *Gallio vero* antidyſenterica, antiepi-
leptica, *Aſperulae odoratae* diluens et antiexanthe-
matica, *Cynogloſſae* antiphtiriaca et adſtringens,
Borragini expectorans, antipleuritica, *Conuoluulo
aruenſi* reſoluens et ſubanodina, *Lyſimachiae Nummu-
lariae* antileucorrhoica, *Vincae* ſophiſticans, *Solano
nigro* antiproctalgica, *Gratiolae* mochlica, *Eupatorio
Cannabino* antihydrocelica, *Iuglandi* anticolicalis,
Menthae gentili ſterilitans, *Burſae paſtoris* antidiar-
rhoica, antihaematurica, antihemorragica, vino re-
ſoluens, et aquae vitae vinique ſpiritui eadem et
fortior virtus attribuitur. *Scorodoniae* quoque effi-
cacia *Scordii*, et *Thalictri flaui* radici, ſi doſis detur
tripla, virtus *Rhei* adſcribitur et ſ. p.

Hac ratione Cl. Auctor plantas, a MAGNOLIO
olim memoratas, fere plurimas recenſuit, pauciſſi-
mis, quae obſcurae maxime ſunt, omiſſis et ad cal-
cem ſeparatim adnotatis; auxit vero Floram multis
ab anteceſſoribus in agro Monſpelienſi praeteruiſis,
quarum etiam habitationes ſollicite adnotauit, in
aliis autem loci natalis nullam mentionem fecit.
Plures quoque exoticas, cicures, et veluti indigenas
factas commemorauit, immo ſpecies quoque anima-
lium, a MAGNOLIO ad regnum vegetabile relatas,
in ipſa quidem recenſione omiſit, in appendice ta-
men, quo omnia Magnoliana exhiberet, additis ſy-
nonymis Linnaeanis adduxit. Nomina autem ver-
nacula, quoniam vaga et indeterminata ſunt, vbi-

que

que ſepoſuit, in indice vero peculiari, adiectis nomine latino numeroque ſpeciei cuiuslibet, eadem adnotauit. Et praeter hunc quinque alios indices adpoſuit, quorum 1) nomina generica et ſpecifica, 2) ſynonyma, 3) triuialia, 4) pharmaceutica, 5) denique gallica continet.

His in genere de Flora praemiſſis, quasdam addamus obſeruationes, quo Cl. Auctoris merita in rem herbariam eo clarius pateant. *Ilex aquifolium*, p. 17. variat foliis integerrimis, apice tantum ſpinoſis. *Primula officinalis et Auricula*, calycibus et corollis p. 23. octofidis octandris, *Atropa Belladonna* floribus ſexfidis dodecandris ludunt. In *Vaccinio* et *Erica* ſta- p. 31. mina receptaculo, in *Daphne* et *Stellera* tubo corol- p. 43. lae affixa ſunt. *Hyoſcyamus niger* humanam ali- p. 76. quando attingit altitudinem, foliaque gerit radicalia lanceolota, laciniata. *Cari* et *Apii* vmbellae vni- p. 224. uerſales, foliolo inuolucriformi ſaepius donantur. *Berberis* dumetorum filamenta habet ad tactum ſen- p. 312. ſibilia; in *Colchico* ſecundo anno radiculae, folia, et p. 313. ſcapus prodeunt ex oppoſito bulbi latere, et ſic quotannis a dextro ad ſiniſtrum, et vice verſa ſedem mutant. *Carlina lanata* vbique, etiam dum floret, lanata, p. 331. incipiente autem fructificatione, ita ſenſim eandem exuit, vt perfecta fructificatione tota ſit glabra. In *Theligono*, maris et foeminae ſitum accurate conſide- p. 414. rans, feminam non ab oppoſito ſibi mare, ſed a ſuperiori foecundari poſſe notauit. *Geniſtam* purgan- p. 474. tem falſo ab Auctoribus inter ſpinoſas ſpecies relatam fuiſſe monuit, rami enim et exſiccati nullo modo pungunt, nec vllibi adparet aculeus, et folia in eadem quotannis decidunt, licet prodeant tunc demum, quando fructificat. Haec ſufficiant, alias eiusmodi interſperſas obſeruationes ſpecierumque nonnullarum deſcriptiones omittamus. Icones additae ſunt: *Stellera paſſerina, Iberis ſaxatilis*, et *Heliotropium ſupinum*.

XIII.

Obſervations on the Nature, Cauſes and Cure of thoſe Diſorders, which have been commonly called nervous, hypochondriac or hyſteric, to which are prefixed ſome Remarks on the Sympathy of the Nerves. By ROBERT WHYTT M. D. F. R. S. Phyſ. to his Maj. Preſ. of the R. Coll. of Phyſ. and Prof. of Med. in the Univ. of Edinburgh. Edinburgh printed for I. Balfour, and T. Becket and P. du Hondt, London 1765. 8. 1 Alph. pl. 10½.

i. e.

Obſeruationes de natura, cauſſa et curatione morborum, qui vulgo neruoſi, hypochondriaci et hyſterici dicuntur, quibus praemiſſae ſunt quaedam de conſenſu neruorum adnotationes. Auctore ROBERTO WHYTT *).

Qui haud ita pridem e viuis deceſſit Celeberrimus huius operis Auctor, eiusdem publicatione non ſolum per illud ipſum egregiae ſuae doctrinae et experientiae luculentum exhibuit teſtimonium, ſed et de omnibus, qui artem ſalutarem colunt et faciunt, optime meritus eſt. Agit vero hoc libro de iis potiſſimum adfectionibus, quae ex inſigni quadam debilitate

*) Prodiit etiam germanice ſub titulo: *Beobachtungen über die Natur, Urſachen und Heilung der Krankheiten, die man gemeiniglich Nerven-hypochondriſche und hyſteriſche Zufälle nennet, mit einigen vorausgeſezten Anmerkungen über die Sympathie der Nerven, durch* ROBERT WHYTT, *aus dem engliſchen nach der 2ten verbeſſerten Ausgabe überſezt. Leipzig*, 1766. 8. *mai.*

litate aut praeternaturali ſenſibilitate ſyſtematis neruoſi oriuntur. Atque cum earum plurimae originem ducant ex illa ſympathia, quae inter omnes fere corporis humani partes neruorum ope exiſtit, quasdam de hoc conſenſu obſeruationes praemiſit, quibus tractationem de cauſſis horum morborum, atque tandem methodum iis medendi adnectit. Ita vero in hoc opere verſatur, vt omnia multis notabilibus morborum hiſtoriis illuſtret, atque ea tantum remedia commendet, quorum vtilitatem ipſe in praxi ſua expertus eſt.

Exponit in capite primo *de ſtructura, vſu et conſenſu neruorum in vniuerſum*, atque multis argumentis et obſeruationibus probat, ſympathiam quandam tum inter omnes corporis humani partes in vniuerſum, tum in ſpecie arctiorem quandam inter varia organa et viſcera eſſe. Omnis vero haec ſympathia vnice fit neruorum ope, cum ſentiendi facultatem requirat; exempla enim conſenſus profecti ex continuatione membranarum, aut analogia fabricae diuerſarum partium etc. quae a variis etiam Auctoribus adducuntur, vel a neruis oriuntur, vel conſenſus nomen haud merentur. Concedit vero Cl. WHYTT, rationem, qua partes inter ſe per neruos conſentiant, difficile explicari poſſe. Confugiunt quidem phyſiologi ad varios illos plexus aut ganglia, quibus nerui in ſuo a cerebro ad partes corporis humani progreſſu inter ſe iunguntur. Attamen vera coniunctio inter ipſa filamenta medullaria haud demonſtrari poteſt, partesque, quarum nerui minime inter ſe cohaerent, tamen inter ſe conſentiunt, tandemque ramo nerui cuiusdam maioris laeſo, non omnes partes, quae ab eodem trunco neruos ſuos habent, conuelluntur. Sedem itaque omnis conſenſus Cl. WHYTT in cerebro et medulla ſpinali eſſe contendit, atque putat, oriri eum excitata peculiari p. 1.

liari quadam ſenſatione in encephalo et medulla ſpinali. Tribuit quoque multum in explicatione effectuum, quos animi commotiones in corpore noſtro producunt, oſcillatorio vaſorum minimorum motui, negat vero, laqueos nerueos, qui vaſa
p. 71. circumdant, vim habere ea ipſa conſtringendi. Variae ſpecies conſenſus explicandae ſunt per conatum illum atque niſum, quem natura ad corporis conſeruationem impendit, aliae ex ſola vicinitate partium, aut compreſſione neruorum, vel inaequali distributione ſanguinis oriuntur. Maxima tandem pars eorum exemplorum, quae vix vllo modo explicari poſſunt, oritur ex vniuerſali corporis harmonia. Haec enim efficit, vt pars prae caeteris debilior, quacunque alia corporis parte irritata, ſimul in conſenſum trahatur, cum reliquae haud adeo imbecilles irritationi fortiter reſiſtant. Sic v. c. foemina ex luxatione pedis rigiditatem quoque et dolorem in omni reliquo corpore experiebatur, et puella, quoties pedes eius extendebantur, toties quoque moleſta afficiebatur tuſſi, quae tam diu durabat, quamdiu pes in hoc ſitu eſſet.

p. 85. Secundo capite Cl. Auctor in genere *de morbis neruorum et hypochondriaco vel hyſterico malo* disputat, quorum morborum proxima cauſſa ſedet vel in membranis, vel in medullari neruorum parte. Atque licet hae cauſſae ob exilitatem partium affectarum ſenſus noſtros fugiant, effectibus tamen ſe oſtendunt, cum per eas in omni affectione neruoſa vel ſentiendi vel mouendi facultas morboſe mutetur. Sentiendi vis vel nimis intenditur, vel obtunditur, vel corrumpitur, vel tandem plane tollitur. Facultas mouendi exceſſu non nocet, ſed tantum, ſi vel deeſt, vel debilitata eſt, morbi cauſſa fit.
p. 93. Cum in omni morbo nerui quoque ob vniuerſalem partium omnium conſenſum aliquantum afficiantur,

difficile

difficile eſſe videtur, ſignum verum pathognomonicum neruoſorum morborum eruere; interim tamen eae potiſſimum adfectiones *neruoſae* (*neruous*) dici debent, quae propter ſenſibilitatem nimiam, aut aliam morboſam mutationem ſyſtematis neruoſi oriuntur ex cauſſis per ſe tam leuibus, vt neruis integris tam vehementes effectus nullo modo producant. Sic, exempli loco, odontalgia, ſi per ſe conſideratur, non ad neruoſos morbos pertinet. Quodſi vero in homine, qui odontalgia laborat, ob nimiam ſyſtematis neruoſi debilitatem nerui diſtenduntur, tunc hae conuulſiones ad neruorum morbos omnino referendae ſunt. In vniuerſum autem hiſce morbis adnumerandae ſunt eae adfectiones, quas ſpaſmos, aut ſymptomata hypochondriaca vel hyſterica dixerunt. Aegros hiſce morbis obnoxios Cl. WHYTT in tres claſſes diuidit, quarum prima eos continet, in quibus totum ſyſtema neruoſum debilitate laborat, vt a leuiſſima cauſſa irritentur; altera hyſtericos, tertia hypochondriacos. Attamen hyſtericum et hypochondriacum malum, ſi accuratius conſiderantur, minime a ſe inuicem differunt, cum cauſſa, ex qua proficiſcuntur, non, vti multi aſſumunt, in vtero vel primis viis tantum lateat, ſed in genere haec mala oriantur ex praeternaturali quadam ſyſtematis neruoſi conſtitutione. p. 96.

Tertium caput de *cauſſis praediſponentibus morborum neruoſorum* inſcribitur, quarum prima eſt debilitas (*delicacy*) aut nimia ſenſibilitas totius ſyſtematis neruoſi in vniuerſum, altera praeternaturalis ſenſibilitas aut facultas ſentiendi corrupta vel alio modo laeſa in parte quadam. Ex diuerſa ſenſibilitate variorum corporum explicari poteſt ea differentia, quae ratione celeritatis pulſus in variis corporibus, quae de reliquo perfecte ſana ſunt, occurrit. In nonnullis Cl. WHYTT 40 tantum pulſus p. 111.

intra minutum primum, in aliis centum et viginti
p. 126. numerauit. Explicantur quoque ex hac ipſa re varia alia phaenomena, vt diuerſa actio medicamentorum etc. atque admirandae illae mutationes, quas idioſyncraſia producit. Inprimis autem oriuntur neruoſi morbi, ſi nerui canalis primarum viarum debilitati vel alio modo adfecti ſunt, cum non tantum in abdomine varia exinde ſymptomata morboſa producantur, ſed totum quoque ſyſtema neruoſum ita debilitetur, vt exinde per leuiſſimas cauſſas moueatur. Haec aliaque Cl. Auctor hic egregie explicat. In hydrophobia nerui oeſophagi et ventriculi ita mutantur, vt, ſine vlla partium inflammatione praegreſſa, eundem acquirant irritabilitatis gradum, quem in naturali ſtatu nerui tracheae poſſident.

p. 143. Praediſponentes vero cauſſae hactenus recenſitae, ſi ſolae adeſſent, vix vnquam neruoſa ſymptomata producerent, niſi plures quoque accederent *cauſſae occaſionales*, quas Cl. Auctor in capite ſequente fuſius examinat. Harum aliae vniuerſales ſunt, et in omni humorum maſſa latent, aliae particulares
p. 162. in parte tantum aliqua ſedent. Prima ex vniuerſalibus eſt materia quaedam morboſa in ſanguine genita, cuius licet parua tantum copia adſit, tamen ſi ea per colatoria conſueta haud educitur, neruos irritando vel vaſa obſtruendo multa mala producit. Hoc Cl. Auctor inprimis exemplo materiae arthriticae declarat, quae in corpore circumerrans mira mala producit. Quamdiu enim cum ſanguine lente per vaſa circulatur, nullum dolorem excitat, quodſi vero vel ad articulos, vel ad muſculoſam partem figitur, tunc acrimonia ſua neruos irritat, et dolores rheumaticos atque podagricos producit, aut ſi ad viſcera, quae acute ſentiunt, vel arctiore ſympathia cum reliquo corpore coniuncta ſunt, fertur, hypochondriacum, hyſtericum aliaque neruoſa mala efficit.

ficit. Symptomata vero exinde orta non ſolum pro parte affecta differunt, ſed etiam pro vario gradu ſenſibilitatis ſyſtematis neruoſi in vniuerſum. Hinc robuſta corpora regulares podagricos inſultus, quae minus robuſta ſunt, irregulares acceſſus podagrae et rheumatiſmos experiuntur, atque foeminae tandem virique, quorum corpora valde ſenſilia et debilia ſunt, rariſſime vera podagra laborant, cum in iis arthritica materia vel haud perficiatur, vel ob virium vitalium imbecillitatem ad extremitates non perferri poſſit, ſed in corpore circumerrans, vel ex extremitatibus ad alias partes retrogrediens, multa producat ſymptomata, quae Cl. Auctor hic eleganter deſcripſit atque enarrauit. Neque mala, quae oriuntur ex altera cauſſa occaſionali vniuerſali, ſcilicet ex ſuppreſſione euacuationis cuiusdam conſuetae, vt ſunt catamenia vel haemorrhoides, minora ſunt iis, quae a materia morbifica proficiſcuntur. Catamenia enim, ſi ſuppreſſa ſunt, vel ob conſenſum vteri cum reliquis partibus, maxime cum ventriculo, vel ob plethoram ex ſuppreſſione natam, vel ideo tandem nocent, quia materia quaedam in corpore ſimul retinetur, quae neruis inimica eſt et ſymptomatibus anſam praebet. Cl. enim Auctor ex haemorrhagiis, quae, catameniorum fluxu ſuppreſſo, in aliis corporis partibus oriuntur, atque parco vſu venaeſectionis in illis, concludit, eas minime oriri ex plenitudine ſanguinis vniuerſali, ſed ex acrimonia quadam in corpore vna cum menſtruo ſanguine retenta. Putat enim hanc materiam acrem irritare poſſe partis cuiusdam minora vaſa ita, vt oſcillatorio motu in iis vltra modum aucto ſanguis ex dilatatis orificiis minimarum arteriolarum profluat. Tertia tandem cauſſa occaſionalis vniuerſalis eſt inanitio vaſorum, aut defectus globulorum cruoris in ſanguine. Quodſi enim in vaſis non tantum ſan-

p. 175. p. 183.

guinis adeſt, quantum ad actiones corporis perficiendas requiritur, non modo circulatio fluidorum in vniuerſum, ſed et diſtributio fluidi neruei quam maxime turbatur, variaque neruoſa mala producuntur.

p. 188. In capite quinto *particulares cauſſae occaſionales* horum morborum recenſentur. Cl. Auctor harum ſex enumerat, quarum tres priores, flatulentiae, viſcidum, et vermes, in primis viis ſedent. Quartam ſiſtunt alimenta, vel quantitate vel qualitate ſua corpori noxia. Quintam ſcirrhi aliaeque obſtructiones viſcerum abdominalium, et vltimam tandem vehementes animi commotiones. Ea ſymptomata, quae oriuntur a flatibus in ventriculo vel in inteſtinis contentis, differunt ſaepe in eodem corpore diuerſis temporibus, pro diuerſo ſtatu et varia ſenſibilitate ſyſtematis neruoſi in vniuerſum. Sic v. c. in arthritide retrogreſſa flatulentiae maiorem moleſtiam creant, quam aliis temporibus, cum inteſtinorum diſtenſio non ſola cauſſa ſit moleſtiae per flatus excitatae, quod, praeter alia, tympanitidis quoque exemplum probat, in qua ſaepe aegri nullis neruoſis ſymptomatibus vexantur, licet inteſtina ma-

p. 201. xime ab aere diſtendantur. Scirrhoſae aliaeque obſtructiones viſcerum abdominalium turbant circulationem ſanguinis per abdomen, moleſtam ſenſationem in neruis producunt, digeſtionem ciborum, bilis chylique ſecretionem turbant, hincque hypochondriacis et hyſtericis ſymptomatibus occaſionem praebent. Vti, eiusmodi obſtructionibus obortis, aegri tandem haud raro melancholici vel maniaci fiunt, ita e contrario illi ipſi morbi ſaepe obſtructionum harum cauſſa ſunt, vt itaque eiusmodi mala, in diſſectione cadauerum melancholicorum inuenta, non ſemper pro cauſſa, ſed etiam pro effectu eiusmodi aut aliarum affectionum neruoſarum habenda ſint. Materia nigra, quam aegri, qui ſcirrho in ven-

triculo

triculo laborant, haud raro vomitu reiiciunt, oritur ex ſanguine, qui ſenſim ſenſimque ex vaſis ventriculi ſcirrhoſis redditis et exulceratis exſudauit, atque in ventriculo per aliquod tempus retentus in eiusmodi paruulos grumos abiit. Quodſi vero maior ſanguinis copia ex vaſis eiusmodi disruptis egreditur, tunc verus vomitus cruentus fit, quem haud raro emetica acriora in eiusmodi aegris intempeſtiue adhibita producunt. Quam mirabilia mala oriantur p. 218. ex animi commotione, illuſtratur hiſtoria morbi in inſula *Zetland* quaſi endemii, quem incolae *inſultus conuulſiuos* (*conuulſiue fits*) vocare ſolent; ſub morbi huius acceſſu cor aegrorum vehementer palpitat, illi vero mox in terram cadunt, extremitatibus conuulſis atque articulis nonnunquam ita rigeſcentibus, vt nullo modo flecti poſſint. Reſpirant aegri difficulter, et durante paroxyſmo terribiles clamores edunt. Nonnunquam, ſed rarius, paroxyſmus per horam durat, in aliis vt plurimum intra quartam partem horae finitur. Hoc morbo rariſſime foeminae laborant, ſed virgines tantum et puellae, quae decimum vel duodecimum annum ſuperarunt. Proſtant tamen exempla quoque puerorum et duorum iuuenum, qui ſimiles acceſſus paſſi ſunt. Quod ſi in templo vel in alio loco, vbi multi homines congregati ſunt, aegra quaedam conuellitur, tunc ſtatim reliquae omnes, quae antea hoc morbo laborarunt, aut aliae, quae eum nondum expertae ſunt, ſi in aegram intentae ſunt, vel tantum clamores eiusdem audiunt, morbo per imaginationem ad eas traducto, ſimili ratione proſtratae conuelluntur, vt ſaepe ex hac ipſa re maximae turbae in publicis concionibus exoriantur. Interim aegrae, hiſce inſultibus obnoxiae, de reliquo optima gaudent ſanitate, et robuſtae ſunt.

Sequi-

p. 224. Sequitur capite ſexto *recenſio ſymptomatum ner-
uoſorum* maxime notabilium. 1) Eſt inconſue-
tus ſenſus frigoris et caloris ſibi inuicem celeriter
ſuccedentis, perceptus in variis corporis partibus,
quae, ſi exterius tanguntur, prae reliquis non calent.
Excitatur autem fallax haec ſenſatio caloris, a motu
oſcillatorio vaſorum minimorum aucto, per materi-
am quandam irritantem, vaſis hiſce inhaerentem.
Horror vero in vniuerſum, et praecipue in febribus
abſoluitur ſpaſtica contractione vaſorum minimorum,
ex irritatione neruorum a ſtimulo febrili orta. 2)
p. 229. Dolores in variis partibus, ſaepe ſubito ex vno loco
in alterum migrantes. Sunt ii rheumaticis ſimiles,
atque excitantur vel a ſtimulo acrimoniae, quae vaſis
minoribus inhaeret, vel a ſpaſmo, qui ex conſenſu
p. 231. partis dolentis cum neruis ventriculi oritur. 3) Li-
pothymiae et conuulſiones hyſtericae. Oriuntur
vel ex irritatione primarum viarum, vel ex animi ad-
fectu, vel ex ſuppreſſione catameniorum, quae non-
nunquam apoplexiam funeſtam cum ſpaſmodica glot-
tidis conſtrictione producit. 4) Catalepſis et teta-
p. 235. nus. 5) Flatulentiae. Oriuntur eae non ſolum ex
laxitate inteſtinorum, ſed etiam ex morboſa conſti-
tutione neruorum canalis primarum viarum. Ca-
nes, in quibus nerui octaui paris ligati ſunt, vehemen-
tiſſimis borborygmis afficiuntur. Saepius neruis in-
teſtinorum, in ſanitatem reſtitutis, aer, qui flatuum
cauſſa erat, nullis flatibus e corpore emiſſis ſubigi-
tur iterum et reſorbetur, qualia exempla in tympa-
p. 240. nitide laborantibus Cl. WHYTT obſeruauit. 6) Fa-
mes praeternaturalis, in qua nerui ventriculi ita mu-
tati ſunt, vt ſemper eam ſenſationem excitent, quam
famem dicimus, licet cauſſae, quae in ſtatu naturali
famem excitant, haud adſint. Simile quid fit in
p. 246. chloroticis et grauidis, pica vel malacia orta. 7) Vo-
mitus niger, de cuius materia ſupra iam diximus, vbi
de

de ſcirrhis ventriculi egimus. Attamen non ſcirrhoſae tantum obſtructiones, ſed et ſpaſmodicae conſtrictiones vaſorum minimorum ventriculi, et menſtruorum ſuppreſſio vomitum hunc excitant. 8) Excretio ſubitanea magnae copiae vrinae pallidioris. Motus humorum in vaſis ſecretoriis vrinae augetur quidem, ſed eodem tempore vaſa quoque ſpaſmodice conſtringuntur, ita vt tenuiſſima tantum pars humorum tranſeat. Haud raro in iis, qui per vehementem morbum debilitati ſunt, quando nocturno tempore in lecto iacent, inſignis copia vrinae profluit, qui fluxus interdiu, aut quando e lecto ſurgunt, ceſſat, et a Cl. Auctore vrina hectica ſeu colliquatiua vocatur. 9) Atrophia neruoſa. Ita vocat conſumtionem, in qua nulla excretio praeternaturaliter aucta eſt, et nulla febris adeſt. Ea ſaepe oritur, ſi nerui ventriculi et inteſtinorum morboſe adfecti ſunt, ob conſenſum, qui eſt inter ventriculum et reliquas partes omnes. Aluus vt plurimum in hac atrophiae ſpecie obſtructa eſt, nonnunquam flatuum ſigna adſunt. Pulſus debilis eſt, vt plurimum tardus, raro celer. Si febris accedit et vrina colliquatiua, aegri citius pereunt. In aliis obſtructiones tandem in pulmonibus formantur, et vera phthiſis pulmonalis accedit. Alii ſubito ſine vlla euidenti cauſſa conualeſcunt, alii tardius. 10) Aſthma neruoſum ſiue ſpaſmodicum verum ea ſpecies aſthmatis dici meretur, in qua nulla obſtructio in vaſis pulmonalibus adeſt, ſed vbi morboſa contractione ramorum aſperae arteriae aeris ingreſſus tantum impeditur. Cum caſus eiusmodi aegrorum, qui hoc morbo ex ſola nimia ſenſibilitate neruorum pulmonalium laborant, rariores ſint, hiſtoriam puellae ſeptem annorum Cl. WHYTT ſubnectit, in qua periodici aſthmatis inſultus, ſubito accedentes ſubitoque iterum aegram relinquentes, ex hac ſola cauſſa deduci poterant.

p. 246.
p. 253.
p. 260.

11) Tuſ-

11) Tuſſis neruoſa ea eſt, quae ex ſola ſympathia aſperae arteriae cum alia parte, cuius nerui morboſe affecti ſunt, oritur. Atque eiusmodi tuſſi afficiebatur puella octo annorum, cuius morbi hiſtoria et experimentorum in hac aegra inſtitutorum ſumma fuſius hic enarratur. Cum vero ea nimis longa ſit, ſequentia tantum hic adnotaſſe ſufficiat: 1) aegram hanc correptam fuiſſe illico tuſſi conuulſiua, quoties ea in lecto ita erecta ſedebat, vt pedes a lecto terram verſus penderent, aut alio modo flexi eſſent. 2) Sub hoc ſitu celeritatem pulſus in ea valde fuiſſe auctam, aegramque ſimul dolorem ſupra cartilaginem xyphoideam ſenſiſſe. 3) Quando caput humilius reliquo corpore iaceret, tuſſim et dolorem vehementiores factos eſſe. 4) Aquam calidam admotam pedibus aut manibus aegrae tuſſim ſuſtuliſſe, quicunque etiam corporis ſitus fuerit, vti contra frigida iisdem corporis partibus applicata, quocunque corporis ſitu, eam reuocaret. Ex his Cl. Auctor concludit, ſummam in hac aegra fuiſſe neruorum pulmonalium ſenſibilitatem, eosque arcta harmonia connexos fuiſſe cum ligamentis pedum, ita vt his ligamentis diſtentis, ſtatim nerui per conſenſum vehementer irritarentur, tuſſimque producerent. Concludit porro, aquam calidam, ſi extremitatibus neruorum adplicatur, communicare vniuerſo ſyſtemati neruoſo certum inſenſibilitatis gradum, quem excitare non potuerat calor ſiccus aut fomentationes, vti e contrario frigida producebat irritationem nulla arte compeſcendam. Multa et varia in hac aegra remedia adhibebantur, ex quibus tandem extractum cicutae plurimum vſum praeſtitit. 12) Palpitatio cordis. 13) Inſignis diuerſitas pulſuum in eodem corpore, diuerſis temporibus, ratione celeritatis, fortitudinis et plenitudinis. Praemittit Cl. WHYTT explicationem cauſſarum, quae pulſum fortem vel debilem, durum

durum vel mollem, celerem vel tardum reddere poſſunt, et per obſeruationes probat, has pulſus qualitates in aegris hypochondriacis et hyſtericis diuerſis temporibus maxime quoque differre. Vna eademque cauſſa in variis corporibus haud raro oppoſitos effectus producit. Sic v. c. dolor vehemens in vna aegra pulſum celeriorem reddidit, in altera eum retardauit. Vtraque tamen aegra per ſimilia medicamenta in ſanitatem reſtituebatur. 14) Cephalalgiae periodicae. 15) Vertigo. 16) Viſus obſcuratio, cuius nulla manifeſta cauſſa in oculis detegi poteſt. 17) Melancholia et mania. 18) Incubus. Huius ſymptomatis originem fuſius Cl. Auctor examinat, atque probat, oriri eum non a ſanguinis in capite ſtagnatione, ſed cauſſam eius ex morboſo ſtatu neruorum ventriculi proficiſci, licet minime negandum ſit, malum hoc per plethoram poſſe augeri. In fine tandem huius capitis declaratur, quomodo ex neruoſis morbis, hypochondriaco et hyſterico malo, phthiſis tandem pulmonalis vel alia mala oriri poſſint. p. 300. p. 308. p. 315.

In capite tandem ſeptimo Cl. Auctor ad *curationem neruoſorum morborum* accedit. In ea vero tum ad praedisponentes, tum ad occaſionales cauſſas reſpiciendum eſt. Praedisponentem debilitatem tollunt amara; ex quibus Noſter potiſſimum centaurio minore, radice gentianae et corticibus aurantiorum vtitur; cortex Peruuianus, quem in morbis hypochondriacis non in puluere adhibet, ſed tincturam eius, cui radicem gentianae et cort. aurantiorum addit, vehementer extollit, et pulueri corticis praefert; martialia porro; balnea ex aqua frigida et ex aqua marina; equitatio et nauigatio. Vini vſus ſaluberrimus eſt in eiusmodi morbis, vt infantibus corticis Peruuiani loco pauxillum vini rubri porrigi poſſit. Infuſum herbae theae neruis p. 329.

inimicum

inimicum eſt, atque abuſus eius inter praecipuas cauſſas neruoſorum morborum, quorum numerus adeo nunc augetur, referri debet. Inter palliatiua remedia opium primum locum obtinet, cui, ſi aluum obſtructam reddit, extractum hyoſcyami Noſter ſubſtituit. Camphorae princeps vſus eſt in deliriis febrium acutarum. Caſtorei vires antiſpaſmodicae longe minores ſunt, quam vulgo putatur, cum in iis tantum ſymptomatibus neruoſis vtile ſit, quae a flatibus oriuntur. Moſchum Cl. Auctor frequenter adhibet, minus calidus eſt, quam caſtoreum, et opio ſubſtitui poteſt. Praecipue laudatur in ſubſultu tendinum, aſthmate ſpaſmodico, tuſſi conuulſiua aliisque eiusmodi affectibus ſpaſmodicis. Aſſa foetida pariter multum extollitur. Vſum eiusmodi palliatiuorum, per longum tempus continuatum, tandem radicalem curam efficere poſſe, variis exemplis declaratur.

p. 379. Ad arthriticam materiam ſubigendam, praeter diaetam, tinctura corticis cum amaris ſupra deſcripta plurimum valet. Amara quoque in vniuerſum, ſi podagrica materia ventriculum infeſtat, vtiliſſima ſunt. In arthritide in vniuerſum Cl. Auctor diaetae lacteae parum tribuit. Aqua calcis radicalem curam quidem haud facit, interim tamen generationem materiae podagricae impedit, et inſultus podagricos leniores reddit. Ei commode addi poteſt ſapo. Quodſi verus ſcorbutus cum malo hypochondriaco coniunctus eſt, curatio difficulter ſuccedit, interim tamen in eiusmodi aegris amara remedia reliquis omnibus palmam praeripiunt. Si miliaris eruptio retropulſa neruoſa ſymptomata producit, praeter alia fomentationes quoque et pediluuia optima ſunt. Menſtruorum fluxus ſuppreſſus in iis, quae languidum habent pulſum, electricitatis ope nonnunquam reſtituitur. In haemorrhagia vteri chronica cortex Peruuianus minus vtilis eſt. Commendat vero Cl.

p. 393.

WHYTT potiſſimum ſerum lactis aluminoſum et decoctum corticum aurantiorum. Si in haemorrhagia poſt abortum ſpaſmi adſunt, ſanguinis fluxus per opiata tollitur. Aqua calcis viſcidum primarum via- p. 407.
rum egregie reſoluit, et in eiusmodi morbis vtiliſſimum eſt remedium. Ex anthelminticis laudatur potiſſimum Spigelia et ſapo. Aqua calcis nullam anthelminticam vim habet. Diaetam lacteam et ve- p. 413.
getabilem atque abſtinentiam ab omni potu fermentato minime impedire ortum morborum neruoſorum, demonſtratur exemplo pauperum in Scotia, qui, licet a carnibus et fermentatis omnibus abſtineant, tamen hypochondriaco et hyſterico malo valde ſubiecti ſunt. Nam in vniuerſum vegetabilis diaeta, quamuis in eiusmodi morbis vtilis ſit, qui ex victu lautiore et iurulento oriuntur, tamen magis flatulentiis aliisque ſymptomatibus anſam praebet, quam cibus ex vegetabili et animali victu compoſitus. In tumoribus reſoluendis ſubcutaneis frictionis et fo- p. 420.
mentationum vſus valde commendatur. Interne Cl. Auctor tartarum ſolubilem et ſal polychreſtum, nec non pillulas mercuriales laxantes et mercurium ſublimatum corroſiuum exhibet. In glandulis colli tumefactis cortex peruuianus multum etiam tunc prodeſt, quando febris ſimul adeſt, attamen purgantium quoque vſus interponi debet. Si eiusmodi glandulae ſub cute iacent, frictio cum vnguento mercuriali, vel emplaſtri mercurialis adplicatio, ſaepe vtiliſſimae ſunt. Remediis vero, quae glandularum tu- p. 427.
mores pertinaciores reſoluunt, omnino etiam adnumerari debet ſapo, cuius vnciam ſemis vel vnam Cl. Auctor cum egregio fructu aliquoties exhibuit, licet confirmatos ſcirrhos reſoluere haud poſſit. Atque in vniuerſum ſapo mercurialibus remediis praeferendus eſt, cum ſcirrhoſos tumores non irritet, aut humores nimium reſoluat, vti mercurialia faci-

unt, ſed potius vi ſua detergente vaſa a viſcido ea
obſtruente liberet. Extractum cicutae Cl. WHYTT
aliquoties ſine fructu adhibuit, ſcirrhum tamen mam-
mae et glandulam colli induratam eo diſſoluit.
p. 439. Caput octauum *de curatione nonnullorum ſympto-*
matum neruoſorum agit. Primum de conuulſionibus
et ſpaſmis disputatur, in quorum cura opium mul-
tum praeſtat. Suſpicatur etiam Cl. Auctor, in hy-
drophobia opii vſum, ſi illud in magna doſi atque
in clyſmate adhibeatur, ſummum fore, atque re-
medium Cl. NUGENT contra hydrophobiam, quod
ex cinnabari, moſcho et opio componitur, vim ſuam
a ſolo opio habere. In febribus, vbi deliria et con-
uulſiones aderant, fomenta ex herbis emollientibus
decoctis, pedibus applicata, Cl. Auctori in ſua praxi
magnam opem tulerunt, maioremque adhuc vtilita-
tem pediluuia, ita vt Cl. WHYTT fateatur, ſe pedi-
luuiorum ope plures aegros febribus acutis cum de-
lirio laborantes, quam per vllum aliud remedium ſer-
p. 452. uaſſe. Egregius quoque eorum vſus eſt in conuul-
ſionibus, quae ante eruptionem variolarum, aut ſub fi-
nem morbi, ſi variolae malignae ſunt, accedunt. In do-
loribus rheumaticis ſcarifationes et cucurbitulas ſic-
cas multum extollit. Motus conuulſiui ſaepe excita-
p. 470. to vehementiore animi affectu conſopiuntur. 2)
Lipothymiae hyſtericae cum conuulſionibus. In
p. 474. his quoque pediluuiorum vſus ſummus eſt. 3) Do-
lores et ſpaſmi in ventriculo. In his opiata non
medicamentis per os ſumtis admiſcet, ſed clyſmati-
bus addit. Laudat quoque iulapium ex moſcho.
p. 477. 4) Digeſtio laeſa, vomitus et dolores in ventriculo.
Si hoc ſymptoma poſt paſtum ob nimiam ſenſibilita-
tem neruorum ventriculi oritur, laudanum hora an-
te paſtum ſumtum omnem opem fert. 5) Colica
hyſterica aut flatulenta. Si vomitus ſimul adſunt,
mixtura RIVERII in ipſo actu efferueſcentiae hau-
ſta,

ſta, laudanum clyſmati admiſtum etc. commendantur. Cum vero numerus reliquarum obſeruationum nimis magnus ſit, quam qui totus poſſit huc transferri, lectoresque poſſint ſatis ex iis, quae recitauimus, cognoſcere, quae ſit huius libri praeſtantia, reliqua ſymptomata nominaſſe tantum ſatis ſit. Sunt vero ea. 6) Flatulentiae. 7) Aſthma neruoſum ſeu ſpaſmodicum. 8) Palpitatio cordis. 9) Copioſa excretio vrinae pallidae. 10) Cephalalgia periodica et tandem 11) Melancholia.

XIV.

Voyage a la Martinique contenant diverſes Obſervations ſur la Phyſique, l'Hiſtoire naturelle, l'Agriculture, les Moeurs et les Uſages de cette Isle, faites en 1751 et dans les anneés ſuivantes. Lû a l'Academie Royale des Sciences de Paris en 1761. a Paris 1763. chez I. B. Bauche. 4. 1 Alph. 17 pl. c. tab. geogr. 1.

i. e.

Deſcriptio itineris in inſulam *Martinique*, quae continet varias obſeruationes, pertinentes ad doctrinam phyſicam, hiſtoriam naturalem, agriculturam, mores et conſuetudines incolarum huius inſulae, factas a. 1751 et annis ſequentibus. Praelecta in conuentu Acad. Reg. Scientiarum Pariſinae a. 1761.

Continentur in hoc libro, vti ex dedicatione ei praefixa patet, obſeruationes Cl. THIBAULT DE CHANVALON, qui licet in America natus eſſet, tamen varia in Galliam itinera ſuſcepit, atque ab

Acad. Regia inter eos receptus eſt, quibuscum illa commercium litterarum habet. Collectae vero ſunt hae obſeruationes intra quinque vel ſex annos ab anno 1751, atque a Cl. DE CHANVALON nunc ex diario ſuo excerptae, in ordinem quendam ſyſtematicum hic diſpoſitae inueniuntur. Quae ſi probatae ab eruditis fuerint, id excitationi ſibi fore confirmat, edendarum etiam aliarum de vegetabilibus et animalibus huius inſulae obſeruationum.

p. 1. Prima huius libri pars comprehendit generales quaſdam obſeruationes ex diario Cl. Auctoris colle-

p. 12. ctas. Montes huius inſulae non nimis alti ſunt, atque veſtigia reperiuntur, nonnullos ex iis quondam igniuomos fuiſſe. Terra enim circa hos montes pumicibus tegitur, quae tamen res non impedit, quo minus aliquod frugalitatis genus retinuerit. In omnibus fere montibus petrefacta inueniuntur. Licet in vniuerſum maxima varietas ſoli huius inſulae ſit, tamen fere vbique ſaccharum vel coffea colitur. Fodinae metallicae nullae in hac inſula ſunt, neque alius metalli, quam ferri, quaedam minerae reperiuntur, ad quas quoque referenda eſt arena nigra, quae littora inſulae tegit, quam magnes attrahit. Aqua ex fontibus haurienda ita rara eſt, vt incolis neceſſitas impoſita ſit ſollicite colligendae atque aſſeruandae aquae pluuialis.

p. 81. Poſtquam Cl. Auctor quaedam de vegetabilibus in vniuerſum diſputauit, ad regni animalis conſiderationem ſtatim tranſit, primumque incolarum huius inſulae, qui Europaei, Nigritae et Caraibae ſunt, mores deſcribit, atque deinde de morbis, quibus illi adfliguntur, diſſerit. Quamquam inflammatoriae et biliosae febres vehementiſſimae ſunt, maximamque ſtragem inter incolas ſaepe faciunt, tamen multi quoque morbi ſunt, qui in Europa longe frequentius, quam in inſulis hiſce occurrunt, quorſum inprimis

mis podagra, calculus, apoplexia, pleuritis, aſthma, morbi hypochondriaci et hyſterici pertinent. Mulieres rariſſime, ſi vnquam, inflammatorio morbo laborant, periodicus quoque ſanguinis fluxus in iis parcus eſt; atque in foeminis, quae ex Europa in Americam tranſierunt, ſenſim ſenſimque imminuitur. Nigritae, inprimis ii, qui ex Guinea nuper allati fuerunt, laborant cachexiae quadam ſpecie, quam *mal d'eſtomac* incolae vocare ſolent, atque eruptione cutanea praeterea affliguntur, quam *pianes* dicunt. Hanc eruptionem multi putant ſymptoma venerei morbi eſſe, quod tamen Noſter negat. Omnes enim Nigritae ſemel in vita ſua hoc morbo laborant, neque Europaei, licet cum foeminis nigritis coiuerint, eum experiuntur, multaeque foeminae infantes eruptione hac afflictos lacte ſuo nutriunt, et tamen ab ea liberae manent. Magna autem puerorum pars perit tetano, inprimis illa ſpecie, in qua maxilla ſpaſtice contrahitur.

Secundam huius libri partem conſtituunt obſer- p. 135.
uationes meteorologicae, quae eo maiore attentione dignae ſunt, quo rariores illae in hac orbis terrarum parte antea inſtitutae fuerunt. Thermometra ſpi- p. 335.
ritu vini repleta in hac regione minorem vel plane (6)
nullum vſum habent, ſimul enim ac calor paullulum intenditur, illa a regulari motu vehementer recedunt. Liquor enim ſubito adſcendit, fermentatitio quaſi in motu conſtitutus: quod ſi vero calor iterum imminuitur, tunc non deſcendit, ſed difficulter in ſpatium, quod antea occupauerat, contrahitur. In Gal- p. 135.
lia maximus caloris gradus circa horam tertiam po- (7)
meridianam obſeruari ſolet, in inſula Martinique vero circa horam vndecimam. In hac quoque regione calor per noctem non minuitur, ſed thermometrum eundem caloris gradum, quem ſub initium noctis habuerat, etiam matutino tempore oſtendit.

Maximus caloris gradus, quem Cl. Auctor obſeruauit, ad gradum $47\frac{1}{2}$ ſupra punctum congelationis adſcendit, cui enormi calori Nigritae tamen per totum
p. 135. diem expoſiti ſunt. Notatu digna porro eſt obſer-
(20) uatio Cl. Auctoris, de motu periodico barometri in regionibus calidioribus, quem poſt Cl. GOUDIN obſeruauit. In inſula Martinique quotidie barometrum matutino tempore adſcendit, et verſus meridiem deſcendere iterum incipit, verſus veſperam iterum adſcendit, ita vt circa mediam noctem ſummum altitudinis gradum iterum habeat, a quo tempore rurſus deſcendit, vsque ad illud tempus, vbi ſol oritur. Simile fere phaenomenon Cl. ADANSON Senegali et Cl. BOUGUER in America meridionali obſeruarunt. Suſpicatur autem Noſter, periodicum hunc et quotidianum barometri motum relationem quandam habere ad acus magneticae declinationem, quam Cl. CANTON obſeruauit *), et forte etiam ad
p. 135. maris fluxum et refluxum. Electricitatis vim ſub
(37) aequatore maxime debilem eſſe, Noſter quoque ſuis obſeruationibus confirmat.

p. 136. In tertia libri huius parte diarium obſeruationum meteorologicarum ab initio menſis iulii vsque ad finem anni 1751 continetur. Adnotauit vero Cl. Auctor quotidie aliquoties mutationes barometri, thermometri in vmbra et ſole poſiti, quantitatem pluuiae, tempeſtatum ventorumque varietatem, et declinationem acus magneticae. Conſignauit porro, quales ſingulis menſibus aues, piſces, inſecta, plantaeque florentes ſint et obuiae, ita vt diarium ſic diſpoſitum exempli et normae loco eſſe poſſit, ad quam alia diaria ſimilia confici queant.

XV. Trai-

*) vid. Philoſ. Transact. 1759. p. 398.

XV.

Traité des maladies les plus fréquentes à Surinam et des remedes les plus propres à les guerir. Suivi d'une Diſſertation ſur le fameux Crapaud de Surinam, nommé *Pipa*, et ſur ſa Génération en particulier, par PHILIPPE FERMIN Doct. en Med. a Maeſtricht, chez Jacques Lecquens, 1764. 8. pl. 11. tab. aen. 3.

i. e.

Tractatus de morbis maxime frequentibus in regione Surinamenſi, remediisque ad eos ſanandos aptis. Adnexa eſt diſſertatio de bufone illo notiſſimo Surinamenſi, Pipa dicto, eiusque generatione in ſpecie. Auctore PHIL. FERMIN Doct. Med.

Cl. Auctor, qui per plures annos Surinami artem medicam exercuit, redux nunc in Europam, ſuas de morbis, in hac Belgarum colonia maxime obuiis, obſeruationes publicare conſtituit. Quae quidem res eo magis neceſſaria ipſi viſa eſt, quo remotiores ſunt iſtius terrae medici ab accuratiore ſcientia et iuſta his morbis medendi methodo. Inſignis p. 1.
calor et humiditas huius regionis et tempeſtatum varietates, nec non incolarum viuendi ratio, grauiſſimos ibidem morbos, inprimis eo tempore, quod ſiccum ab incolis dicitur, producere ſolent. Remedia pharmaceutica ex Europa allata ob calorem mox vires ſuas ex parte amittunt, ita vt ſemper maiori doſi opus ſit, et medicus magnam curam impendere debeat, ne medicamentis corruptis in praxi ſua vtatur. Ephemera febris, in ſeruis nigritis tantum p. 19.

occurrit, atque, licet vehementiſſimis ſymptomatibus ſtipata ſit, facile venaeſectionis et euacuantis ope
p. 21. curatur. In ſynocho non putri Cl. Auctor vomitorio, venaeſectione, clyſmatibus et antiphlogiſtica
p. 26. methodo vtitur. Peruerſa eſt medendi ratio, quam medici Surinamenſes in curatione febris ardentis, quae cauſus quoque dicitur, adhibent, dum venaeſectionem reformidant, et caleſacientia remedia praebent, cum tamen antiphlogiſtica potius methodo
p. 34. opus ſit. Miramur tamen, Cl. Auctorem terrea et bezoardica vt praeſeruatoria contra febrem malignam commendare, in quarum praeterea curatione cortex Peruuianus egregios ei effectus praeſtitit.
p. 50. Vehementiſſimus eſt morbus, quem incolae *Beillac* dicunt, qui ad colicas neruoſas et conuulſiuas referri meretur, magnamque cum colica pictonum analogiam habet. In eo vomitus adſunt, febris, ventris intumeſcentia doloresque enormes, qui vel in conuulſiones funeſtas, vel in paralyſin tranſeunt. Inter cauſſas iſtius morbi inprimis referenda ſunt diaetae vitia, abuſus ſpirituoſorum, venus nimia et perſpiratio ſuppreſſa. Curationem huius morbi medici Surinamenſes euacuantibus vehementioribus aggrediuntur, quibus vel praecipitant aegros, vel paralyſin excitant. Feliciori tamen cum ſucceſſu Cl. Auctor venaeſectionem, clyſmata, antiſpaſmodica
p. 80. lenioraque purgantia adhibuit. Paralyſis poſt colicam illam relicta, ſi medicus in initio accedit, ro-
p. 90. borantibus et neruinis curari poteſt. Tetanus, quem Nigritae ſaepius poſt vehementiorem animi ex ira commotionem experiuntur, vt plurimum lethalis eſt. Vnicum tamen aegrum Noſter clyſmatum,
p. 98. veſicatoriorum et euacuantium, ope ſeruauit. Foeminae in his terris vt plurimum inordinato fluxu menſium laborant. Infantes pluribus et vehementioribus morbis obnoxii ſunt, quorum tamen maxima

ma pars ex vermibus oritur, qui in hac terra ob victus rationem aliasque cauſſas frequentiſſimi ſunt in infantibus. Herpetis ſpecies eſt, quam incolae *Ring-worm* dicunt, quae ſe potiſſimum circa genitalia oſtendit. Vbi illa reprimitur, alii vehementiſſimi morbi oriuntur. Quodſi vero ii, qui hoc morbo laborant, in Europam tranſierint, ſtatim ab eo liberantur; ſi in Indiam iterum reuertuntur, idem malum ſemper ſolet redire. Ad eius ſanationem Cl. FERMIN reſoluentia decocta et mercurialia adhibet. Difficillime quoque ſanatur alius morbus, quo ſerui nigritae laborant, quem incolae *Yaws* dicunt. In eo maculae et vlcera cutanea oriuntur, neque raro, inprimis ſi morbus non perfecte curatus fuerit, oſſa carioſa fiunt. Per longum tempus Cl. Auctor decocta dedit, et ita plurimos ſanitati reſtituit. Elephantiaſis, quam incolae *Boiſi* dicunt, etiam inter Nigritas communis eſt, neque vnquam curari poteſt.

p. 109.
p. 117.
p. 126.

Diſſertatio de bufone *Pipa* a Cl. FERMIN ad Academiam Berolinenſem transmiſſa eſt. Difficillime ſunt obſeruationes cum hoc bufone inſtituendae, qui in ſyluis ſolum et paludibus habitat, tantumque in ſicciore anni tempore aquae ſuperficiem petit. Deſcribit vero Cl. Auctor inprimis cellulas, quae in dorſo matris ſunt, in quibus oua continentur, ex quibus animalcula prodeunt. Harum cellularum Cl. Auctor ad 220 in vno animale numerauit. Partes genitales in mare adeo paruae ſunt, vt difficulter conſpici poſſint *).

p. 131.

)o(

*) Conferri potiſſimum de bufonis huius generatione meretur diſſ. Cel. CAMPER in Actis Harlemenſ. T. VI. P. I. p. 266. vid. Comment. hor. Vol. XII. p. 270 ſq.

XVI.

LUDOVICI ROUPPE, Med. Doct. de morbis nauigantium liber vnus. Accedit obſeruatio de effectu extracti cicutae Stoerkiano in cancro. Lugd. Bat. apud Theod. Haak 1764. 8. 1 Alph.

In ſatis exiguo ſcriptorum, qui de morbis nauigantium expoſuerunt, numero, tamen, quod negari vix poteſt, plurimi deprehenduntur, qui, cum nunquam itinera in mari ipſi feciſſent, talem propoſuerunt medendi methodum, qualis, ob plura in nauibus haud vitanda incommoda, plane adhiberi nequit. Non inutilem itaque laborem ſuscepit praeſentis operis Auctor, dum poſt experientiam multorum annorum, per quos medicinam inter milites nautasque fecit, ſuas hac in re factas obſeruationes publicauit. Differit autem inprimis de iis morbis ipſorumque cauſſis, quibus nautae et milites in nauibus bellicis, Belgicis praecipue, ſubiecti ſunt. Hinc in prolegomenis ſtructuram harum nauium, praeſidium, nautas, eorum vitae rationem, alimenta etc. deſcribit; ipſam vero tractationem in quatuor partes diuidit, quarum prima de morbis agit, quibus nautae Belgici in patria, prius quam nauis ex portu egrediatur, ſubiecti ſunt: ſecunda, de morbis, quibus nautae in mari affliguntur: tertia, de morbis, qui inter nautas in portibus peregrinis graſſari ſolent: quarta tandem Cl. ROUPPE quaedam conſilia de praeſeruatione ſanitatis nautarum in vniuerſum proponit.

p. 29. Inter morbos, qui nautas in portu adhuc conſtitutos afficere ſolent, praecipuum locum tenet febris inflammatoria, aut inflammatorii alii morbi, qui in parte tantum aliqua conſiſtunt. Ex his maxime, ob

ob viuendi rationem, quam nautae in portu tenent, occurrunt inflammatio pleurae et pulmonum. In omnibus cadaueribus eorum, qui ex inflammatione pulmonum perierant, Cl. ROUPPE pulmones gangraena correptos obſeruauit, inprimis in eo latere, vbi pleura ſimul quoque affecta erat. Infeliciſſimum exitum praenuntiat, ſi aegri initio morbi leuiter delirant, ex lectis ſurgunt, et ſedere cupiunt. In homine poſt breuiſſimum pectoris morbum mortuo, qui nunquam antea de vllo pectoris dolore conqueſtus erat, pulſum vero intermittentem habebat, Cl. Auctor pulmones integros, ſed a multo pure, in quo pericardium natabat, quaſi ad dorſum repreſſos inuenit. Ipſum vero pericardium interius magnam purulentae materiae copiam continebat, et in interna ſua ſuperficie, vti cor in externa, exeſum erat, multisque puſtulis obſeſſum. In corde praeterea ipſo varia quoque concrementa oſſea reperiebantur. In peripneumonia notha Cl. Auctor, poſt vnam alteramue venaeſectionem, ſtatim aegro purgans exhibet, deinde vero attenuantibus vtitur. Nonnunquam graues pectoris contuſiones, quae frequenter in nautis accidunt, vera ſequitur pectoris inflammatio, omnia peripneumoniae ſymptomata exhibens, quae ſimilem quoque curationem requirit. Secundum caput de febribus catarrhalibus, et tumoribus glandularum circa collum, tertium vero de epilepſia tradit.

p. 40. p. 47.

In altera parte, quae de morbis, qui in mari vel inter nauigandum obſeruantur, inſcribitur, primum Noſter exponit de morbis, qui oriuntur, quando nauis ex frigidiore in calidiorem regionem tranſit. Vt plurimum nautarum ſanitas tunc optime ſe habet, ita vt ii, qui aegri exierant ex Hollandia in mare Hiſpanicum, ſuperato freto Hiſpanico et calore ſenſim aucto, conualeant. Hoc Cl. Auctor per obſeruationes

p. 57. p. 67.

tiones cum thermometro inſtitutas ita confirmat, vt doceat, fere ſemper numeri aegrotorum paucitatem relationem quandam ad caloris augmentum habere, cuius quidem rei ratio poſita eſſe videtur in origine plurimorum, quibus nautae afficiuntur, morborum ex frigore et perſpiratione ſuppreſſa. Confert quoque aliquid puritas nauis et corporum nautarum, ad quam in regione calidiore melius, quam in frigidiore attendi poteſt. Praeterea nautae minus in mare libero, quam in portu quocunque aegrotant, vt, quo remotior nauis a terra ſit, eo melius nautae quoque valeant. Salubritas vero aeris, quo mare tegitur, pendet ex parte ab exhalatione ſuperficiei maris, quae minor eſt terrae exhalatione. Inſulae enim ſemper nubibus ob copioſos vapores, quos terra emittit, teguntur, ita vt nautae, qui eas adire cupiunt, ex aere illarum ſitum cognoſcant. Licet autem in vniuerſum numerus aegrotorum ſatis paruus in mari eſſe ſoleat, ſunt tamen cauſſae plurimae, quae vel vniuerſam claſſem morbis afficere poſſunt, vel praeſidium vnius nauis prae caeteris aggrediuntur. Eiusmodi vero morborum cauſſa vel in ſtructura nauis, vel in alimentis, vel in contagio in nauem introducto, ſita eſt. A prioribus hactenus recenſitis morbis
p. 86. diuerſi ſunt ii morbi, quibus nautae ex aere calido in frigidiorem prouecti ſolent ſuccumbere. Frequenter enim tunc occurrunt rheumatiſmi, ſcorbu-
p. 212. tus atque diarrhoeae et dyſenteriae a refrigerio, in quarum curatione maxima caloris exterioris vis eſſe ſolet.

p. 90. Inter cauſſas, quae ad ſcorbutum, de quo Cl. Auctor pluribus exponit, disponunt, inprimis attendenda eſt cacochymia atrabilaria. Plurimum deinde conferunt alimenta farinacea, quae ſanguinem viſcoſum reddunt et incraſſant. Piſces ſiccati non multum ad ſcorbuti geneſin faciunt. In

vniuer-

vniuerſum autem nautae Belgici, non aeque vehementer ac Angli, ſcorbuto ſubiecti ſunt, cum a ſalſis carnibus abſtineant, et copioſius hordeo et pane veſcantur. Nocent quoque pinguia, inprimis ſi rancida fuerint. Pendet tamen ſcorbutus non a ſolo nauigantium victu, ſed etiam a defectu exercitationis corporis, perſpiratione ſuppreſſa, aere frigido, atque animi adfectionibus ingratis, inprimis metu, triſtitia et terrore. Nautae, qui ſtragula ſua et veſtimenta ſeruant et non vendunt, atque praeterea corpus exercent, melius valent, quam ii, qui fere nudi obambulant, atque ſi labor deeſt, tempus dormiendo conſumunt. Hinc remiges et pueri, qui corpus mouent, a ſcorbuto fere ſemper liberi manent; milites contra in nauibus, plus, quam nautae, hoc morbo laborant. Deinde quoque illa omnia ſcorbuto generando occaſionem praebere poſſunt, quae digeſtionem impediunt. Nocet hinc abuſus herbae nicotianae, cuius ſtimulus fauces irritando ſaliuae affluxum allicit, atque potus ſpirituoſus, licet varii auctores ſpirituoſa ob antiſepticam, quam habent, vim contra ſcorbutum commendent. Ex omnibus vero cauſſis defectus tandem vegetabilium recentium maxima eſſe videtur, cum eorum vſu iterum conceſſo breui poſt aegroti conualeant. Primum ſcorbuti p. 129.
ſignum eſt laſſitudo inſolita corporis, accedit porro metus, luridus faciei color, abdominis intumeſcentia. Facies turgida fit, artusque dolent, qui dolores paullo poſt in articulis, inprimis circa genua figuntur, quae exinde intumeſcunt et rigida fiunt. Pulſus fere ſemper tardus eſt et languet, poſt motum vero corporis inaequalis fit. Appetitus ad finem vsque vitae bonus eſſe ſolet. Si febris in initio accedit, morbum ſoluit, in progreſſu nunquam obſeruatur, aut ſi in ſcorbuto iam confirmato pulſus febrilis fit, mors ex inſtanti ſequitur. Cutis in ini-

tio

tio morbi tuberculis paruis obſeſſa eſt, quae in apice punctum flauum habent. Deinde ſenſim ſubſident et in maculas rubras mutantur, quae fuſcum tandem colorem adquirunt. Occurrunt tales maculae inprimis circa genua. Cuticula ſaepe deſquamatur in iis locis, maculaeque euaneſcunt, ſed paullo poſt, noua cuticula generata, nouae quoque maculae in ea apparent. In morbo confirmato maculae plane disparent, cutisque, ſi hydrops tandem accedit, perfecte glabra fit. Gingiuae in ſcorbuticis intumeſcunt, facileque ſanguinem ſtillant, cuius grumi putredine in ore deliqueſcentes foetidiſſimum odorem ſpargunt. Praeterea dentes excidunt, et vlcera in gingiuis oriuntur, atque in phlegmaticis, maxime in iis, qui herba nicotiana vtuntur, ſaliua maxima in copia effluit. Accedunt tandem oſſium vehementes dolores, ſique cuticula ſcalpendo abraditur, ſatis magna oriuntur vlcera, quae nullam curationem, niſi morbo ipſo prius curato, admittunt. Vulnera et vlcera iam ſanata recrudeſcunt, et callus, quo oſſium fracturae conglutinatae erant, iterum ſoluitur. Haud raro tandem homines ex improuiſo moriuntur.
p. 144. Scorbuticorum ſanguis e vena emiſſus in vniuerſum craſſus et ſpiſſus eſt, tandemque nigerrimus atramento ſimilis fit, atque in vaſe collectus in ſuperficie virideſcentem oſtendit pelliculam. In cadaueribus ſcorbuticorum, a Cl. ROUPPE diſſectis, pulmones vt plurimum indurati erant, vaſa ſanguifera nigerrimo ſanguine turgeſcebant, dexterque cordis ventriculus ſanguine coagulato diſtendebatur. In iis, qui hydropici tandem obierant, pleraque viſcera abdominalia corrupta, et glandulae meſenterii obſtructae erant. In articulo genu Cl. Auctor ſaepe aquam collectam, ipſumque os carie affectum inuenit. Quod tandem ad cauſſam ſcorbuti proximam attinet, notandum eſt, Cl. ROUPPE putare, illum non oriri ex ſangui-

ſanguine putredine reſoluto, ſed ex cruore craſſo, ſpiſſo et glutinoſo, qui tamen vltimo in liquamen putridum abit, quod morbi effectus eſt. Scorbutici nunquam, niſi in tertio ſtadio, vbi humores iam reſoluti ſunt, ſudant. Maculae, in cute obſeruandae, non, vti petechiae, a reſolutione humorum, ſed a ſtagnatione ſanguinis in vaſis minoribus oriuntur. Saliuae affluxus in os pendet ex ſtimulo herbae nicotianae, et ex obſtructione glandularum aliarum in abdomine, quae alias quoque ſaliualem humorem ſecernunt. Plenaria ſcorbuti curatio vix p. 182. vnquam in naui obtinetur. Si fieri poteſt, aegri victus ex carnibus, oleribus et aliis vegetabilibus, conſtet. Porro cura habenda eſt, ne aegris veſtimenta et ſtragula neceſſaria deficiant, cum dimidia aegrotorum pars in nauibus ob hunc defectum aegrotet. Tandem moderata exercitatio maxime neceſſaria eſt. De reliquo ſymptomatibus occurrendum, qua in re, inprimis in vulneribus et vlceribus ſanandis, vires corticis Peruuiani egregiae ſunt, licet contra ipſum morbum parum valeat.

Pars tertia de morbis in portibus exponit, in qua p. 220. Cl. Auctor de febribus intermittentibus, ſynocho non putri, et febre critica ſiue ſynocho putri diſputat, cuius vltimi morbi vehementem epidemiam in portu Neapolitano Cl. ROUPPE in naui Belgica *Delfft* expertus eſt, quae tamen non maligna erat, p. 243. cum ex 400 aegris vix 15 perirent. Agit por- p. 282. ro de morbis, qui in portibus regionum calidarum aeſtate vel autumno obſeruantur, v. c. de vena medinenſi, quae contagioſa eſt, de febre aeſtiua bilioſa, tandemque de febribus putridis colliquatiuis exanthematicis, cholera et dyſenteria, quas Noſter a. 1760. in portu *Curacao* graſſantes obſeruauit.

In parte tandem quarta, quae breuiſſima eſt, re- p. 314. gulas quaſdam de modo conſeruandae ſanitatis nau-

tarum

tarum tradit, quae ad viuendi rationem eorum in
p. 327. nauibus ſpectant. Adnexa eſt obſeruatio de effectu extracti *cicutae* in cancro. Vocatus enim eſt Cl. Auctor ad aegrum nobilem in inſula Melitenſi, qui ſcirrho glandulae maxillaris laborans, poſt ſaliuationem intempeſtiue adhibitam cancro affectus eſt. Adhibuit Cl. Auctor extractum cicutae, ſecundum STOERCKII methodum paratum, felici cum ſucceſſu, cum vero herba poſt aliquot menſes deficeret, morbo iterum recrudeſcente aeger tandem obiit.

XVII.

Noui Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tom. IX. pro annis 1762 et 1763. Petropoli typis Academiae ſcientiarum, 1764. 4. 3 Alph. 2 pl. tab. aen. XI.

Pauciores articuli ex hoc volumine ad nos propius pertinent. Continentur vero in phyſico-mathematica ſectione ſequentes diſſertationes.

p. 215. 1. L. EULER *de motu vibratorio fili flexilis, corpusculis quotcunque onuſti.* Problema hoc Cel. Auctor ita exponit, vt id accommodet ſolutioni generali problematis de chordis vibrantibus.

p. 246. 2. Eiusd. *de motu chordarum inaequaliter craſſarum.* Exponit inprimis de diuerſis ſonis, qui ab eiusmodi chordis producuntur.

p. 305. 3. I. E. ZEIHER *thermometri metallici deſcriptio.* Praemiſſa eſt deſcriptio thermometri metallici, quod Ill. Comes DE LOESER, Saxoniae Mareſchallus haereditarius, in ſuo theſauro machinarum phyſicarum ſeruauit. Huic addit noſter thermometri alius metallici deſcriptionem, quod ipſe in eum potiſſimum finem excogitauit, vt partim puncta duo conſtantia

in

in eodem determinare, partim caloris gradus mercurii ebullientis gradum longe ſuperantes, nec non frigus, quo mercurius coit, metiri queamus. LOESERI thermometrum conſtat e quatuor priſmatibus ex ſtanno conflatis, quod metallum ad obſeruationes meteorologicas aptiſſimum eſt, cum prae reliquis omnibus maximam mutationem patiatur. Eius vero in locum, cum facile liqueſcat, Cl. ZEIHER ad ſuum thermometrum argentum elegit, quod ratione mutationis, quam a calore et frigore patitur, proxime ad ſtannum accedit. Ipſa quoque ſtructura Zeiheriani thermometri longe alia eſt, quam Loeſeriani.

4. Eiusd. *Emendatio thermometrorum punctis conſtantibus gaudentium.* Notum eſt, tubulo vitreo thermometri diffracto, ſcalae dimenſionem, quae in metallica tabula delineata eſt, inutilem fieri, cum graduum in ſcala exſculptorum magnitudo pendeat a ratione, quam tubi amplitudo habet ad bulbi capacitatem. Excogitauit itaque Cl. Auctor contra hoc incommodum aliquod remedium, et tubo thermometri vitreo, loco bulbi vitrei, adaptauit capſulam ferream, cuius cauum cochleae ope pro lubitu augeri vel coarctari poteſt. p. 314.

5. *Emendatio microſcopii ſolaris*, Auctore F. V. T. AEPINO. EULERUM et LIEBERKÜHNIUM ſecutus ita ſolare microſcopium emendare tentauit, vt eius ope etiam opaca corpora repraeſentari poſſint. p. 316.

6. Eiusd. *Diſſ. de experimento quodam magnetico, cum additamentis.* Experimentum Cl. DU FAY, quo filum ferreum magnetica virtute impraegnatur, dum quodam interuallo remotum ſuper ambos polos traducitur, Cl. Auctor cum illa theoria conſentire oſtendit, quam de vi magnetica et electrica alibi propoſuit. p. 326. p. 340.

p. 352. 7. L. EULER *cogitationes de aggeribus conſtruendis.*

In ſectione phyſica continentur:

p. 381. 1. *Ad obſeruationes et experimenta de mercurio,* ex manuſcriptis HERMANNI BOERHAAVE *Supplementum I.* recenſente CAROLO FRID. KRUSE. Notum eſt, magnum BOERHAAVIUM egregia ſua circa mercurium experimenta ſocietati Londinenſi et Pariſienſi exhibuiſſe, quae potiſſimum declararunt, hydrargyri naturam prorſus immutabilem eſſe. Cl. KRUSE ex manuſcriptis Boerhaauianis, quae a ſocero ſuo HERMANNO KAAU BOERHAAVE accepit, quaedam ſupplementa ad priora experimenta hic communicat. Recenſet primo breuiter ſummam diſſertationum a BOERHAAVIO Academiis dictis traditarum, et deinde experimenta verbis ipſius auctoris enarrat. Spectant ad deſtillationem mercurii. Vncias 32 deſtillauit 511 vicibus, et licet ſollicite caueretur, tamen in ſingula deſtillatione perierunt $5\frac{1}{8}$ grana, ita vt in 511 deſtillationibus perierint mercurii vnc. Vß. In fundo retortae vero erant genitae vnc. iiß praecipitati rubri ſcintillantis. Hoc praecipitatum, addito pauco mercurio 511 vicibus deſtillato, iterum ſummo igne e retorta luto obducta deſtillauit, et exierunt vnciae duae mercurii reuificati, in fundo vero retortae remanſerunt gr. 18 pulueris rubri, vt drachmae tres ac grana 42 perierint. Has vncias duas mercurii ex praecipitato reuificati miſcuit mercurii 511 vicibus deſtillati vnciis 32 et $\frac{1}{2}$, totamque maſſam 448 deſtillationibus ſubiecit. Tunc habuit mercurii 1009 per ſe deſtillati vnc. 17 et praecipitati vnc. 1 et dr. $1\frac{1}{2}$. Vnciam vnam huius praecipitati ex retorta loricata igne aperto iterum deſtillauit, obtinuit mercurii puri dr. 7. gr. 8. in fundo ſupererant pulueris rubri gr. 15.

perie-

periërunt ergo gr. 38. Tandem mercurium 1009 per ſe deſtillatum ponderauit ope bilancis, et reperit pondus eius ad aquam, vt $13\frac{59}{100}$ ad 1. Mercurius regeneratus ex praecipitato mercurii 1009 per ſe deſtillati erat ad aquam, vt $13\frac{65}{100}$ ad 1.

2. *Obſeruationes meteorologicae, potiſſimum barometricae et thermometricae a. 1757, cum conſectariis inde deductis.* Auctore I. A. BRAUN. p. 392.

3. *Obſeruationum meteorologicarum a. 1758 Petroburgi factarum potiora momenta, cum animaduerſionibus et conſectariis.* Auct. eod. p. 400.

4. *Continuatio deſcriptionis piſcium rariorum e muſeo Petropolitano exceptorum.* Auctore I. T. KOELREUTER. De inſtituto Cl. Auctoris iam eo tempore expoſuimus, quo de initio huius deſcriptionis, quae in Vol. VIII. Nov. Comm. exſtat, ad Lectores retulimus *). Ex piſcibus vero in hac deſcriptione delineatis primus eſt: *Cyprinus pinna caudae horizontali ſubtrifida: dorſuali faſtigata paruula.* Conuenit plurimum cum *Cyprino* Chinenſium *aurato*, argenteum tamen colorem obtinet. Adduntur quoque a Cl. KOELREUTERO aliqua ad deſcriptionem *Cyprini aurati* ab Ill. LINNAEO traditam. 2) *Gobio pinna ventrali ſubrotunda, acetabuliformi, e duobus pedunculis octoque radiis valde ramoſis compoſita.* Oſtendit vero Noſter, ſpeciem hanc differre a *Gobione nigro*, quem Angli *Sea Gudgeon* dicunt, quem RONDELETIUS et WILLOUGHBEIUS deſcripſerunt. 3) *Gobio pinna dorſali vnica, longa; pectoralibus latiſſimis, acetabulum planiuſculum includentibus.* Eſt *Piſcis Smyrnenſis ad muſtelas accedens*, Catal. Muſ. Petrop. n. 90. Accedit quidem ſimilitudine pinnarum pectoralium et acetabuli forma ac ſitu ad *Cyclopterum, Lump* Anglis dictum, ſed differt tamen ab eo corporis forma, cutis laeuitate et dorſuali anique pinna,

I 2

*) vid. Comment. hor. Vol. XI. p. 590.

pinna, quare Cl. KOELREUTER maluit eum ad *Gobionis* genus referre. 4) *Sparus duabus vtrinque maculis notatus; primo pinnarum ventralium radio longiſſimo aſtaci antennam referente.* 5) *Labrus valde oblongus, taeniis tribus candidis diuerſae longitudinis inſignitus; cauda integra.* 6) *Scomber dorſi anique pinna continua, aculeis ad vtriusque initium acceſſoriis.* An *Gaſteroſteus ductor* LINNAEI?

XVIII.

Locupletiſſimi rerum naturalium theſauri accurata deſcriptio, et iconibus artificioſiſſimis expreſſio, per vniuerſam phyſices hiſtoriam. Opus, cui in hoc rerum genere nullum par exſtitit. Ex toto terrarum orbe collegit, digeſſit, deſcripſit, et depingendum curauit ALBERTUS SEBA, Etzela Ooſtfriſius, Acad. Caeſ. Leopold. Carol. Nat. Curioſ. Coll. Xenocrates dictus; Societ. Reg. Angl. et Inſtit. Bonon. Sodal. Tomus IV. Amſtelaedami apud Arkſteum et Merkum et P. Schouter. 1765. in folio, 2 Alph. 21½ pl. tab. aen. 108.

Satisfactum igitur eſt exſpectationi eruditorum, praeſtantiſſimo hoc opere ad finem feliciter perducto. Cuius quidem operis hiſtoriam tradidimus eo loco, vbi de prioribus voluminibus diſſeruimus *). Editorem huius tomi ferunt eſſe Cl. VOSMANN, Inſpectorem theſauri ſplendidiſſimi hiſtoriae naturalis, a Sereniſſimo Principe Arauſionenſi collecti et Hagae Comitum aſſeruati. Continet is *exoſſia animalia* et *mineralia*. Dolendum eſt, locupletiſſimum hunc inſectorum apparatum, a Cl. SEBA, ex omnibus

*) vid. Comment. hor. Vol. X. P. I. p. 48 ſeq.

bus orbis terrarum locis, ſummo ſtudio quondam petitum collectumque, poſt fata eius, incuria ſuorum periiſſe, neque cum reliqua collectione rerum naturalium publica venditione eſſe diſtractum. Vnde factum eſt, vt deſcriptiones tabulis aeneis adiectae non ad viuum, ſed ad figuras tantum aeri inciſas confici potuerint, in quibus tamen figuris negari non poteſt, quin aliquibus ſaltem in locis peccatum ſit, maxime in nonnullorum inſectorum pedibus. Habet tamen haec operis pars id maxime praecipui, in quo Cl. Editor laudem editorum ſuperiorum ſuperauit, vt primo inſectorum deſcriptioni Linnaeana nomina, cuiuis fere hiſtoriae naturalis cultori cognita, addiderit, ſpeciesque numeroſiſſimas, nondum antehac cognitas, quae in hoc opere occurrunt, quibusque LINNAEI ſyſtema caret, aſteriſco appoſito diſtinxerit; deinde vt hunc tomum ornauerit indice generali in vniuerſum opus, qui non nuda nomina refert, ſed in quo paſſim rerum deſcriptiones in compendium redactae nominibus adiunctae ſunt.

In tabula autem voluminis huius prima, et in ſequentibus vsque ad tabulam ſexageſimam quartam, exhibentur *papiliones* numeroſiſſimi et ſpecioſiſſimi, ex Europae regionibus non modo, ſed etiam ex vtraque India, potiſſimum ex occidentali, collecti. Eorum multis adiectae ſunt erucae et chryſalides ſuae. Atque cum plurimae ex iſtis ſpeciebus ignotae antea fuerint, non dubitamus profecto, quin deſcriptiones iſtae illis potiſſimum, qui huius partis hiſtoriae naturalis curioſi ſunt, gratiſſimae et iucundiſſimae ſint futurae.

Sequuntur libellularum, gryllorum cicadarumque ſpecies numeroſiſſimae, inter quas plurimae ſunt rariſſimae ex Lanternariis aliisque exoticis ſpeciebus. Occupant autem tabulam LXV ad tabulam LXXXVI. Tunc coleoptera, tandemque cimices, araneae, alia-

que omiſſa agmen claudunt. Tabula XCVIII. Veſpetum a veſpis Surinamenſibus *Marribous* ab incolis dictis exſtructum, ramuloque arbuſculae cuiusdam, quae dioſcoreae ſpecies aut meniſpermi eſſe videtur, affixum delineatur.

A tabula centeſima ad finem vsque mineralia delineantur. Fatendum tamen eſt, praeter ſpecioſiſſima auri argentique natiui fragmenta, pauca occurrere, quae huius partis hiſtoriae naturalis cultoribus vtilia eſſe poſſint. Tabula centeſima no. 13 delineatur gleba aurichalci natiui, e matrice ſua ramuli more progerminans, ex noua Granada delata, de qua tamen monendum eſt, genuinam eam non eſſe, ſed factitiam, quod eo confidentius affirmamus, cum nobis contigerit hanc ipſam glebam propius inſpicere et examinare. No. 22 eiusdem tabulae eſt gleba argentifera foliacea Africana, quae ex bracteis conſtat quarzo incluſis, cui ſemper ectypa bracteolae imago impreſſa eſt. Tabula CI. no. 9 aes natiuum Siamenſe exhibetur, ab incolis *Gans* dictum, ex quo patet, metallum *gans* dictum non eſſe compoſitum quoddam, vti RUMPHIUS credidit, ſed cuprum ita dici. Tabula CIV. n. C. Aetites delineatur, cui cornu Ammonis accreuit. Tab. CVII. n. 31. Cornu ceruini petrificati fruſtulum in Germania effoſſum pingitur.

XIX.

HENRICI IOHANNIS NEPOMUCENI CRANTZ, S. C. A. Maieſtat. Conſiliarii, Inſtituti Medici et Mater. medicae Vindob. Profeſſ. Publ. Ord. Acad. Imp. Nat. Curioſ. et Societ. Bot. Florent. Sodal. Materiae medicae et chirurgicae, iuxta ſyſtema naturae digeſtae, editio ſecunda, correcta et aucta. Impenſis Ioan. Paul. Kraus, Bibliopolae Viennenſis, 1765. 8. Tom. I. pl. 14. Tom. II. pl. 15. Tom. III. pl. 14½.

Cum ſciremus, nouam Cl. CRANTZIUM parare editionem, quo tempore prima primum in manus noſtras veniſſet, eo lubentius relatio a nobis dilata eſt. Neque id malo conſilio. Repentina enim primae editionis huius libri diſtractio effecit, vt noua mox eaque auctior atque correctior prodiret, quae ita ſine dubio probabitur eruditis, vt iudicium de eo reſpondeat labori, quem in colligendis tum aliorum tum etiam propriis obſeruationibus Cl. Auctor adhibuit.

Tomus primus *cardiaca* continet, quae in *nutrientia*, *neruea* et *ſtimulantia* diuiduntur. Agit itaque primo *de cerealibus*, *leguminibus*, *oleribus*, *radicibus*, *fructibus*, et *animalibus eorumque productis*, *lacte* ſcilicet et *butyro*, tandemque *de potu eiusque variis generibus*. Ex auibus et piſcibus in Auſtria maxime vulgares deſcribuntur. Ad *cardiaca* vero *neruea*, *vis electrica*, *animalium terraeque exhalationes vegetabilium que* grati *vapores* referuntur. *Cardiaca ſtimulantia* in *ſtimulantia* ſimul *nutrientia*, in *ſtimulantia excitantia ſubtilia*, *excitantia fixiora acria*, *gummi reſinas*, *reſinas* et *bitumina*, *odores* nonnullarum ſubſtantia-

rum v. c. camphorae et moſchi *ſingulares*, *balſamaque liquida* et *artificialia* diſtribuuntur.

Secundus tomus comprehendit *emollientia*, *adſtringentia*, *attenuantia*, ſcilicet *abſterſiua*, *alcaleſcentia antiſcorbutica*, *incidentia ſalina* et *attenuantia ex animalibus*, porro *inſpiſſantia*, *plaſtica nimirum*, *coagulantia*, *antacida* et *abſorbentia*, *acrimoniae alcalinae*, *muriaticae* et *oleoſae bilioſae putridae contraria*, tandemque *euacuantium* omnia genera et *anodyna*.

In tertio tomo de *antidotis* et *venenis* disputatur. Agit itaque primo de antidotis generalioribus, vt aceto, aqua, melle, oleo, opio et ſapone. Ad venena deinde progreditur, acriora ſtupefacientia, foſſilia acida, alcalina draſtica, mechanica, exſiccantia, heteroclita venena animalium et venena ſpecie halitus perimentia ſingulari ſtudio proponit, et in ſingulis quoque, quantum fieri potuit, antidota addidit.

Remedia tandem, quae in materia medica chirurgica occurrunt, cum omnia fere iam in prioribus explicata ſint, breuiter tantum indicantur, et diuiſa ſunt in repercutientia, relaxantia, reſoluentia, cauſtica et deplentia chirurgica, venaeſectione ſcilicet, fonticulis, etc.

Ita vero Cl. CRANTZIUS vbique in ipſa tractatione ſingulorum remediorum verſatur, vt praemiſſis, quae de ſingula claſſe in vniuerſum notanda ſunt, nomen cuiuslibet ſimplicis officinale et ſyſtematicum adducat, germanicumque, gallicum, anglicum et italicum addat. Inde remedium deſcribit, proprietates vſumque medicum, et tandem praeparata ex eo et doſin exponit. Cognoſcent vero Lectores in ipſius libri lectione, a Cl. Auctore non modo optimas obſeruationes ex omnium populorum ſcriptis ſumma cura collectas eſſe, ſed non deeſſe quoque ad commendationem eiusdem maiorem nouas egregiasque obſeruationes, quae artis peritis Cl. CRANTZII

TZII ſtudium iucundiſſimum et acceptiſſimum effi-
cere poſſint. Liceat nobis nunc ſpeciminis loco
quasdam obſeruationes adducere. *Chaerophyllum* in T. I.
cancroſis tentare ſuadet, cum nullum in experi- p. 22.
mento periculum ſit, affirmatque, puerperas, iuſcu-
lis ex ſolo chaerophyllo nutritas, nullo alio medica-
mento indigere. De *cicutaria Pannonica* CLUSII p. 34.
Noſter monet, extractum eius pro cicutae extracto
ſaepius Viennae datum fuiſſe, atque conqueritur, ſic
ſaepe medicamenti cuiusdam laudes pharmacopoeo-
rum ignorantia atque negligentia imminui. Folia p. 46.
iuglandis, ſi tumoribus oedematoſis applicantur, eos
diſcutiunt, vti ſaepius Cl. Auctor vidit. *Lac* ſupra p. 95.
ſalicis fungum emulgere, calensque bibere phthiſicis
ſuadet. Hiſtoriam *vis electricae*, quatenus ea in di- p. 111.
uerſis morbis vt remedium adhibita fuit, eleganter
hic exponit, eiusque vſum plane reiicit, docetque,
aegrum per eam Viennae occiſum fuiſſe. *Betonicae* p. 123.
vires adeo a veteribus laudatae debiles tamen ſunt.
Ambram in tetano commendat. *Camphora* exanthe-
mata Viennae produxit, eademque gummi tragacan-
tha ſubacta in noſocomio nationis hiſpanicae Vien-
nenſi maniacis, non aequali tamen in omnibus cum
ſucceſſu datur. Aqua *reſinae abietinae*, methodo a
Cl. LANGHANS praeſcripta, parata, ſi in phthiſi-
cis adhibetur, nimium exſiccat, et ſputa ſupprimit,
minori licet doſi data.

Experimenta cum *vua vrſi*, in noſocomio practi- T. II.
co Viennenſi inſtituta, nunc non amplius ſpei, quam p. 31.
ii, qui in eo noſocomio aegrorum curam habent,
per priora experimenta de huius plantae virtute in
calculoſis conceperant, reſpondet. Cataplaſma ex p. 73.
ebuli foliis pleuritico lateri veſicatorii loco impone-
re, Noſter ſuadet. *Polygala vulgaris* in infuſo et p. 180.
decocto non ſine ſucceſſu in noſocomiis Viennenſi-
bus in phthiſi data fuit. De virtutibus *aethiopi mi-* p. 203.

nerali adſcriptis dubitat, eundemque, cum in aqua non
p. 210. ſolubilis ſit, cinnabari inertiorem eſſe putat. Pulue-
rem ſeminum geniſtae, drachmae ſemis doſi, ad cal-
culum valere obſeruauit, bis terue de die cum leni
plantae decocto datum.

T. III. In omni caſu haemorrhagiarum vteri grauidi
p. 18. opium Cl. CRANTZ in initio ſtatim dare ſuadet, do-
nec haemorrhagiae cauſſa, ſaepe medico non cogni-
ta, pateat, ſique illud fieri nequeat, medicamento
tamen, opii vi perſpecta, inſiſtendum eſt. Non ta-
men opio nimium fidendum eſt, ſi haemorrhagia
vteri ante partum accedit, neque tunc chirurgica
p. 32. aliaque auxilia negligenda ſunt. Foemina pauca
grana *auripigmenti* ad debellandam febrim aſſumens,
conuulſionibus per triginta annos tentata fuit. *Ar-*
p. 39. *nicae* in paralyſi virtutem multis experimentis Cl.
COLLIN in aegrotis noſocomii Pazmanniani, cuius
p. 58. curam ille habet, inſtitutis probauit. Cl. VOGEL,
qui in materia medica *cicutam aquaticam* GESNE-
p. 98. RI pro *officinali* ſpecie adſumſit, Cel. CRANTZ re-
prehendit. Viennenſes pharmacopoei *tincturam an-*
timonii HUXHAMI cum vino Toccauienſi parare ſo-
lent. Huius vero tincturae ita praeparatae guttae
ſex, ſcopo alterante datae, ſatis efficaces iam effe-
ctus edunt. In vinis itaque differentiae cauſſa eſſe
p. 111. videtur. *Cereolos* Cl. GOULARD reliquis praepara-
tionibus Noſter praefert.

Tacemus multas alias obſeruationes, in quibus omnibus colligendis ſingulare profecto ſtudium Noſter adhibuit. Attamen ſi libere licuerit dicere, quid diligentius a Cl. CRANTZ curatum optemus, eſſet hoc, vt in commemorandis auctoribus non ſola nomina, ſed ipſa quoque ſcripta locaque addidiſſet, in quo non tironum modo in cognoſcendis, ſed et peritiorum in euoluendis iisdem ſtudio, melius profecto conſuluiſſet.

XX.

Muſeum S. R. M. LUDOVICAE VLRICAE Regin. Goth. Suec. Vandal. etc. in quo animalia rariora, exotica, inprimis inſecta et conchylia deſcribuntur et determinantur, prodromi inſtar editum a CAROLO V. LINNE' Equit. aur.

et

Muſeum S. R. M. ADOLPHI FRIDERICI Regis Suec. Goth. Vandal. etc. in quo animalia rariora inprimis et exotica: aues, amphibia, piſces deſcribuntur. Tomi ſecundi prodromus. Holmiae impenſis Laur. Salvii, 1764. 8. 2 Alph. 6 pl.

Suecia, praeter ſplendidiſſimum Regium, etiam alio Sereniſſimae Principis Reginae muſeo rerum naturalium ſuperbit, quod *Drottingholm* in palatio regio ſeruatur. Continet illud animalia, quae ſicca ſeruari poſſunt, inprimis inſecta et conchylia, lithophyta, mineralia et nonnullas plantas. Huius muſei in iuſtum ordinem digerendi cura ante plures annos Ill. LINNAEO mandabatur, qui, cum ad finem perduxiſſet opus, accuratamque illius regiae collectionis deſcriptionem elaboraſſet, videretque ſpem, quam fecerat Sereniſſima Princeps, publicandae atque in lucem emittendae illius deſcriptionis, ob plura impedimenta protrahi; petiit ab Eadem, vt ipſi liceret quendam quaſi iſtius maioris operis prodromum edere. Annuit Regina precibus, ipſa in hoc auctrix muneris gratiſſimi, quod hic proponimus Lectoribus conſpiciendum *).

Selegit

*) Ex lepidopteris praecipue muſei huius Cl. CAROLUS CLERCK 122 ſpecies inſigni arte pictas edidit,

Selegit autem Ill. LINNAEUS inſecta, inprimis exotica et rariora, quorum 4-500 ſpecies hic ea ratione deſcribit, qua in aliis ſimilibus operibus iam vſus eſt. Inter illa plurima noua ſunt, quorum tamen catalogum hic dare ſuperfluum foret, cum illa ſine dubio in noua ſyſtematis naturae editione, quae iam publicatur, inueniantur. Teſtaceorum collectio eximia eſt, pauca tamen noua inter illa occurrunt, licet 434 ſpecies hic enarrentur. Molluſcorum ordinem genus echini et aſteriae tantum conſtituunt.

Prodromo muſei Reginae LUDOVICAE VLRICAE Cl. Editor prodromum ſecundi tomi muſei Regis ADOLPHI FRIDERICI ſubiunxit, de cuius muſei primo volumine, quod a. 1754 in folio prodiit, iam alio tempore ad lectores noſtros retulimus *). Cum vero ex eo tempore muſeum hoc pluribus animalibus auctum fuerit, aliquorum ex iis catalogum Ill. LINNAEUS hic publicauit. Operis vero maioris continuationem multis figuris aeneis ornatam, et vberioribus deſcriptionibus inſtructam nos aliquando ſperare iubet. Deſcribuntur vero 8 quadrupeda, 34 aues, 34. amphibia et 80 piſces, ex quibus animalibus varia quoque antea incognita fuerunt.

XXI.

dit, in *iconibus rariorum inſectorum*, quod opus Holmiae 1764 prodiit.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VI. pag. 144.

XXI.

De catarrho, et de dyſenteria Londinenſi epidemicis vtrisque a. 1762 libellus, auctore GEORGIO BAKER Colleg. Reg. Med. Lond. et Coll. Reg. Cantabr. Socio, et Reg. Societ. Sodali. Londini apud I. Whiſton et B. White, 1764. 4. pl. 7. tab. aen. 2.

Primam egregiae huius diſſertationis partem conſtituit tractatio de *catarrho* illo epidemico, qui a. 1762 primum Londini, deinde in tota Anglia obſeruatus eſt, et eodem fere tempore maximam Europae partem infeſtauit. Iter tamen et curſus huius morbi incertus fuit, licet certum ſit, eum in Britannia plane incognitum fuiſſe, prius quam Londini innoteſceret. Poſt aeſtatem a. 1761 ſiccam et calidam, autumnum hiememque pluuioſum geluque moderatum, vernali tempore ſucceſſit tempeſtas valde procelloſa, quam ſubito iterum excepit calor ſatis vehemens. Non omnino tamen Cl. BAKER concedere vult, illum morbum a tempeſtate originem duxiſſe, atque plura de aeris conſtitutione proferre ſuperfluum eſſe putat, cum in vniuerſum morborum epidemicorum origines ad ventos mutabiles referre, aut naturam eorum ad barometrum exigere impoſſibile ſit, hiſtoriaque propagationis huius epidemiae oſtendat, non ſolam aeris temperiem cauſſam eius exſtitiſſe. Prima vero huius morbi initia ſe ſub initium menſis Aprilis a. 1762. oſtenderunt, ex quo tempore ille Londini tam celeriter increuit, vt duarum hebdomadarum ſpatio pauci reperirentur, quos ille nulla ex parte affeciſſet. Licet autem omnes homines, cuiuscunque aetatis, temperamenti aut ordinis ii eſſent, inuaderet, tamen in primis eos male afficiebat, qui aetate erant profectiores, obeſos porro, p. 1.

ro, mulieres, quibus catamenia haud profluebant, et tandem ſeruos.

In vniuerſum in hoc morbo horror et calor ſe inuicem excipiebant, aderat languor et anxietas, dolor circa frontem et tempora, tuſſicula continua, et ſternutatio frequens. Oculi inflammati erant et madentes, atque ardoris ſenſatio per vniuerſum aſperae arteriae et nonnunquam per oeſophagi quoque iter percipiebatur. In nonnullis angina quoque accedebat, difficultas ſpirandi et dolores rheumatici vagi. Febris in aliis valida, in aliis contra mitiſſima erat. Lingua vt plurimum albiſſimo obducebatur muco. Saepiſſime ſudores copioſi morbum ſoluebant, atque vrina, quae in initio bilioſa erat, ſub finem lateritium oſtendebat ſedimentum. Nonnunquam natura vomitus bilioſi ope, aut deiectionibus bilioſis, aegros liberabat. Londini funerum ſolitus numerus hac epidemia non multum auctus fuit. Noruici tamen plures ex ea obierunt. Vtplurimum hic morbus intra quartum diem medelae ceſſit, multa pituita per os reiecta. Alii tarde admodum in ſanitatem reſtituti ſunt, tuſſi et febre remanente, atque nonnullos phthiſis pulmonalis tandem abſumpſit. In nonnullis aegris, qui vehementiore agitabantur febre, miliaria ſe oſtenderunt. Magis periclitabantur ii, in quibus peripneumonia aut angina accedebat, atque inprimis ex iis, quibus quotidiani labores ſub dio erant peragendi, multi mortui ſunt. In multis ſolo regimine et perſpirationis lenioris ſuſtentatione opus erat. Nonnunquam morbus hic venaeſectionem requirebat, atque in vniuerſum detracto ſanguine clyſmatum maximus vſus fuit, et leuiorum laxantium, quae in illo morbo plus, quam alia quaecunque auxilia, profuerunt. Diaphoretica contra validiora nocuerunt. Non alienum erat, tuſſim variis remediis lenientibus, et ipſis anodynis nonnunquam ſedare,

dare, quodſi vero dolores pectoris aut capitis vel reſpirandi difficultas aderant, tunc veſicatoria egregios effectus praeſtabant. Illa inprimis poſt cucurbitularum applicationem lateri dolenti impoſita, hunc dolorem et tuſſim mirum in modum leuarunt. In febre lenta ſubſequente cortex Peruuianus egregium omnino vſum praeſtabat.

Hanc tractationem excipit diſſertatio de *dyſenteria*, qui morbus Londinenſes ſub exitu menſis Iulii 1762 inuaſit, cum in hac vrbe nouus fere aut ſaltem nuperis annis inauditus eſſet. Ille vero toto fere autumni tempore graſſabatur, atque magnam inprimis inter pauperiores, pueros, et quibus infirmior valetudo erat, ſtragem edebat. Communia huic morbo ſymptomata Cl. Auctor primum deſcribit. Primis diebus huic morbo occurrendum erat, cum neglectus longe difficilior curari poterat. Periculum imminebat illis, quorum extremitates, poſt magnam ſanguinis ſinceri iacturam, frigeſcebant, et quibus abdomen tumidum tenſumque erat. Quicunque fructus aeſtiuos vel autumnales maiore copia ſumſerant, ii vel a dyſenteria plane liberi erant, vel leuiter tantum aegrotabant. Venaeſectio omnino in initio, maxime ſi aliqua inflammationis ſigna aderant, vtiliſſima erat, neque ea omni morbi tempore, ſi vires adhuc validae erant, in dolore vehementiore aut febre nimis aucta negligenda erat. Vomitoria fere ſemper cum felici ſucceſſu adhibebantur. Ex emeticorum autem numero maxime commendandus eſt tartarus emeticus, magna aquae copia dilutus. Vomitum ab eo excitatum vt plurimum inſequitur ſudor copioſus maxime proficuus. Ipecacuanham minus Cl. BAKER laudat, cum tartarus emeticus plus praeſtet, diaphoreſin quoque faciat et aluum ſoluat. Poſt vomitorium purgans potio ex ſenna, manna, tamarindis propinanda eſt, etc. ex cuius p. 18.

cuius vſu, ſi morbus non leuatur, et deiectiones naturales fiunt, ſtatim ad ſalis amari cathartici uſum
p. 28. transeundum eſt. Rhabarbari vſum ſub initio morbi Noſter plane reiicit, cum ſaepe vel leuiſſimum tantum vel nullum plane effectum habeat, haud raro tardius et cum augmento torminum operetur, atque tandem adſtringendi virtute, qua pollet, noceat. Clyſmata in multis profuerunt, in aliis, ob irritationem inde ortam, morbum exacerbarunt. Inter remedia, quae muci naturalis vice fungi poſſunt, et vt plurimum morbo declinante dari ſolent, Cl. BAKER inprimis laudat lac bubulum, cum recente adipe coctum, cui amyli portio addi poteſt. Hoc enim medicamentum, coquinaria arte paratum, guſtui non inſuaue eſt, neque ventriculo, licet copioſe ingeratur, nocet. Opium in initio ſollicite vitandum eſt. Dyſenteria enim opio tractata haud raro in epilepſiam, rheumatiſmum et pleuritidem transiit, ſemperque per eius vſum morbus protrahitur. Hinc opiata tantum concedenda ſunt in eo caſu, vbi periculum adeſt, ne aeger vigiliis enectus, ex defectu virium pereat. Superata vero vi morbi, et alui excretionibus naturaliter iterum ſuccedentibus, laudani SYDENHAMI vſus plenariam curationem abſoluit. Cataplaſmata emollientia et fomenta Noſter cum fructu aegrotorum abdomini adplicauit, immo aegrum per ſeptem dies iam dyſenteria laborantem in balneum immiſit, eo cum ſucceſſu, vt dolor omnis conquieſceret, aluus naturali modo ſolueretur, et aeger in ſanitatem reſtitueretur. Victu aeger vtatur tenui, leuiſſimo, emolliente. Carnium vſus nocet, neque primis diebus iuſcula concedenda ſunt. Plurimum vero praeſtat ſeri lactis vſus et omnium ciborum, qui ex lacte parari ſolent. Aeris puritatis ratio maxime habenda eſt. Cum conualeſcentes ob debilitatem inteſtinorum ex leuiſſimo diaetae vitio facile

facile in hunc morbum recidere ſoleant, diaeta paullo curatius ordinanda eſt. Proficit quoque iis multum vſus decocti ligni Campechenſis. Cortex Peruuianus contra, ſi inteſtina nondum confirmata ſunt, nihil iuuat, ſed opportune datus, reſtaurationem egregie adiuuat. Addit Cl. BAKER hiſtoriam ſectionis dyſenterici a Cl. GUIL. HEWSON factae. In hoc cadauere rectum, colon, coecum et inteſtini ilei pars, nigrum habebant colorem, qui vero non ex ſphacelo oriebatur, ſed ex muco aterrimo, ſanguini coagulato et putreſcenti ſimili, quo interna ſuperficies obducta erat. Obſeſſa vero ea erat ſub hoc muco puſtulis, variolis maxime ſimilibus, hinc inde non aequali ratione diſperſis. Ex his digito preſſis paullulum cruenti cuiusdam liquoris exſudabat. Interius vero ea tubercula ſolida erant, tunicis celluloſa et villoſa adeo inter ſe confuſis et per inflammationem condenſatis, vt Cl. HEWSON definire non auderet, vtrum ea tubercula orta eſſent a tela celluloſa, an ex tunica villoſa hoc modo concreta? p. 38.

Adiectae ſunt praeterea Cl. CHARLTON WOLLASTON ad Cl. BAKER litterae, in quibus ea deſcribuntur, quae Cl. WOLLASTON in duobus dyſentericis diſſectis obſeruauit. In primo cadauere tenuia parum affecta erant, coecum aere diſtentum, colon vero contractum, atque eodem modo, vti rectum, muco ſanguineo interius obducebatur, ſub quo ſimilia tubercula aderant. Viſa vero illa ſunt Cl. WOLLASTON, conſtare ex tuberculis plurimis paruulis, in eminentiam vnam fungoſam coeuntibus. Inter illa tubercula villoſa ſana ſupererat. In colo praeter illa tubercula quoque maculae paruae hinc inde inter tubercula erant, rotundae et nigrae, petechiis, quae nonnunquam inter puſtulas varioloſas obſeruantur, ſimillimae. Bilis veſicula in hoc aegro turgida erat, bile flaueſcente dulci repleta. In alte- p. 42.

ro aegro, cuius cadauer Cl. Auctor examinauit, inteſtina craſſa ſphacelo maxime corrupta et perforata erant, attamen in hoc quoque tubercula aderant deſcripta, maculae vero deficiebant. Bilis naturalis erat. In tabula aenea prima Cl. WOLLASTON portionem inteſtini recti cum tuberculis, quae obſeruauit, in poſteriore vero particulam coli cum maculis nigris inter tubercula delineari curauit.

XXII.

Acidularum Sulzbacenſium hiſtoria et analyſis. Disput. med. Praeſide CHRISTIANO HAUSMANN, *Colmarienſi.* d. 24 Mart. 1764. *Argentorati, typis Ioh. Henr. Heitzii,* 4. pl. 4½.

Acidularum *Sulzbacenſium* examen Cl. HAUSMANN in ſe ſuſcipit. Itaque fontis hiſtoriam, patriam et ſitum, naturam atque indolem partium, hunc laticem conſtituentium, et fontis vires atque vſum
p. 2. conſiderat. Scatent hae acidulae in valle quadam in *Alſatia* ſuperiore prope oppidulum, cui nomen *Sulzbach*, quod tribus leucis a *Colmaria* diſtat. Propria pericula Cl. Auctorem perſuaſerunt, tribus diſtinctis ſcaturiginibus laticem hunc e terra proſilire. Quum nullae in illa regione ſint fodinae, nulliusque generis foſſae: nihil de montium adiacentium eorumque viſcerum interiorum contentis mineralibus determinare Cl. Auctor audet. De hoc tamen certus eſt, in diſtantia aliquot centum paſſuum a ſcaturigine ſtratum reperiri lithanthracum.

p. 9. Procedit poſt hiſtoricam disquiſitionem Cl. Auctor ad *laticis chemicam indolem.* Aquarum mineralium compoſitionem omnino pro temporis, quo examinantur, ratione differre, recte monet Cl. Auctor. Aliam enim habent eiusmodi aquae, dum ſub terra pro-

procurrunt et proſiliunt: aliam ſi aeri et calori per tempus exponuntur. Sub vtraque igitur conditione aquas examinauit. Primaria, ad quae aquarum mineralium ſcrutatores attendere ſolent, ſunt earum odor, ſapor, gradus caloris vel frigoris, pondus, quod ad aquam habent deſtillatam, mutatio, quam admiſtione aliorum corporum, praeſertim liquorum, qui reagentia chemicis audiunt, ſubeunt. Haec omnia rite ac ordine determinat, et acidulis aquas *Sulzbacenſes* eſſe adſcribendas denique concludit Cl. Auctor. Tranſit ad producta, quae euaporatio et p. 14. deſtillatio harum aquarum exhibuere. Ex vtraque plane ſimillimam accepit, et quidem ex 7 libris maſſam 64 granorum, albam foliaceam, euidenter ſalinam. Recenſitis periculis, quae cum ipſis acidulis p. 16. fecit, corollaria, quae exinde deduci poſſunt, adnectit. Ex quibus patet, aquam fontis *Sulzbacenſis*, nulla mutatione mutatam, conſtare: 1) e copioſo elemento aqueo: 2) multo aere: 3) vero, quamuis parco, vitriolo: 4) alcali minerali: 5) terra ſelenitica: 6) terra calcarea: 7) terra vitreſcente: 8) an et bituminoſa ſubſtantia? Aqueum elementum per ſe patet, copioſum autem aerem Cl. Auctor ex diſploſis vaſis demonſtrat, ſi nimis cito claudantur. Vocabulum ſpiritus aetherei non admittit, quem eo, quo vulgo ſumitur ſenſu, ad non entia pertinere recte contendit. Subtile tamen acidum vitriolicum vna cum aere egrediente abripi non negat, vnde etiam ſaporem vinoſum acidularum explicandum eſſe cenſet. Vitriolum autem neminem ſub ſua forma adhuc exhibuiſſe perhibet. Contra modum enim, quem Cl. SPRINGSFELD *) propoſuiſſet, vitriolum ex aquis mineralibus producendi, nonnulla non

K 2 ſine

*) In itinere medico ad thermas Aquisgranenſes et fontes Spadanos, p. 71.

ſine ratione monuiſſet Cl. SEIPIUS *). Et quamuis ipſe credat Cl. Auctor, vitriolum ſenſibus exhiberi non poſſe, quia pars alcalina admiſta ſolutionem metalli in acidis impediret: ineſſe tamen acidulis, licet parua quantitate, ideo affirmat, quod ipſae duae, quae vitriolum conſtituant, ſubſtantiae, ferrum nempe et acidum vitrioli, euidenter in latice adſint. Ferrum enim ex intenſiore colore probat, quem infuſum gallarum admiſtione laticis acquirit; acidi vitriolici autem praeſentiam ſupra iam demonſtrauit; quare de vitriolo vero non dubitandum eſſe aſſerit. Aſt Cl. Auctor oblitus eſt, Cel. quondam SEIPIUM eodem, quem ipſe excitat, loco ſimul monuiſſe: non concludendum eſſe a partibus conſtitutiuis vitrioli in acidulis ad praeſentiam vitrioli: a poſſe enim ad eſſe, vti logici dicunt, non valere conſequentiam. Nam multa adeſſe in aquis mineralibus impedimenta, quae obſtarent, quo minus exiſteret vitriolum. *Verum* igitur vitriolum dici nunquam poteſt, quod ne immaturum quidem aut imper-
p. 19. fectum nominari meretur. Praeter ea ineſt quoque latici alcali minerale. Hoc manifeſtant reagentia, et maſſa poſt euaporationem reſidua. Materia vero, quae poſt elixiuationem ſalis remanet, ad terras pertinet. Rigoroſo autem examine chemico detexit Cl. Auctor, duplicis terram eſſe ſpeciei, *calcareae* et *vitreſcentis*: calcaream vero rurſus diuidi in *calcaream ſtricte ſic dictam*, ſeu *abſorbentem*, et in *ſeleniticam*, cui acidi vitriolici portio intime iungitur. Omnes has ſpecies experientiis, ex chemia ſumtis, probat. Aliquid bituminoſi denique latici inhaerere, certo quidem non aſſerit, ſuſpicatur tamen ex experimento, quo argentum, ex ſua cum acido nitri facta ſolutione, affuſo latice, deiectum, *praecipitatum* dicerent chemici, ſine addito inflammabili iterum reducitur.

*) *Beſchreibung der Pyrmonter Waſſer.* p. 236.

eitur. Nunc rationem reddere ſtudet, cur alcali minerale et acidum vitriolicum ſine mutua actione in latice ſeparata maneant, quod partim copioſo aeri, cui nullus ſub terra exitus patet, partim pinguiori acidi vitriolici indoli, ad mentem Cel. SEIPII adſcribit. Aliter res euenit, quando aeri externo et calori liber acceſſus permittitur, tunc prior compoſitio laticis deſtruitur; aer incluſus libere exit; alcali et acidum in ſe mutuo agunt; ſal neuter, ſali mirabili GLAVBERI ſimilis, inde generatur; terra martialis deiicitur; et q. ſ. r. His praemiſſis accuratius definit rationem, ſub qua memoratae partes componentes latici inſunt: ex his apparet, ſalem alcalinum et terram calcaream ceteris praeualere. p. 22.

Pergit ad fontis vires et vſus. Quum hic fons ob ſalem, qui per Cl. Auctoris experientias fere totus alcalinus eſt, a plurimis hactenus notis acidulis ſe diſtinguat: etiam a ſale lixiuioſo praecipuae vires exſpectandae ſunt. Nunc morbos recenſet, qui hiiſce acidulis ſanandi veniunt, quos inter primarii ſunt, qui a ſaburra acida, in primis viis nidulante, ortum ducunt. In genere autem recte monet, rariſſimos eſſe caſus, in quibus, prouti ab omnium acidularum, ita quoque ab harum vſu plane eſſet deſiſtendum: quicquid etiam alii auctores in contrarium proferant. Minime enim ſe rationem comprehendere poſſe ait, quomodo remedium, quod lento paſſu, et cum ſucceſſu temporis humoris acrimoniam corrigit, vaſorum tonum reſtituit, mucum incidit, et obſtructiones reſerit, nocere poſſit. Omnia tantum eo redire exiſtimat, vt cura cum acidulis inſtituenda bene dirigatur. In quo illi plane aſſentimur. Recte etiam taxat illos, qui, dum cum ſpiritu aethereo ludere ſibi placent, ab incluſo et copioſo aere ſibi multum vtilitatis promittunt: quum debilibus magis noxius eſſe queat. p. 27.

p. 32. Breuiter tandem modum praeſcribit acidulis rite, tam interne, quam externe, vtendi. Generaliora quidem tantummodo exhibet praecepta, rationi autem et experientiae conſentanea. Inter alia miratur dari medicos, qui fructus horaeos, tanquam ſumme noxios, omnibus, qui aquis mineralibus vtuntur, ſine omni prohibent diſcrimine, quum vſum acidularum ſub certis conditionibus magis promoueant. Idem iudicat de potu Caffé, quem nonnulli medici, quum eo nihil pernicioſius fingant, omnibus aquarum mineralium potatoribus ſine exceptione vlla interdicunt. Paucis etiam externum harum aquarum vſum attingit.

XXIII.

Diſſ. inaug. Cyſtotomia lateralis moreauiana noua eademque receptis longe praeſtantior, quia omnino tutior. Praeſ. GEO. FRID. SIGWART Chirurg. et Anat. P. P. O. Auctore et Reſpondente CAROLO LUDOV. FRID. BREYER Med. Aul. Wirtemberg. Tubingae, 1764. 4. 4. pl. tab. aen. I

Cl. Auctor hac diſſertatione methodum, qua Cl. MOREAU Noſocomii publici, quod *l'Hotel de Dieu* dicunt, Chirurgus primarius, Pariſiis feliciſſimo cum ſucceſſu ſectionem lateralem inſtituere ſolet, a Cl. Inuentore communicatam Cl. BREYERO, hic deſcribit. Praemittit breuem methodorum lithotomiae hiſtoriam et diiudicationem. Cl. MOREAU ſcalpello vtitur ancipiti, cuius acies tres pollices longa eſt, latitudo in parte a cuſpide remotiori vix ſex linearum, cuiusque maxima craſſities in medio eſt. Ipſe catheterem ſiniſtra manu continet, miniſter, a dextra aegri parte poſitus, ſcrotum eleuat.

p. 21. (margin note beside "thotomiae hiſtoriam")

Cathe-

Catheteris ſulco explorato, Chirurgus ſcalpellum, faſciola vsque ad partem cuſpidi proximam obuolutum, in modum calami ſcriptorii dextra apprehendit, et obliquam ſectionem, duos pollices cum ſemiſſe vt plurimum longam, a media perinaei parte ad iſchii ſiniſtram protuberantiam deſcendentem facit, qua cutem, nec non exteriorem telae celluloſae partem diuidit. Tunc catheteris ſulcum rurſus explorat, vt ſcalpellum in membranoſam partem vltra bulbum infigat. Manu ſiniſtra motum ita dirigit, vt catheteris manubrium antrorſum vergat, dum dextra ſcalpello armata ſulcatam catheteris partem percurrit, donec veſicae collum attigiſſe videtur. His peractis eleuat parumper manubrium ſcalpelli, atque eius cuſpidem e catheteris extremo dimouet, et lithotomum paulatim retrahendo lateralem et ſiniſtram ſecat proſtatae partem. Tunc dextra ſcalpelli cuſpidem in catheteris ſulcum reponit, manumque deprimendo exteriorem textus celluloſi ſectionem vti in vulgari methodo laterali perficit. Maximam huic methodo praerogatiuam tribuendam eſſe, patet ex ſucceſſu operationum Cl. MOREAU et eorum, qui ſectionem calculi ſecundum methodum eius inſtituunt. Nunquam enim vel fere nunquam haemorrhagia, adeo ſaepe alias funeſta, operationem ſequitur. Dum enim Chirurgus peracta colli veſicae ſectione cuſpidem in catheteris ſulcum reducit, vaſa arterioſa ex pudenda media prouenientia, quae angulum muſculorum erectorum et acceleratorum traiiciunt et ad vrethrae bulbum producuntur, non laedit. Id quod Cl. MOREAU ſectionibus cadauerum, in quibus vaſa materia ceracea antea impleuit, auditoribus probare ſolet. Accedit alterum commodum, quod ſcilicet in hac methodo operator ipſe, non miniſter, catheterem dirigat. Differt haec operatio a Cheſeldeniana in eo, quod in CHESELDENII

methodo ſectio vnam modo pyramidem, in noſtra vero duas quaſi formet, quarum apices concurrunt, quod per figuram a Cl. BREYERO libello ſuo adiectam magis adhuc illuſtratur.

XXIV.

Opuſcula Phyſiologico-Pathologica, diſſertationes tres exhibentia. 1) De affectionibus infantiae ac pueritiae. 2) De affectionibus ſenectutis. 3) De viſionis ſenſorio. Auctore ANTONIO FRACASSINI Medico Veronenſi, Academiae Bononienſis atque Coniecturantium Mutinenſis Socio. Veronae, ex typographia Marci Moroni, 1763. 4. Alph. 1. pl. $1\frac{1}{2}$.

Quo aliquam huius tractatus ideam lectores noſtri habeant, paucis ſummam trium diſſertationum in eodem contentarum indicabimus. Morbos infantiae ac pueritiae diuidit Cl. Auctor in naturales, et ob habitum corporis neceſſario euenientes, et praeternaturales, prioresque denuo conſiderat, quatenus vel in corpore, vel in animo ſeſe manifeſtant. Vniuerſi infantilis corporis laxiorem habitum, fibrarumque maiorem flexibilitatem, facilioremque mobilitatem, nec non humorum tenuitatem, affectionibus quibusdam huic aetati propriis oriundis opportunitatem ſuppeditare, pluribus exemplis comprobat, ſicuti etiam ab eadem naturali corporis conſtitutione varios animi affectus produci, hilaritatis, delectationis in rebus inanibus, curſus, ſaltus, frequentioris riſus et fletus exemplo demonſtrat. In recenſendis vero, et vlterius explicandis morbis, qui ab eiusmodi peculiari infantum habitu oriuntur, ordinem ſequitur, ex ipſo ſitu partium corporis deſumtum,

tum, ita, vt a capitis affectibus incipiens, ad pectoris et abdominis morbos progrediatur, et vltimo variolas, huic praecipue aetati proprias, adiiciat. In ſingulis aetiologiam, quatenus ex naturali infantilis corporis conſtitutione explicari poteſt, curioſius disquirit, et in quolibet medendi methodum indicat. Sic v. c. aphtharum cauſſas perſcrutans, eas tum in laxiori ſolidorum fabrica, heterogeneas in ſanguine particulas producente, tum in lacte materno, ſaepius vitiato, quaerit, et inde infantes ab iis facile corripi poſſe contendit, curationem partim per vniuerſalia remedia, viſcidum reſoluentia et euacuantia, partim per ſpecialiora, loco affecto applicanda, temperantia, mundificantia, et roborantia, abſolui poſſe adfirmat.

Senes ſua peculiaria habere incommoda, ipſamque ſenectutem, licet quoque optima videatur, ſemper tamen morbum eſſe, et ab ineuitabili mortis acceſſu tandem excipi, ſimili ratione ex habitu corporis, quatenus ſiccus eſt, et in omnibus partibus maior durities et nimis compacta natura inueniuntur, comprobare Noſter annititur. Inde actiones naturales aeque ac animales ſuum vigorem magis magisque amittere, et corpus ad eas ſubeundas impar fieri, exemplo hebetudinis ſenſuum, et motus muſcularis minori agilitate, aliisque functionibus laeſis declarat. Morbos huic aetati ſolennes, et a naturali conſtitutione oriundos, iterum proponit ſecundum ordinem ſitumque partium, quatenus vel in capite, vel thorace, vel infimo ventre haerent, quibus vltimo loco rheumaticos dolores atque ſcorbutum adiicit. Praecipui dicto ordine enumerati affectus ſunt vertigo, apoplexia, vigiliae, cataracta, tuſſis, aſthma, colica, ſtranguria etc. qui omnes ſenes propterea eo facilius inuadunt, quia corpora eorum prae reliquis ſicca ſunt, vel et ſolida nimis

rigida, minus conuenientem humorum elaborationem efficiunt, vnde lentor humorum, variaeque obſtructiones producuntur.

In tertia diſſertatione, de viſionis ſenſorio exponente, varias auctorum ſententias circa partem oculi, in qua praecipue viſus exercetur, disquirit, modumque huius ſenſationis ſecundum diuerſorum opiniones illuſtrat, et radios lucis in choroidea et retina oſcillatorium quendam motum producere, qui pro diuerſi obiectorum magnitudine, figura, et colore, variat, et inde vario modo ad ſenſorium commune deferri, vbi animum obiecta percipere, et a ſe inuicem diſtinguere, demonſtrat.

XXV.

Tractatus de ſcorbuto IOANNIS A BONA, Veronenſis. Veronae, apud Petrum Antonium Berno, 1761. 4. Alph. 1. pl. 8.

Scorbuti quidem naturam, eius cauſas atque curationes maximopere iam deſcripſit ac illuſtrauit Cl. LIND *), vt nemo accuratius et ſtudioſius hac de re agere potuiſſet; cum vero multa in hoc tractatu contineantur, quae indicari merentur: minime huius recenſionem eſſe praetermittendam putauimus. Diuiditur autem in tres libros, quorum Imus, decem complectens capita, explicat ſcorbuti ſymptomata, diagnoſin, differentias, prognoſin et cauſſas, ab aere, cibo, potu, quiete et otio, ac animi pathematibus pendentes; IIdus, in duodecim capita diſtributus, conſiderat eius eſſentiam, naturam acrimoniarum variarum, quibus excitatur, eius ſymptomata, ſedem, originem, morbos praedisponentes

*) Cuius mentionem fecimus in Commentar. hor. Vol. IV. p. 238 ſqq.

nentes eiusque contagium; IIItius, ex octo capitibus conſtans, therapiam ſcorbuti docet, cautelas practicas indicat, et modum, quo variae acrimoniae curentur, demonſtrat. Nos tantum hinc illinc nonnulla excerpemus.

Lib. I. Symptomata ſcorbuti ſunt maculae cu- p. 13. tis, quae in vlcuſcula mutantur, accedit interdum icterus niger, hydrops, ſcabies, elephantiaſis, tumores varii, inter quos Cl. Auctor peculiarem vidit tumorem, oui gallinacei magnitudine, e cute cum ſpiritu et ſibilo ſubito exeuntem, abſceſſus, gangraena, ſudor foetidus, oſſium fragilitas. In ſcorbuto peſtilentiali gignitur caries, dolores oſteocopi, anaſarca. Morbi, qui ſingulas partes afficiunt, ſunt dolor capitis, ſomnus continuus, aut vigilia pertinax, delirium, vertigo, lippitudo, tinnitus aurium, gingiuarum dolor, contractio maxillarum, aphthae oris, parulis et epulis, cancer labiorum, tumor linguae βατϱαχόν dictus, paralyſis brachiorum, difficultas reſpirandi, ſaepe lethalis, hydrops pectoris, vomitus conuulſiuus, dyſuria, aſcitis, vlcera glandis vel vaginae, cet. Gingiuarum vitium, oris p. 23. foetor, maculae cutis, dolor extremitatum et vacillatio crurum, cet. ſcorbuti ſuſpicionem excitant, quam cauſſae, pulſus, vrina et ſymptomata confirmant. Pulſus eſt paruus, debilis, inaequalis; vrina varia, craſſa, innatante pituita vel pellicula; dolores ſunt vagi, noctu grauiores, cum leui paralyſi coniuncti; hydrops plerumque difficultatem ſpirandi ſequitur. Secundum BOERHAAVIUM Cl. Au- p. 36. ctor quatuor ſcorbuti ſpecies ſtatuit, ſalſo-muriaticam, acido-auſteram, rancido-oleoſam, alcalino-foetentem. Ad cauſſas ſcorbuti aer humidus, cali- p. 51. dus referendus eſt, quippe qui perſpirationem impedit, et ſolida relaxat. Aer humidus maritimus idem praeſtat, cum in mare e plantis, piſcibus, aliisue

anima-

animalibus putreſcentibus putridae exhalationes gignantur; in locis paluſtribus, carceribus et noſocomiis ex eadem cauſſa ſcorbutus producitur. Frigus, cum cogat humores et perſpirationem imminuat, multum ad ſcorbutum confert. Nimius vſus carnium piſciumque fumo exſiccatorum et ſale conditorum, oleum oliuarum, butyrum frixum, caſeus, ſcorbutum gignunt. Abſtinentiam a vegetabilibus recentibus et merum vſum carnium eſſe ſcorbuti cauſſam, vti alii ſtatuunt, negat Cl. Auctor, ac potius leguminibus, ſeminibus farinoſis ſiccis, pultibus et placentis hanc tribuit. Etenim nautae, qui carnibus ſalitis, caſeo, leguminibusque nutriuntur, ſcorbuto laborant, minime vero ii, qui carnes recentes, v. c. ſues, oues, gallinas, ſecum ducunt. Eadem ex cauſſa ſcorbutus in vrbibus obſeſſis graſſari ſolet. Vſus aquae, in nauigatione ſub coelo calidiore corruptae, nautas in ſcorbutum iniicit; idem praeſtat aqua maritima vel paluſtris, vinum non ſatis fermentatum, acidum, cereuiſiae craſſae, cet.

p. 57. p. 69.

p. 79. *Liber IIndus.* Scorbutum cum BOERHAAVIO appellat cachexiam, vbi ſanguis ex craſſitie vnius partis, et alterius acri tenuitate laedit, cum ſolidarum partium debilitate; vis enim omnium cauſarum in eo redit, vt ſanguini craſſitiem et acritatem inferat. Craſſities poſita eſt in ſanguinis parte fibroſa, ſiue ex tenuiſſimis ſanguinis filamentis concreſcit, vel ex ipſius globulis arcte coniunctis, et oritur, ſi chylus iuſto craſſior in languidis vaſis non ſatis elaboratur. Sed diſtinguenda eſt haec craſſities a craſſitie phlogiſtica, quae pendet a validis corporis viribus et expedito humorum motu, quo alimenta celeriter in corporis naturam mutantur. Bonus enim ſanguis e rotundis, leuibus, denſis conſtat particulis, quibus ineſt niſus cohaeſionis, qui modum excedens phlogiſticam craſſitiem profert; e con-

contrario craſſities in ſcorbuto obuia fit e particulis aſperis et anguloſis, quae pluribus contactibus adhaerentes, ſenſimque copioſe in ſanguine collectae, illum craſſum reddunt. Sanguinis autem pars tenuis, aquoſa et glutinoſis particulis mixta, abundat acrimonia, qua ſenſim tenuior fit, ac lympha tenuis nimis reſoluitur. Differt vero craſſities in variis ſcorbuti ſpeciebus, et maior eſt in rancido et acido, quam in muriatico et alcalino, atque quo magis increſcit acrimonia, eo magis imminuitur craſſities. Debilitatem ſolidorum deducit Cl. Auctor ex laeſa nutritione, ſiue ex deficiente tenacitate humoris, quo fibrillae tenuiſſimae inter ſe glutinantur. Acri- p. 88.
monia ſcorbutica ſalina muriatica oritur ex abuſu ſalis communis; attamen ſal e combuſtis vegetabilibus paratum et immodice ſumtum minime produceret ſcorbutum muriaticum, cum maxime differat a ſale marino, particulis cubicis compoſito, quae non mutatae in ipſo ſanguine, ac inprimis in vrina putrefacta, conſpiciuntur. Ex craſſitie humorum, p. 127.
eorum acrimonia, et ſolidorum debilitate omnia ſcorbuti ſymptomata oriuntur. Craſſities enim cruoris et ſeri obſtructiones vaſorum producit, quae in viſceribus factae morbum regium, hydropem, febrem, in minimis vaſis haerentes atrophiam, inſultus apoplecticos, anxietates, cet. excitant, ſed in morbi progreſſu ſoluuntur humores et acerrimi fiunt. Ex acrimonia augetur irritabilitas vaſorum, eorumque obſtructio, vnde dolor, torpor, neruorum reſolutio proficiſcitur; hoc autem irritamentum vel in vaſculis omnem humorum progreſſum impedit, vel hos impellit, vt maiori cum vi haec transeant, tandemque vaſa ipſa diſſoluit. Haec vero acrimonia vel nunquam, vel rariſſime, agit in communem neruorum originem, ſed plerumque in ſingulos neruos, ſaepiſſime in ganglia neruorum.

Solido-

Solidorum debilitas humores crudos reddit, et ad
craſſitiem procliues, hinc ab aucto humorum pro-
greſſu facile ſoluuntur vaſa, et effuſiones fiunt, vti
ſugillationes et gingiuarum laeſiones demonſtrant.
p. 137. Scorbutus in omnibus ſolidis ac fluidis partibus cor-
poris humani haeret, non in ſingulari aliqua parte,
v. c. liene, hepate, pancreate, vti plurimi putarunt,
qui viſcera cadauerum ſcorbuticorum corrupta pro
eius ſede habuerunt.
p. 187. *Liber IIItius.* Therapia generalis ſcorbuti eius
cauſſis inprimis opponatur. Aer ſit purus, ſeruetur
mundities, fugiantur loca paludoſa; loca minus ſa-
lubria emendentur combuſtione iuniperi, ſuccini, ſuf-
fimigiis aceti; motus muſcularis exerceatur ambu-
latione; debilioribus conuenit frictio; victus ſit te-
nuis, leuis, modicus; potus optimus eſt aqua pura,
interdum vinum auſterum, tenue, dilutum; animus
ſit tranquillus, hilaris; vitetur aer nocturnus et hu-
p. 193. miditas pedum. Si morbus hic magis inueteratus
eſt, ad tria reſpiciat medicus, vt craſſitiem humorum
attenuet, eorum acrimoniam leniat, et ſolida roboret,
quae tamen remedia ad diuerſas ſcorbuti ſpecies diri-
gantur, quorum explicationem Cl. Auctor vna cum
cautelis practicis neceſſariis hic ſatis ample expoſuit.

XXVI.

XXVI.

GVALTH. VAN DOEVEREN Specimen obſeruationum academicarum, ad monſtrorum hiſtoriam, anatomen, pathologiam, et artem obſtetriciam praecipue ſpectantium. Groningae et Lugduni Batauorum apud I. Bolt et S. et I. Luchtmans, 1765. in 4. 1. Alph. 16. pl. tab. aen. 7.

In primo harum obſeruationum capite traditur ana- p. 1. tome agni bicipitis monſtroſi recens nati, quam Cl. DOEVEREN ſumma cum cura inſtituit et deſcripſit. Oſtendit autem, monſtrum hoc ad eam monſtrorum claſſem pertinere, quae ob fabricam, ab ordine naturae alienam, iam in prima partium delineatione exiſtentem, *primigenia* vocari ſolent. Ca- p. 49. pite ſecundo tres partus humani monſtroſi deſcribuntur. Primus eſt foetus acephalos, in quo cranii galea a ſuperciliis fere vsque ad imam oſſis occipitis partem deerat, atque oſſium defectum implebat fungoſa aliqua et rubella maſſa, tenui tantum membrana obducta. Licet vero mater foetus huius ſic deformati negaret, ſibi aliquid conſtare de vi aliqua, ſibi grauiditatis tempore illata, aut alia cauſſa, quae foetum, vtero adhuc incluſum, ita laedere potuiſſet, tamen foetus hic omnino ad monſtra *accidentalia* pertinere videtur, quorum origo accidentali alicui cauſſae adſcribenda eſt. Sequitur deſcriptio foetus, in quo aderat labium leporinum duplex, palatum fiſſum naſusque duplex, et tertii cuiusdam monſtri, in quo vtrumque vitium, quo primus et ſecundus foetus laborabant, coniunctum erat. Addit hac occaſione Cl. DOEVEREN varias ex diuerſis ſcriptoribus collectas obſeruationes, de inſigni illa ſimili-

ſimilitudine, quae ſaepe inter varia monſtra intercedit, et oſtendit, naturae in eiusmodi luſibus conſtan-
p. 61. tiam ſummam eſſe. Tertio capite deſcribitur ex tribus cadaueribus inteſtinorum craſſorum ſitus, a naturali maxime recedens, atque demonſtratur, praeternaturales eiusmodi ſitus plurimos morbos et gra-
p. 69. uiſſima ſymptomata producere poſſe. Quartum caput continet hiſtoriam ſingularis cuiusdam morbi, quo cor hominis 38 circiter annorum afficiebatur. Ille enim in inflammatorium morbum incidebat, cuius ſedes in pectore erat. Aderat ſimul ſumma cordis palpitatio, atque omnibus artis auxiliis fruſtra adhibitis aeger tandem decimo octauo morbi die vitam cum morte commutabat. Oſtendebat vero ſectio cadaueris, a Cl. Auctore inſtituta, veram in hoc aegro inflammationem cordis adfuiſſe, quae non modo in ſuppurationem abierat, ſed et pericardii cameram purulenta repleuerat aqua. In variis aliis cadaueribus ſimili cruſta purulenta cordis ſuperficiem obductam conſpexit, ſine vlla huius partis inflammatione aut ſuppuratione praegreſſa, vnde recte concludit, morbum hunc ad exhalationem purulentam, quae vti in variis corporis locis, ita praecipue in thoracis viſceribus apparet, omnino referendum eſſe.
p. 76. Quinto capite, quae in cadauere foeminae paſſione iliaca ſubito exſtinctae Cl. DOEVEREN obſeruauit, ab eo deſcribuntur. Aderat enim in ea mirabilis aliqua incarceratio interna inteſtini ilei, atque haud procul a coeco inteſtino ex inteſtino ileo enata erat ſacciformis quaedam appendix, quae in initio ſuo anguſta erat, mox vero in ampliorem diſtendebatur ſaccum, atque ſine dubio ad diuerticula inteſtinorum, a RVYSCHIO aliisque deſcripta, referenda eſt. Adſcendebat autem a fine coeco huius appendicis chorda aliqua, ad coecum vsque producta, qua appendix illa et reliqua inteſtini pars ita tendebatur, et

ſurſum

ſurſum trahebatur, vt incarceratio interna modo deſcripta inde oriretur, quae in gangraenam tendens aegrae ſubito lethalis fuit. De origine vero diuerticuli huius Cl. Autor ita ſentit, vt concludat, illud iam a natiuitate adfuiſſe, et cum aliquo proceſſuum adipoſorum ex coeco prodeuntium concreuiſſe, qui tandem ob continuam tenſionem in ligamenti ſpeciem mutatus ſit. Capite ſexto veſicae vrinariae p. 83.
ruptura lethalis in grauida deſcribitur. Sine plenaria vrinae ſuppreſſione veſica immaniter diſtenta erat, vtero veſicae collum comprimente. Tumorem vero illum Cl. Autor, vti candide ipſe fatetur, pro ipſo vtero habuit, aegramque ſubito exſtinctam ex vteri ruptura interiiſſe ſuſpicatus eſt, vera demum mortis cauſſa per ſectionem cadaueris detecta. Hinc monet, in ſimilibus morbis medicum ſedulo reſpicere debere ad vrinae accumulationem, neque catheteris auxilium negligendum eſſe, quamuis etiam aliqua vrinae euacuatio magnam huius mali ſuſpicionem haud moueat. Sequens caput p. 94.
ſimilem fere hiſtoriam continet. Orta vero erat veſicae diſtentio lotiique ſuppreſſio a renis dextri conſumtione et hydrope. Addit huic hiſtoriae Cl. Autor nonnullas animaduerſiones de naturali ſitu foetus humani in vtero et circumuolutione eius, quam multi verſus finem grauiditatis fieri putant. Statuit autem naturalem foetus in vtero ſitum talem eſſe, vt ſi vterus recte poſitus ſit, a primis iam grauidatis menſibus, capite ſuo orificio vel ſaltem ſegmento vteri inferiori innitatur, atque ideo vana ſint, quae de eius circumuolutione ab auctoribus profeſrantur. Saepiſſime vero hic ſitus durante grauiditate ita mutatur, vt modo transuerſus ſit foetus, modo hanc, modo oppoſitam corporis partem ad orificium poſitam habeat, ſaepius quoque pedes aliaeque partes praecedant. Foetum autem

 per

per totum geſtationis tempus capite ſuo deorſum pendere, ſuadet capitis magnitudo et ratio ad reliquum corpus, obſeruationes, quae docent iam poſt 5. vel 6. menſem caput foetus exploranti digito occurrere, aliaeque obſeruationes variorum auctorum in cadaueribus grauidarum inſtitutae, tandemque abortus capite praeuio ſaepe ante ſeptimum menſem, iam facti ſaepiſſime vero foetum ab hac poſitione, quamdiu viuus et agilis eſt, deflectere, non leuia iterum dictitant argumenta. Nam primo in aqua amnios natat, et membra libere mouere foetus poteſt; deinde exploratio diuerſo tempore in eadem grauida inſtituta diuerſas quoque detegit foetus partes, vteri orificio adplicatas, cum ſitus capitis foetus nequaquam adeo fixus ſit, quin mutationi maxime obnoxius: porro abortus adeo diuerſo foetuum ſitu ſolent fieri, vt omnino determinatu difficillimum ſit, quaenam in abortubus pars ſaepius praeuia occurrat. Neque in grauidis diſſectis ſemper foetus ſitum ſupra indicatum obtinuit, vt circumuolutiones funis vmbilicalis et nodos inde ortos taceamus, qui ex circumuolutione foetus ſola originem ducunt.

p. 128. Caput octauum obſeruationem vteri in partu rupti, foetusque in abdomen prolapſi continet;

p. 139. nonum hiſtoriam partus naturalis a magno vaginae ſarcomate retardati, quod feliciter ſectione

p. 150. Cl. Auctor remouit. Decimum caput deſcribit extractionem foetus ex matre, periculoſiſſima haemorrhagia ob placentam praeuiam affecta; vndecimum

p. 163. partum difficilem ex ſitu vteri obliquo. Placenta in hac foemina in ſaccum peculiarem vteri incluſa erat, ab inaequali vteri conſtrictione ortum, quod vitium recentiorum nonnulli placentae incarcerationem dicere ſolent. Signum vitae foetus, quod ex motu eius, a matre ante breue tempus percepto, nonnulli ſumere ſolent, maxime fallax eſſe, haec obſerua-

ſeruatio probat. Licet enim mater in hoc caſu aſſeruiſſet, ſe hunc motum pridie adhuc obſeruaſſe, ſumma tamen foetus putredo docebat, eum iam antea demortuum fuiſſe. Caput duodecimum tradit historiam partus agrippini perdifficilis, ob capitis retentionem, factam a dura oſſis ſacri excreſcentia. Capite decimo tertio variae obſeruationes oſteologicae continentur. Eae praecipue ad oſſicula Wormiana ſpectant, quarum varietates plures hic deſcriptae et depictae ſunt. Reliqua ad luſus naturae in ſuturis capitis, ſinuum varietates, numerum vertebrarum et coſtarum auctum, coſtas in media ſua parte mobiles ſpectant. Capite decimo quarto varia experimenta, a Noſtro circa irritabilitatem et ſenſibilitatem inſtituta, traduntur. Eorum ſumma eſt, irritabilitatem reuera competere non ſolum partibus, in quibus fibrae muſculares rubrae reperiuntur, ſed et talibus, quae tenuioribus et vix conſpicuis fibris conſtant: duram matrem, tendines, pericranium et pleuram ſentire: animalia non ſemper praebere ſigna ſenſationis, quamuis partes manifeſta ſenſatione praeditae irritentur: vulnera durae matris tendinumque minime eſſe periculoſa, tandemque Cl. Auctorem fuiſſe poſt Cl. ZIMMERMANNUM primum, qui de ſenſibilitate partium experimenta inſtituerit. In vltimo capite additiones nonnullae, ad capita praecedentia referendae, continentur.

p. 177. p. 184. p. 208. p. 255.

XXVII.

FOLKERT SNIP, Med. Doct. Diſſertatio de Lithotomia ſiue calculi ſectione. Amſtelodami, apud I. Schreuder et P. Mortier, 1761. 8. pl. 5.

Breuiter Cl. Auctor diuerſas ſecandi calculum
p. 1. methodos enarrat. Primum caput de calculis, in diuerſis humani corporis partibus repertis, in vniuerſum inſcribitur, continetque plures ex diuerſis auctoribus collectas obſeruationes. Celeberrimum CAMPERVM reperiiſſe calculum neruo phrenico accretum, et in cadauere pueri quinque annorum gypſeam materiam in articulo cubiti et glandulis in-
p. 9. guinalibus, Noſter teſtatur. In ſecundo capite de calculo veſicae in ſpecie diſputatur, diuerſaeque auctorum de illius geneſi ſententiae enarrantur. Ca-
p. 14. pite tertio ſigna calculi exponuntur, quae omnia fallacia ſunt, ne ipſa quidem exploratione, quae per catheterem fit, excepta, qua, vti duae, a Cl. CAMPERO communicatae, obſeruationes docent, neque de calculi praeſentia, neque de eius figura et magnitudine,
p. 25. certum ferri iudicium poteſt. Quartum caput de
p. 27. calculi ſectione in vniuerſum, et quintum de apparatu paruo agit. Sexto capite de apparatu magno diſ-
p. 38. putatur, et ſeptimo de ſectione laterali in genere, in quo methodus fratris IACOBI, RAVII, CHE-
p. 46. SELDENII et LE DRAN enarrantur. In octauo apparatus altus traditur. Monet Cl. Auctor, eſſe caſus, in quibus peritonaei ſectio non admodum metuenda ſit. Vidit enim Cl. CAMPER virum, cu-
p. 49. ius veſica ſupra vmbilicum adſcendebat. Nono capite methodus fratris COSMI examinatur, atque vt incerta damnatur, cum nunquam inciſio exacte manubrio reſpondeat. Cum enim Cl. Auctor in-

ſtrumen-

ſtrumentum ad ſeptem lineas aperiret, in cadauere glandulam proſtatam non ſolum per medium fiſſam, ſed etiam veſicae partem poſteriorem laeſam eſſe deprehendit. In aliis laeſio nimis parua aut veſiculae ſeminales ſimul quoque laeſae erant. Magis p. 51. ei arridet methodus Cl. LE CAT, de quo capite decimo, atque vndecimo de methodo FOUBERTI, p. 54. exponit, cuius incommoda enarrat, tandemque capite duodecimo methodum THOMAE deſcribit, p. 57. quam FOUBERTIANAE praefert. Sequentia ca- p. 59. pita de impedimentis in operatione et extractione calculi, atque de calculi operatione in foeminis in- p. 61. ſcribuntur, quo loco etiam inſtrumenta, a Cl. LOUIS et FLURANT ad hanc operationem propoſita, breuiter indicantur. Vltimum tantum caput docet, p. 65. quae a Chirurgo, ſi calculus in vrethra haereat, facienda ſint.

XXVIII.

Die natürliche Hiſtorie des Eidervogels, beſchrieben von MORTEN THRANE BRVNNICHE. *Aus den Däniſchen überſezt, mit Kupfern. Copenhagen, bey I. G. Rothen,* 1763. 8. pl. 5. tab. aen. 3.

i. e.

Hiſtoria naturalis anatis molliſſimae, auctore MORTEN THRANE BRVNNICHE. Hafniae.

Cum hoc opuſculum ea lingua, qua primum ſcriptum eſt, ſcilicet Danica, ad noſtras manus non peruenerit, verſionem tantum germanicam hic indicare poſſumus. Traditur vero in illo hiſtoria na-

turalis illius *anatis*, quam LINNAEUS *molliſſimam*, WILLVGHBEVS et RAIUS *anatem Farnenſem* ſ. *S. Cuthberti*, Germani, *Eidervogel*, aliique ſeptemtrionales populi aequiſonis fere nominibus inſigniunt, cuiusque plumae, quae apud noſtrates *Eiderdunen* dicuntur, potiſſimum mercatura Danorum diuulgantur, ita vt illi ex hoc negotio inſigne lucrum
p. 8. capiant. Nomen *Aeder* vel *Eider* huic aui datum eſt, ex nutrimenti genere, quo vtitur, cum *Ada* in Is-
p. 17. landica lingua concham ſignificet. His expoſitis Cl. Auctor ad ſyſtematicum huius anatis nomen progreditur, qua in re Cl. LINNAEVS et Cl. BRISSON inter ſe differunt, cum LINNAEVS illam ad anates, BRISSON vero ad anſeres referat. Atque, vt hac de re eo melius lectores iudicare poſſint, deſcriptionem generis anatum Noſter exhibuit, cui deſcriptionem anatis molliſſimae ſumma cum cura elaboratam adiecit, atque ex harum comparatione docet, auem hanc ad anates omnino referri debere.
p. 23. Explicantur quoque varietates colorum, quae a ſexus differentia, aetate etc. pendent. Iam ad ipſam hi-
p. 36. ſtoriam naturalem accedit. Iuniores aues menſe Iunio et Iulio ex ouis excluduntur, incubatione 28 dierum. Foemellae iuniores pauciora oua, quam foemellae aetate iam aliquantum prouectae, ponunt. Mares ante tertium annum raro coëunt, et pulchrum, quo ſplendent, colorem plumarum ante quartum annum nunquam adipiſcuntur. Habitat haec auis in ſeptemtrionali mare ab inſula Spitzbergen dicta vsque ad inſulas maris Balthici. Migrationes non certo anni tempore, ſed pro lubitu et neceſſitate inſtituit. Per aeſtatem in littore habitat, per hiemem vero in mari commoratur. Mas cum vnica foemella tantum ſe conſociat, atque cum marium numerus foemellarum numerum multum ſuperet, plures mares de vna foemella inter ſe dimicant.

cant. Nidos exſtruunt in locis, a littore maris pau- p. 48.
lulum remotis, vbi muſci copia eſt, vel iuniperus
copioſe creſcit, materiam vero, ex qua nidos confi-
ciunt, praebent illius plumae, quibus pectus anatis
huius tegitur, quas foemina ſibi ipſa extrahit, atque
cum gramine et iunco miſcet. Tunc quinque ad
octo vsque oua ponit, illisque incubat, atque ſub
ipſa incubatione aliis plumis, ex corpore ſuo decer-
ptis, marginem nidi ita cingit, vt plumis fere tota
auis tegatur. Pullis excluſis mas foeminam dere-
linquit, quae cum pullis mare intrat. Si primus ni-
dus aut oua priora deſtruuntur, pauciora oua in
alium nidum ſecunda quoque et tertia vice anas po-
nit, et tum ? plumis omnibus excerptis foemina
interdum nuda fere eſt, ita vt mas plumarum de-
fectum ſuis ſupplere debeat. Conchyliis et piſci-
bus auis haec veſcitur, atque ad illos capiendos al-
tius ſubmergitur. Plumae, quibus auis haec nidum p. 58.
ſuum exſtruit, magna cum cura colliguntur, depu-
rantur et exſiccantur, quas operationes omnes No-
ſter hic fuſius deſcribit. Tabula aenea prima ma-
ris, ſecunda foeminae figuram vna cum nido et
pullo ſiſtit. In tertia caput et lingua maris deli-
neantur.

XXIX.

The Botaniſt's and Gardener's new Dictionary, containing the names, claſſes, orders, generic characters and ſpecific diſtinctions of the ſeveral plants cultivated in England, according to the Syſtem of LINNAEVS; directing the culture, deſcribing its ſingular virtues and uſes, and explaining the terms to botany and gardening; in which is alſo comprifed a gardeners calendar, directing the whole practice of gardening. And to which is prefixed an introduction to the LINNAEEN ſyſtem of botany. By JAMES WHEELER, London printed for W. Straham and W. Owen, 1763. 8. 1. Alph. 11. pl.

i. e.

Nouum lexicon botanicorum et hortulanorum, continens nomina, claſſes, ordines et characteres genericos atque ſpecificos variarum plantarum, quae in Anglia coluntur, ſecundum ſyſtema LINNAEI; in quo de cultura et vſu earum diſputatur, et vocabula, quae in botanica atque arte hortulanorum occurrunt, explicantur. Continetur quoque in eo calendarium in vſum hortulanorum, in quo tota ars illorum explicatur, atque praemiſſa eſt introductio in ſyſtema botanicum LINNAEI. Auctore J. WHEELER.

Quamquam, poſt Cl. MILLERI opus, lexicon, in quo hortulanorum labores explicantur, et de

de cultura ſpeciali ſingularum plantarum exponitur, ſuperfluum videri poteſt: praeſentis tamen libri Auctor, Cl. WHEELER, qui in Gloceſtrienſi Comitatu horticulturam exercet, in eadem re operam ſuam collocare haud dubitauit. Quodſi tamen verum dicendum eſt, nihil aliud videmus huic libro ineſſe, niſi compendium maiorum operum, in quibus de eodem argumento expoſitum eſt. Diſcrimen vero, quod inter hoc et Cl. MILLERI opus intercedit, inprimis in eo verſatur, quod Cl. WHEELER, vbique ſyſtema Linnaeanum ſecutus ſit, variaque hinc inde, inprimis quae ad explicationem vocabulorum botanicorum attinent, addiderit. Species plantarum, quae in hortis coluntur, nominibus Anglicis indicauit, quae tantum translationem nominum ſpecificorum Cl. LINNAEI, non autem, quibus vulgo appellantur, ſiſtunt. Operi quoque ipſi calendarium hortulanorum inſertum eſt, atque deſcriptionibus plantarum nonnunquam pauca de vſu medico et oeconomico eorum verba addita ſunt. Adiecta quoque eſt explicatio ſyſtematis LINNAEI. Multae tamen plantae in hoc Lexico fruſtra quaeruntur, ita vt, ſi verum fatendum ſit, nihil niſi minus, quo venditur hoc opus, pretium illud prae Milleriano commendare poſſit.

XXX.

Noua phyſico-medica.

Magna noſtra Saxonum eſt felicitas, quod ii, quorum imperio ſubiecti ſumus, non ſolum perclementer nos habeant et mitiſſimo vtantur imperio, ſed etiam omnes artes ſcientiasque, quarum

cultura regna fiunt quam florentiſſima, curae habeant, et quouis modo amplificare atque inter ſuos potiſſimum ciues diuulgare ſtudeant. Id pluribus quidem conſtat exemplis, ex quibus quorundam nos quoque his libris mentionem iniicere meminimus; nouo vero nunc confirmare hoc licet teſtimonio. Dum enim Sereniſſimus Noſter et Dilectiſſimus Dux FRIDERICVS AVGVSTVS, adiunctis ſibi itineris ſociis, Seren. matre ANTONIA et Patruo, XAVERIO, cuius prudenti regimine Saxonia nunc gubernatur, rerum videndarum cognoſcendarumque cauſa in montanum patriae tractum profectus, ipſe metallorum fodinas adibat et cuncta perquirebat, quae ad metallorum opificia pertinere videbantur, apparuit, multa peragi ritu opificum eorum, qui, cur rem ita agant, neſciunt, ſed coeco tantummodo vel penitus nullo conſilio in operibus maiorum ſequuntur exempla. Inde vero quum fiat, vt operae fere vbique nimis ſtricte recepto ſemel modo adhaereant, nec vnquam theoreticis rationibus ducti, vel forte in nouum operandi modum incidant, vel cogitando inueniant, nec alius modi periculum faciant, hinc nullo inuento laborum et ſumtuum compendio omnis ratio metallorum effodiendorum et ex mineris coquendorum, in qua metallicorum ſcientia poſita eſt, nunquam emendetur, facilitetur et fructuoſior euadat: conſilium captum eſt Academiae condendae, quae a metallorum et fodinarum cultura nomen gerat, et cuius duplex ſit ſcopus: alter, vt ii, qui ſe huic rei foueant, et quibus conſtitutum ſit in his opificiis vitam conſumere, phyſicis mathematicisque praeceptis inſtituantur, ne inpoſterum rudes et rerum faciendarum imperiti ad haec opificia accedant, ſed magis ratione, quam ſola experientia vel antiquo et vſitato modo vti diſcant: alter vero, vt ii, qui his in rebus altius nitantur, etiam quos ingenium

vel

vel ſanguis ad praeclarius vitae genus deſtinaſſe videatur, primis ſaltim imbuantur initiis et harum rerum penitius cognoſcendarum in iis excitetur deſiderium, cuius explendi in Academias delati vberiorem reperturi ſint opportunitatem. Condita eſt itaque haec Academia *Fribergae*, die 13 menſis nouembris 1765, cui regundae praeſunt FRIDERICVS ANTONIVS DE HEINITZ, Conſiliarius fiſci principalis et rerum metallicarum intimus, et FRIDERICVS GUIL. DE OPPELN, ſummus metallorum praefectus. Diſciplinae tradendae ita ſunt diſtributae, vt vero CHRIST. EHREGOTT GELLERT, ſummus curator officinarum, in quibus metalla excoquuntur, aucto, quod hactenus quotannis accepit, ſtipendio ducentis thaleris, chemiam metallurgicam doceat et praecepta theoretica in laboratorio chemico illuſtret confirmetque experimentis. Quae vero quum plures exigant ſumtus, atque, ne ii vel docenti vel diſcipulis moleſti eſſent, conceſſum eſt laboratorium, quod omnibus rebus neceſſariis exſtructiſſimum publicis ſumtibus conſeruatur. IOAN. FRIDERIC. GUIL. CHARPENTIER, Profeſſoris titulo ornatus, tradit eas diſciplinas, quae ad matheſin puram pertinent, iis vero diſcipulis, quos cognouerit his in diſciplinis multum profeciſſe, etiam partes matheſeos applicatae, mechanicam potiſſimum, aerometriam, hydroſtaticam, et ſimiles eſt expoſiturus; alios etiam artem figuras rerum ad optices regulas delineandi docebit, habita ſimul in omnibus his ea ratione, vt harum diſciplinarum vſus in metalli fodinis oſtendatur exemplisque illuſtretur. Annuum ipſi conſtitutum eſt praemium trecentorum thalerorum. Deinde magnus iam librorum metallicorum, mathematicorum, chemicorum, mineralogicorum, phyſicorum, oeconomicorum et eorum, qui ad omnem hiſtoriam ſpectant naturalem, collectus eſt

nume-

numerus. Congeſta etiam eſt magna copia minerarum, tum indigenarum, cum exterarum, in quibus disponendis duplex ſeruatur ordo: alter vt eae coniungantur, quae ex vno eodemque montano tractu aut regione aut fodina petitae ſunt, vt adeo apparatus minerarum ſingulae fodinae et montis quaſi in compendio appareat: in altero vero ordine magis ad artificialem et ſyſtematicam diſpoſitionem minerae collocantur, vt inde totius minerarum ſyſtematis idea quaedam exiſtat. Spectanda etiam proponuntur in hoc muſeo exempla machinationum ficta (*Modelle*), quae ad fodinarum et aliarum officinarum metallicarum culturam pertinent. Bibliothecae huic et muſeo praeeſt HIERON. GOTTFR. LOMMER, qui non ſolum ſtatis diebus et horis cuncta haec oſtendit, ſed etiam verboſius ſuper his rebus exponit. Laborum horum in gratiam annuo fruitur ſtipendio ducentorum thalerorum. Conſtitutus etiam eſt artifex, apud quem inſtrumenta et machinas conficere et diiudicare diſcant. Commoda igitur nunc facta eſt opportunitas, omnes eas res, quae fodinas et alias metallicorum officinas concernunt, non ſolum cito, ſed etiam ſcienter, et ad diſciplinarum, quae huc faciunt, regulas addiſcendi, et ſicuti omnes ii, qui vel iam operarum numero vel aliis officiis adſcripti ſunt, hoc beneficio gratis adficiuntur, ita aliis indigenis, quamuis ſe Saxonicis fodinarum opificiis addicere nolint, etiam exteris, licet hoc inſtituto vti, ea tamen lege, vt hi acceſſus veniam quaerant, et exiguam, quae conſtituta eſt et augeri nequit, mercedem ſoluant. Si qui vero eſſent, qui priuatos inter parietes ſimilem inſtitutionem quaerant, iis de mercede cum Profeſſoribus eſt agendum. In memoriam huius inſtituti nummus argenteus vncialis cuſus eſt, cuius facies altera imaginem FRIDERICI AVGVSTI, Sereniſſ. Conditoris, auerſa vero tres genios

nios exhibet, qui variis opificiis, quae apud fodinas peraguntur, ſunt occupati; cum hac epigraphe:
Zur Ermunterung des Fleiſſes
et infra lineam
Freybergiſche Bergakademie, ward geſtiſtet den 13. Nov. 1765.

Quanti ſit conſpicillorum vſus aeſtimandus, ii probe ſciunt, quibus hebeſcit oculorum acies, quum non ſolum amiſſae aciei locum teneant, ſed etiam hebeſcentem acuant. Haud indignum itaque ingenuo et phyſicarum rerum perito eſt ſtudium, quod in machinulis his emendandis perficiendisque ponitur. Hoc nomine magnam profecto laudem promereri nobis videtur ille Regiae Academiae Sc. Pariſinae ſocius, qui apud illam mille et ducentas libras gallicas (1200 *livres*) depoſuit ea conditione, vt numerentur ei, qui ex Academiae ſententia omnium optime propoſitam rem ſit expoſiturus. Scilicet quaeritur, num materia ſit aliqua, ad conſpicilla conficienda apta, quae vel eandem habeat refractionis vim, quae in cryſtallo Anglica, aut in ſic dicta *Stras*, deprehenditur. Biſmuthi aut aliorum metallorum calces forte vtilius ad hanc rem adhiberi poſſent et ſubſtitui plumbi calci, a qua vitrum lucis radios refringendi vim accipit; 2) quae puriſſima ſit ab omnibus ſtriis, filamentis et aliis maculis, a quibus lux turbatur et gelatinae ſimilis color oriri ſolet, quae habeat ſuauem, in omnibus partibus aequalem et ſummam pelluciditatem, quae candida ſit, aut tenuiſſimo ſaltem et per omnem maſſam aequabili colore, nec, quantum fieri poſſit, vllis granulis et bullis intercepta; 3) cuius color nunquam euaneſcat, nec pelluciditas et politura aeris appulſu pereat; 4) quae, praeterea ſumma ſit duritie, vt arte quam politiſſima fieri poſſit, nec, dum fricatur, rimu-

las

las agat aut ſcabra fiat. Quod ſi inuenta materies non antecelleret cryſtallo Anglicae, praeferetur illi, quod eius praeparatio minus exigit laboris, temporis et ſumtuum. Omnes, qui hoc praemium aſſequi cupiunt, rogantur, vt, praeter apte et clare deſcriptum modum has cryſtallos praeparandi, ſimul quaedam earum fragmenta eaque tanta mittant ad Academiam, vt ex iis confici poſſint conſpicilla diametri ſex ſeptemque pollicum. Quibuslibet, literatis aeque ac artificibus, etiam exteris Academiae Sociis ad hoc praemium licet niti. Cuiuslibet quoque arbitrio relictum eſt, in deſcriptione vti lingua, quaecunque ipſi libuerit. Qui vero conſcripti fuerint de hac re commentarii ante calendas ianuarias anni 1768 ad perpetuum Academiae Secretarium ſunt mittendi. Tardius qui eos mittat, a iure praemii reportandi eſt excluſus; quod vero qui reportauerit, poſt feſtum Paſchatos demum Academia eſt declaratura.

Gottingae die 6. menſis decembris anni 1766, quae ibidem floret, Regia Scientiarum Societas celebrauit conuentum, in quo, praeter alias res, de iis quaeſtionibus egit, quas eruditis promiſſo praemio iam diu disquirendas propoſuerat *). Altera et phyſica quaeſtio attingebat ortum nouarum ſpecierum vel varietatum plantarum. Quum enim conſtet, ex commixtione vel artificioſa vel fortuita diuerſorum plantarum generum oriri interdum plantas, quae ad nullas, hactenus cognitas, ſpecies referri poſſent, poſtulatum erat, vt haec res experimentis confirmaretur et leges eruerentur, quas hae varietates ſequantur. Attamen ne vnum quidem de hac re Societas accepit ſcriptum.

In

*) Comment. h. Vol. XIII. p. 165.

In altera et oeconomica quaeſtione noua exigebatur materies, quae luteo tingat colore aeque conſtanti, ac ex iſatide et rubia tinctorum optima ſolet oriri. *) Etiam in hanc rem vnus tantum, ita tamen inueſtigauit, vt a Societate praemio dignus cenſeretur. Reſignata ſchedula, quae ſcriptioni adiecta erat, nomen continebat NICOLAI KVLENKAMP, qui *Bremae* olim tinctoriam exercuit artem, et bina iam alio tempore ob ſimiles quaeſtiones a Societate accepit praemia.

Nouam porro quaeſtionem oeconomici argumenti *Eadem* Societas in hunc annum propoſuit, quam vero explanatam et deſcriptam ante menſem ſeptembrem huius ipſiusque anni expectat. Multum haec conuenit cum ea, quae iam bis et duplicato praemio ab Academia ſcientiarum Diuionenſi propoſita eſt **). Quaeritur nimirum, *num omnino vtile ſit, alternis annis in eodem agro diuerſa ſerere genera frumenti, farris ſcilicet, tritici et hordei, quorum cultura et natura ſimiles ſuccos ad incrementum exigunt*?

Ab *Eadem* Societate iam ab initio anni 1766, praeter alios quosdam viros, in ſociorum numerum receptus eſt IOANNES PRINGLE, Med. Doctor et Regis Britanniae Archiater; atque paullo poſt BENIAMIN FRANKLIN, Eq. qui, diu in Americae Penſyluania commoratus, electricis potiſſimum experimentis inter eruditos inclaruit. Praeterea Eadem Societas DANIELEM PETRVM LAYARD, Med. Doctorem et Archiatrum Sereniſſimae Viduae Principis Walliae, inter eos retulit, quibuscum Academia epiſtolarum habet mutuum officium.

Regiae

*) Comment. h. Vol. XII. p. 562.
**) Comment. h. Vol. XIII. p. 161.

Regia *Londinenſis* ſcientiarum Societas quotannis ſtato die noui praeſidis ſecretariorumque eligendorum cauſſa ſolet conuenire. Plerumque vero euenit, vt priſtini nouis tantummodo ſuffragiis confirmentur. Nuper itaque in conuentu, ipſis calendis decembris 1766 celebrato, Illuſtri Comiti DE MORTON denuo Praeſidis munus, quod poſt obitum Illuſtr. MACCLESFIELD iam ſuſtinuit, traditum eſt. CAROLVS MORTON et MATTH. MATY, Doctores Medicinae, Secretarii muneri, quo huc vsque cum laude functi ſunt, inpoſterum manent admoti. GVILIELM BROWNRIGG, Med. Doctor, in Portu albo habitans, et HENRICVS CAVENDISH in gratiam vtilium experimentorum, quae cum Academia communicarunt, quilibet praemio i. e. moneta aurea, eſt ornatus.

Academia ſcientiarum *Diuionenſis* hactenus ſolita eſt quaeſtionibus, a ſe propoſitis, praemium ſtatuere trecentarum pondo Gallicarum (300 *livres*). Hoc vero nunc auctum eſt inſigni munificentia Illuſtr. Marchionis DU TERRAIL, caſtrorum et militiae Praefecti et qui *Veriduni* Regii Legati obtinet locum, ſociisque huius Academiae Exteris et Honorariis annumeratur. Is enim ex praeclaro amore, quo literas et patriam proſequitur, Academiae dono dedit decem millia librarum Gallicarum eo animo, vt ex earum vſuris ſingula quotannis praemia centum adiectis pecuniarum libris Gallicis augerentur. Hinc Cl. MARET, qui Academiae eſt ab epiſtolis, illius nomine notum fecit: hoc praemii augmento eum iam eſſe fruiturum, qui reportauerit praemium, quod disquiſitioni remediorum antiſepticorum *) eſt propoſitum.

Flo-

*) Vid. Comment. h. Vol. XIII. p. 163.

Florentiis anno 1766 varii chirurgi et pharmacopoei, vt artes ſuas coniunctis viribus amplificarent, in ſocietatem conuenerunt, et noua inde conſtituta eſt Academia, quae, quod ſponte ſua ſine ſuperiorum imperio aut conſilio orta eſt, nomen ſibi ipſa impoſuit *Academia degli Spontanei.* FRANCISC. BUONSOLAZZO et CLODOALDO FUGAZZO principes illius auctores ſunt et conditores; ſociorum vero numerus ita iam auctus eſt, vt nunc triginta numerentur. Exteri etiam membrorum honorariorum ſub dignitate in ſocietatem hanc recipiuntur.

Petropolitanae Societatis oeconomicae ortum alio loco *) narrauimus, nunc addendum nobis eſt, ad illam noua membra acceſſiſſe. Etenim ei ſe adiunxerunt 1) IACOB. STEHLIN, Imperii ſtatus Conſiliarius, ſcient. Acad. Imperial. Socius et Secretarius perpetuus, 2) F. V. TH. AEPINVS, Collegiorum Conſiliarius, Sc. Imp. Ac. Socius, 3. 4) EVLERI, LEONHARDVS pater, Mathematum, et ALBERTVS, filius, Phyſices Profeſſor, 5) FRIDERIC. MÜLLER, Collegiorum Conſiliarius, Moſcouiae nunc viuens.

Praeterea *Petropoli* accepimus, Auguſtiſſimam Imperatricem numerum medicorum aulicorum auxiſſe et hoc munere ornaſſe 1) NORTH VIGOR, annuo ſimul promiſſo ſtipendio mille et quingentorum nummorum Ruſſicorum vncialium. Hic quatuordecim ante annos iam munere medici caſtrenſis apud exercitum Ruſſicum eſt functus, quo vero

*) Comment. h. Vol. XIII. p. 151.

vero poſtea ſe abdicauit Angliam profectus, vbi tam diu commoratus eſt, donec hoc ipſo anno huc acceſſeretur; 2) PAVLVM GYÖNGYÖSSI *a Petteny*, antea medicum ordinarium cohortis iuuenum nobilium, qui ad militiam naualem inſtituuntur; 3) CAROLVM EVLERVM, filium et fratrem EVLERORVM, quos modo nominauimus. Vtrique per annum conſtituti ſunt mille nummi vnciales Ruſſici.

Helmſtadii nuper munus Profeſſoris Medicinae Ordinarii Viro Cl. GVILIELMO FRIDERICO CAPPEL, Medicinae Doctori, demandatum eſſe, legimus relatum.

Magna, qua pollet Vir Cl. HERMANNVS SCHÜTZE, Archiater Regius, in arte ſalutari peritia confiſus, Sereniſſimus Princeps, ADOLPHVS, in ſpem regni Suecici genitus, curam ſanitatis ſuae tuendae ei clementiſſime tradidit et Archiatrum ſuum Ordinarium declarauit.

Vt quouis modo ſcientia vegetabilium amplificaretur, Potentiſſ. Britanniae Rex, GEORGIVS III, miſit IOANNEM BARTRAAM in quasdam Americae prouincias, Philadelphiam et Meridionalem Carolinam, vnde iter in Floridam dirigere, et praecipuas, quae his in terris proueniunt, plantas colligere iuſſus eſt et deſignare.

Haud diu eſt, quum *Holmiae* diem ſupremum obiit Vir Cl. CAROLVS CLERK, Regiae Scient. Societatis Vpſalienſis ſocius. Singulari inclaruit ſtudio et diligentia, qua aranearum hiſtoriam natura-

lem

lem eſt perſcrutatus, quam variis etiam ſcriptis locupletauit *).

Dum haec ſcribimus, grauiſſimum nobis infertur vulnus triſtiſſimo nuntio mortis coniunctiſſimi nobis amici, FRANCISCI BOISSIER DE SAUVAGES, Regii Conſiliarii ac Medici, in Vniuerſitate Monſpelienſi Medicinae et olim Botanices Profeſſoris Regii, Acadd. Scient. Caeſareae Naturae Curioſorum, Londinenſis, Monſpelienſis, Vpſalienſis, Berolinenſis, Florentinae et Inſtituti Bononienſis Socii, Viri de ſcientia medica aeque ac omni naturali meritiſſimi, qui Monſpelii rebus naturalibus nuper modo, die vndeuigeſimo menſ. februarii 1767 ereptus eſt, aetatis annum agens ſexageſimum primum. Vetuſta non ſolum et officioſa amicitia, quae inter nos culta eſt, ſed etiam meritorum viri huius excellentia nos impellunt, vt eius memoria et a nobis quam ſanctiſſime colatur. Si itaque, quod ſperamus, vitae huius praecipua momenta a cognatis acceperimus, ſtatim hunc noſtrum librum eius memoria adornabimus, illamque, etiamſi hoc auxilio non indigeat, ad ſeram propagare ſtudebimus poſteritatem.

Nec minore moeſtitia nos afflictos ſentimus obitu viri, meritorum fama clari, IOANNIS GOTTLOB LEHMANN, Ruſſicae Imperatricis a Conſiliis aulicis, Imperialis Academiae Scient. Petropolitanae Membri et Chemiae Profeſſoris, Acad. Berolinenſis et Moguntinae Socii. In nouarum rerum ephemeridibus quam plurimis narratum eſt, miſero illum et funeſto caſu, dum vas aliquod chemicum, quod arſenicum continebat, igne, cui impo-

 ſitum

*) Comment. h. Vol. IX. p. 535. ſeqq.

ſitum erat, diſploderetur, vita eſſe priuatum; ex litteris vero, quas Vidua ad amicum miſit, cognouimus, eum febri bilioſa obiiſſe die vigeſimo menſis februarii.

Operis ornithologici, quod *Florentiis* adornari coepit, et quod alibi *) indicauimus, ita iam primi Voluminis maxima pars edita eſt, vt tabularum octoginta quatuor acceperimus, reliquas ad hoc volumen primum pertinentes, erunt autem earum centum et viginti, cum hiſtoria nunc etiam abſolutas eſſe ſperamus, cum ipſis calendis martii huius anni totum volumen prodire debuerit. In iis, quas ad manus habemus, tabulis potiſſimum eminent aquilae octo, vultures ſeptem, accipitres et falcones triginta nouem, lanii decem et ſeptem, manucodiatae ſiue paradiſaeae ſex, cuculi quatuordecim, bubones quatuor. Delineatae et viuis, naturam imitantibus, coloribus depinguntur, quas tamen non omnes perinde nitidas inuenimus, aliquas etiam ſic delineatas, vt ab exſiccatis exemplis ectypa formata eſſe, protinus appareat. In edendo hoc libro aliqua nunc mutata ſunt, quae, quo minus praetereamus, iubet aliis inſeruiendi deſiderium. Quum enim procuratore quodam Florentiis opus eſſet iis, qui ſibi hoc opus comparare volebant, nunc in ſocietatem adſumti ſunt varii, in variis locis collectores, praecipue bibliopolae celebrium ciuitatum, penes quos ſua nomina profiteri, pecuniam ſoluere, atque edita deinde exempla habere poſſint operis huius patroni. Erit autem pretium duodecim tabularum (*lire* 9.) et illi, qui ſubſcriptos colligendi onus in ſe ſuſcipiunt, habebunt lucri

*) Comment. noſtr. Vol. XII. P. III. p. 568.

lucri loco decimam partem, ſi centum ſoluerint, vel, qui decem ſubſcriptos collegerit, exemplar vnum gratis accipiet. Notamus denuo, omnium auium deſcriptionem latinam atque italicam dari, forma chartae imperiali, titulo variis, in aes inciſis, ornamentis coruſcante. Diſſertationes ad hanc ſcientiam ſpectabunt, ſyſtemata huc ſpectantia et cognita delineabuntur, addetur etiam bibliotheca ornithologica, vltimoque tomo adiicientur neceſſarii indices. Tabulae ipſae ſingulis ſociis, vt exempla iam edita docent, nuncupantur, nomen et honoris titulos complexurae. Ne de ipſius operis vlteriore editione quisquam dubitet, affirmant editores, totum fere opus iam abſolutum eſſe. Sunt autem qui edunt Cl. D. XAVERIVS MANETTI, in explicatione et deſcriptione tabularum occupatus, et Abbas Cl. LAVRENTIVS DE LAVRENTIIS, nec non egregia VIOLANTE VANNI in delineandis, in aes incidendis pingendisque tabulis, nec non addendis ornamentis, ſtudium ſuum adhibentes. Hic Lipſiae in officina libraria *Io. Friderici Gleditſchii* collectio ſubſcribentium inſtituetur.

XXXI.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1762 prodierunt.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollanſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. Zesde Deels tweede Stuck. Te Haarlem, 8. c. tab. aen.

Deſcriptions des Arts et Metiers faites ou approuvées par Meſſieurs de l'Academie Royale des Sciences: Ardoiſes, Cirier, Parchemin, Cuir doré, ou Argenté, à Paris, fol. mai. c. tab. aen.

Diſſertationum experimentalium ex Comment. Acad. Imperial. Petropol. excerptarum Tomus I. acc. diſp. experimentalis *de electricitatis theoria et vſu*, quam defendit Ill. ANTONIVS L. B. PONGRACZ DE SZ. MIKLOS ET OVAR, anno 1762. Vindobonae, 4. c. tab. aen. (*Auctor huius diſſertationis eſt* FVLGENTIVS BAVER, *Phyſ. Prof. Vindobonenſis.*)

Produzioni naturali, che ſi ritrovanni in Ravenna, metodicamente diſporte, e con Annotazioni illuſtrate. in Lucca. 4. c. tab. aen.

Spectacle de la Nature. Nouvelle Edition. Tome I-IX. à Paris, 12. av. fig. Voll. 8.

Tre Conſulti, fatti in difeſa dell' Ineſto del Vajuolo da tre Dott. Teologhi Toſcani viventi, e dedicati dall' editore all' Eminent. Principe, il Sign. Cardinale IGNAZIO MICHELE CRIVELLI, Legato di Romagna etc. In Milano, 4. mai. (*Auctore* Cl. GIOVANNI CALVI).

Ars medendi, ſiue doſes et vires medicamentorum omnium, tam galenicorum, quam chimicorum, in pharmacopoeia Collegii regalis medicorum Londinenſis, impreſſa 1746, ordine alphabetico exaratae atque indice morborum accommodatae; cura et opera medici in Comitatu Staffordiae. Londini.

Vterus duplex in muliere defuncta nuper detectus et obſeruationibus illuſtratus ab O. AGREL, M. D. Holmiae, 8. mai. c. tab. aen.

IO. GUIL. BAUMER diſp. inaug. de mali hyſterici vera indole et curatione. Reſp. *Io. Chriſt. Frid. Gottſchalk.* Erfordiae, 4.

GODOFR. CHRISTOPH. BEIREIS diſp. inaug. de paralyſi grauiſſima femorum crurumque ſanata. Reſp. *Io. Philip. Duroi.* Helmſtadii, 4.

SANTO BENETTI, L'accorto fattor di villa, o ſia oſſervazioni per il governo della campagna, colla maniera di coltivare gli alberi da frutto; ſeconda Edizione accreſciuta. in Venezia, 8.

IO. HEINR. WILH. BERGII *Cameraliſtenbibliothek, oder vollſtändiges Verzeichniß dererjenigen Bücher und Schriften, welche von dem Oeconomie-Policey-Finanz-und Cameralweſen handeln. Nürnberg,* 8.

HERRMANNI BOERHAAVE materia medica. Lugd. Bat. 8.

-- BONIS de hydropoſia, ſiue de potu aquae. Venetiis, 4.

CORN. CELSVS et SER. SAMMONICVS, cum notis variorum, MORGAGNI epiſtolis, et FACCIOLATI obſeruationibus. ibid. 8.

Nouvelles obſervations theoriques ſur la Goutte, avec le detail des plantes, etc. qui forment le remede ſpecifique, calmant la goutte; par Mr. CHARY DE MONGERBET. à Paris, 8.

STEPH. COMPSTAFF diſp. de criſibus et diebus criticis. Florentiae.

IO. HENR. CRÜWEL diſp. inaug. de ignis analyſi ac poteſtate in corpus humanum. Lugd. Bat. 4.

Diſſertation ſur l'uſage de boire à la glace, par Mr. D. D***. à Paris.

IO. PETR. EBERHARD diſp. inaug. de aequilibrio virium in corpore humano. Reſp. *Io. Emman. Rothart.* Halae, 4.

CAR. LVDW. DE L'ESTOCQ de regimine feminis honoratioribus praeſcribendo. Serueſtae.

ANT. NIC. HAAG, diſp. inaug. de hydrophobia. Argent. 4.

IO. SAM. HALLENS *Werkſtäte der heutigen Künſte, oder die neue Kunſthiſtorie. Mit Kupfern und Vignetten. Zweyter Band. Brandenburg und Leipzig*, 4.

FRIDR. WILH. HASTFERS *Goldgrube in Verbeſſerung der Schaafszucht, nebſt einem Rath gegen die Schaafspocken; auch einigen Anmerkungen des* LINNAEVS *hierüber. Bern*, 8. *m. K.*

Commentatio epiſtolica, qua Muſei diſputatorii phyſico-medici aeſtimatoribus ac promotoribus, etc. grates perſoluit, atque vlteriorem ſusceptorum ſuorum rationem exponit D. IO. CAR. HEFFTER. Zittauiae et Lipſiae, 4.

LAVRENT. HEISTERI compendium medicinae practicae. Venetiis, 8.

Iſtoria della medicina, della ſua origine fino a noſtri tempi, trad. dall' Angleſe di Sign. IAMES, coll' aggiunta di due copioſi Indici degli Autori, e delle materie. in Venezia, 8.

Demonſtratio vteri praegnantis mulieris, cum foetu ad partum maturi, in tabulis ſex ad naturae magnitudinem poſt diſſectionem depictis, et ea methodo diſpoſitis, vt huius ſtatus grauidi amplam ob oculos ideam collocet, cum explicatione, cura et ſtudio CAR. NIC. IENTY. A. M. et Chir. Prof. ad exemplar Londinenſe translata, a D. CASIM. CHRISTOPH. SCHMIDEL, in aes inciſa et excuſa ab I. M. SELIGMANN. Norimbergae, fol. reg.

WENCESL. LANGSVERT diſp. de cauſa rubedinis in ſanguine humano. Pragae, 8.

NIC.

NIC. LEMERY Farmacopea vniverſale, che contiene tutte le compoſizioni, che ſono in vſo nella medicina. in Venezia, fol.

P. D. LONGOLII Progr. de charta indubie lintea hactenus notis antiquiore. Curiae Variſc. 4.

Lettres ſur la certitude de ſignes de la mort, avec des obſervations ſur les noyés, par Mr. LOUIS, à Paris, 12.

IO. CHRIST. MATERNI diſp. de motu humorum progreſſiuo, veteribus non ignoto. Reſp. *Frid. With. Petr. Fabricius.* Altenauiae, 4.

The medical Works of RICHARD MEAD. London, 4.

IO. BAPT. MORGAGNI Epiſtolae anatomicae decem et octo, ad ſcripta pertinentes celeberrimi Viri ANT. MARIAE VALSALVAE. Venetiis, fol.

Eiuſd. de ſedibus et cauſis morborum, cum opuſculis et epiſtola miſcellanea. Voll. 8. Neapoli, 4.

BERNH NAVMANNS *Leipziger Roſſarzt, 8.*

ANDR. NVNN Progr. de delirio hyſterico. Erfordiae, 4.

Bibliotheque choiſie de medecine, tirée des ouvrages periodiques, tant françois, qu' etrangeres, avec pluſieurs pieçes rares, et des remarques utiles et curieuſes, avec un très grand nombre des figures gravées en taille douce, par Mr. PLANQVE, Tome VII. à Paris, 4.

Eſſai ſur les affections vaporeuſes de deux ſexes, contenant une nouvelle methode de traiter ces maladies, fondée ſur des obſervations; par Mr. POMME le fils. à Paris, 12.

Flora Eſpannola ó Hiſtoria de las Plantas, que ſe creaci en Eſpanna, ſu Auctor D. IOSEPH QVER. Vol. III. En Madrit, 4. c. tab. aen. 79.

Traité des maladies, qu'il eſt dangereux de guerir, ouvrage utile et neceſſaire aux Medecins et Perſonnes, ſuiettes à des incommodités habituelles; avec dix obſervations nouvelles et intereſſantes; par Mr. DOMINIQVE RAYMOND. etc. à Avignon.

Topographia Orenburgskaja, etc. i. e. *Umſtändliche Beſchreibung des Gouvernements Orenburg; verfaſſet vom Herrn* PETER RYTSCHKOV; *I und II Theil. St. Petersburg.* 8. *in lingua Ruſſica.* (multa continet ex hiſtoria naturali).

BENIAMIN STILLINGFLEET's Miſcellaneous Tracts, relating to Natural Hiſtory, Huſbandry and Phyſik. London, 8.

THEOD. GER. TIMMERMANN diſp. inaug. de inflammatione vteri cum ſubiuncta obſeruatione de vteri ſarcomate. Reſp. *Chriſtoph. Henr. Böttger.* Rintelii, 4. c. tab. aen.

Memoires pour ſervir à l' hiſtoire des eaux de Teplitz, par Mr. TROSCHEL. à Dresde.

(Eiusdem) *Allgemeine Nachricht von den verſchiedenen Mineralwaſſern, Salzen, Pulver und Balſam der Biliner Gegend. Leutmeritz, fol.*

(Eiusdem) *Töplitzer Nachricht von der daſigen Einrichtung mit den mineraliſchen Waſſern, Salzen, Pulvern und andern Producten, welche aus der Nachbarſchaft und dem Orte alhier vorfündig, und mit, auch ohne Badecur gebraucht werden können; zum Behuf der Fremden. ibid. fol.*

IAC. WEPFERI Hiſtoriae apoplecticorum, obſervationibus et ſcholiis anatomicis medicis quam plurimis elaboratae et illuſtratae, vna cum epiſtola IO. OTT, de ſcriptis HOLDARI de elementis ſermonis, et MORLANDI de Stentophonia; acceſſe-

ceſſerunt obſeruationes circa apoplexiam, vt et BERNARDI HVCTAE curatio maniae. Venetiis, 8.

XXXII.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763 prodierunt.

Allgemeines œconomiſches Forſtmagazin, in welchem allerhand nützliche Beobachtungen, Vorſchläge und Verſuche über die wirthſchaftliche Policey und Cameralgegenſtände des ſämtlichen Wald-Forſt- und Holzweſens enthalten ſind; geſammlet von einer Geſellſchaft, deren ordentliches Geſchäfte iſt, Waldungen zu gewinnen, zu benutzen und zu erhalten. I und IIter Band. Frankfurth und Leipzig, 8. (Auctore IOH. FRID. STAHL.)

Gemeinnütziges Natur und Kunſtmagazin, oder Abhandlungen zur Beförderung der Naturkunde, der Künſte, Manufacturen und Fabriquen. Iſter Theil. Berlin, 8.

Sammlung auserleſener Wahrnehmungen aus der Arzneywiſſenſchaft, Wundarzney und Apotheckerkunſt. 7der Band. Strasburg, 8.

Dictionnaire domeſtique portatif, concernant toutes les connoiſſances relatives à l'Oeconomie domeſtique et rurale, où l'on detaille les differentes branches de l'agriculture; la maniere de ſoigner les chevaux; celle de nourrir et de conſerver toute ſorte de beſtiaux; celle d'elever les abeilles, les vers à ſoie, et dans laquelle on trouve les inſtructions neceſſaires ſur la chaſſe, la peche, les arts, le commerce, la procedure, l'office, la cuiſine,

ſine, etc. par une Societé de Gens des lettres. Tome ſeconde à Paris, 8.

Die Schwäbiſche Köchin, welche alle Arten von Koch- und Backwerk auf das beſte zuzurichten lehrt. Frankfurth, 8.

Der juriſtiſche und mediciniſche Charlatan. 8.

Gebrauch der Berg- und Wünſchelruthe. 8.

Gedanken von der Erfindung des Bergwerks zu Freyberg. Chemnitz, 8.

Traité des fievres malignes et pourprées. à Montpellier, 8.

Defenſe de la doctrine des combinaiſons, et refutation du dixieme Memoire des opuſcules de Mr. D'ALEMBERT, avec deux lettres au même, l'une ſur la diſſertation, lue dans l'Acad. des Scienc. pour prouver, qu' on ne peut ſoûmettre l'inoculation au calcule des probabilités; et l'autre ſur un article du Dictionnaire de l'Encyclopedie au mot *de Croix* et *Pile*. à Paris. (Auctor eſt Cl. DE LA RVDELIERE).

Lettre à M** contre l'Inoculation, qui combat le Memoire hiſtorique de M. DE LA CONDAMINE, lû à l'Acad. Roy. des Sciences, ſur l'Inſertion de la petite verole, dans la quelle ſont inſerés des principes pour la connoiſſance et la gueriſon de cette maladie. à Nancy et à Paris, 12.

Eſſai ſur la Iuriſprudence de la Medecine. à Paris, 12.

Pſychologia, ſiue motuum animalium et reciprocorum machinae animalis, theoria medica, omnes humanos actus autoptica et facili, quamuis hactenus inaudita, methodo explanans, Auctore A.

R. P.

R. P. PAVLO MARIA ASTENSI, Ord. Capuc. Phil. et Med. Doct. Venetiis.

GVST. CHRONANDER Afhandling, om Luftens formaga at medelſt blaſors utvidgande lyfta tyngder. Reſp. *Io. Garlovius.* Abo, 4.

D. G. I. GLADBACHS *Beſchreibung von den Krankheiten, die von der Kleidung entſpringen. Frankfurth*, 8.

D. GEORG FRIEDRICH GVTERMANN *Aechte Endbindungskunſt, worinnen der Miſsbrauch ſtumpfer und ſcharfer Inſtrumenten gemiſsbilliget, hingegen durch practiſche Erzehlungen gezeiget wird, daſs öfters bloſs durch eine geſchickte Wendung die Kinder und Mutter bey Leben erhalten werden können. Oder zweyte Auflage ſeiner Bedenken über mancherley verunglückte Geburten. Zwey Theile. Frankfurth und Leipzig*, 8.

FRANCISC. GOTTHOLD HARTWIG Epiſt. de vſu ſcientiae medicae in theologicis. Lipſiae, 4.

LVD. HENR. LEO HILCHEN diſp. inaug. de vulnerum in inteſtinis lethalitate. Reſp. *Frider. Ludou. Nitſch.* Gieſſae, 4.

TJEMKE HARING KNODSEN diſp. inaug. de pleuritide vera. Lugd. Batau. 4.

L. P. KRAVSENS *kluger und ſorgfältiger Gärtner, oder nützliches Handbuch für die Liebhaber eines wohl eingerichteten Luſt- Küchen - und Baumgartens. Langenſalza*, 8 *m. K.*

IO. MAAS diſp. inaug. de hydrope, Trai. ad Rhen. 4.

GERARD NITERT diſp. inaug. de peripneumonia vera. Lugd. Bat. 4.

GERARD. ALBERT NOORTWYK diſp. inaug. de organis reſpirationis, eorumque vſu. ib. 4.

THI-

THIMOTH. CHRIST. OVERKAMP breuis commentatio in quaeſtionem: an aer elaſticus ope reſpirationis ſanguini per pulmones tranſeunti admiſceatur? Gryphiswaldiae, 4.

ANDR. VAN RIEBEEK disp. inaug. de ſaliua. Lugd. Bat. 4.

GEORG ROTHENS *kurzer Begriff der Naturlehre. Görlitz*, 8.

RAPH. BENEVENT. SABATIER Theſes anatomicae et chirurgicae (*de encephalocele ſeu hernia cerebri*). Reſp. *Io. Bapt. Guil. Ferrand.* Pariſiis, 4.

EDVARD SANDIFORT disp. inaug. de pelui, eiusque in partu dilatatione. Lugd. Batau. 4.

IAC. WHITE disp. inaug. de rheumatiſmo. ib. 4.

CORNEL. YSERMANS disp. inaug. de veſica vrinaria eiusque vlcere. ib. 4.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Hiſtoire et Memoires de l'Acad. Roy. des Sciences à Paris; Année 1761 p. 3
II. Della Preſervazione della Salute de Letterati: di G. A. PVJATI 22
III. Memoires ſur les ſignes du Suicide et de l'Aſſaſſinat; par M. LOUIS 26
IV. IEDERMÜLLERS *Nachleſe ſeiner mikroſcopiſchen Gemüths- und Augenergötzungen* 29
V. The Vegetable Syſtem by JOHN HILL, Vol. V. VI. 34
VI. BROCKLESBY'S Oeconomical and Medical Obſervations etc. 43
VII. MONRO'S Account of the Diſeaſes in the Britiſh Military Hoſpitals etc. 50
VIII. PRINGLE'S Diſeaſes of the Army. The 5. edition 56
IX. FR. HOME principia medicinae 65
X. Diſſ. epiſt. di ANT. LIZZARI l'operazione detta paracenteſi nell' idropiſie etc. 69
XI. Journal de Medecine par Mr. ROUX. Tom. XIX. XX. 72
XII. GOUAN Flora Monspelienſis 95
XIII. WHYTT'S Obſervations of Nervous Diſorders etc. 100
XIV. Voyage à la Martinique 115
XV. Traité des Maladies les plus frequentes à Surinam, par PH. FERMIN 119
XVI. ROVPPE de morbis nauigantium 122
XVII. Noui Commentarii Ac. Sc. Imp. Petropolitanae. Tom. IX. 128
XVIII. A. SEBAE theſaurus rerum naturalium. Tom. IV. 132
XIX. GRANTZ materia medica 135

XX. Mu-

XX. Muſeum LVD. VLRICAE, Reginae et ADOLPHI FRIDERICI, Regis Sueciae, editum a LINNAEO. Tom. I. II. p. 139
XXI. BAKER de catarrho et dyſenteria Londinenſi 141
XXII. HAVSMANN Diſſ. acidularum Sulzbacenſium hiſtoria 146
XXIII. SIGWART Diſſ. Cyſtotomia lateralis Moreauiana etc. 150
XXIV. FRACASSINI Opuſcula Phyſiologico-Pathologica 152
XXV. IOAN. A BONA de Scorbuto 154
XXVI. V. DOEVEREN ſpecimen obſeruationum academicarum 159
XXVII. SNIP Diſſ. de Lithotomia 164
XXVIII. BRÜNNICHEN *Hiſtorie des Eidervogels* 165
XXIX. WHEELERS Botaniſt's and Gardener's new Dictionary 168
XXX. Noua phyſico-medica 169
XXXI. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1762 prodierunt 181
XXXII. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1763 prodierunt 187

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XIV. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXVII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud
Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1764. Vol. XXV. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Tryckte i Stockholm hos Direct. Lars Salvius, på deſs egen koſtnad, 1764. 8. pl. 27½ tab. aen. IX.

i. e.

Acta Academiae Regiae ſcientiarum Suecicae ad annum 1764. Vol. XXV.

Trimeſtre primum.

1) *Solis eclipſin* d. 17. Octobr. 1762. micrometro obiectiuo teleſcopio catadioptrico applicato Vpſaliae obſeruauit FRID. MALLET. p. 1.

2) *Phalaenam exiguam apibus infeſtam* deſcribit CAR. M. BLOM. Haec a mellonella vulgo nota differt, et obiter ex REAUMURIO nominatur in LINNAEI ſyſt. nat. Tom. I. p. 537. in nota ad mellonellam. Pertinet ad tortrices; alas habet ſuperiores caneſcenti fuliginoſas, aream dorſalem ferrugi- p. 12.

rugi-

rugineam exaſperatam. Varietas tamen minor aream dorſalem habet magis *aequalem* et fere nigram, margine albo incluſam, qui in reliquis vix conſpicuus eſt, palpos denique quatuor, cum reliquae habeant ſex. Haec ſexus diſcrimen eſſe Noſter ſuſpicatur. Larua, quam primum ex ouo egreſſa eſt, telis tuboloſis ſe tegit, quibus tuta fauos pertērebrat et ceram comedit; expanſis etiam quaquauerſum telis, apes a fauis arcet, vt oporteat eas aut fame perire, aut habitationem mutare. Non ſolum ceram, ſed et alia deuorat; Noſter enim, cum diu aliquam thecae ligneae incluſam absque nutrimento detinuiſſet, adacturus, vt citius in nympham abiret, poſt quinque ſeptimanas viuere eandem adhuc in tela ſua et foueam in fundo thecae excauaſſe vidit. Suadet etiam, phalaenas has noctu capere, fauos teles ſpurcatos eximere et aquae feruentis ope, ceram ſaltem, quae in illis ſupereſt, in vſum conuertere. Delineatio phalaenae et variorum eius ſtatuum ſubiungitur.

p. 19. 3) *Obſeruationes ad hyemem anni 1763. qualis in Bothnia occidentali* (Vaſterbotten) *fuit*, *pertinentes.* Auctore PETR. HÖGSTRÖM. In regionibus illis frigus vehemens circa medium octobris plerumque ingruit, quo conſolidata tellus niue tegitur, quod et agriculturae et commerciis ibi commodiſſimum eſt. Illa vero, de qua iam agitur, hyems, alternis vicibus fuit remiſſior et vehementior, quo factum eſt, vt nix liquata in terram penetrauerit ibique rurſus in glaciem abierit, geluque tellurem intrauerit multo profundius, quam ſi illa niue perpetua tecta fuiſſet; hinc ſemina ſequenti anno ſerius potuerunt ſpargi, ſeriorque fuit meſſis, melior tamen quam ſperabatur. Arbores vero plurimum damni exinde paſſae ſunt, quarum radices e terra, vsque ad medium aeſtatis

aeſtatis proxime ſequentis adhuc interius congelata, nutrimenta nulla haurire potuerunt. Nam die 9. p. 21. menſis iulii terra quodam in loco inuenta eſt ad profunditatem $8\frac{1}{2}$ pedum a frigore libera, ſed inferius adhuc ad $6\frac{1}{2}$ pedes gelu conſtricta. Quaedam ta- p. 23. men commoda quoque hyems illa attulit: exoſam enim agricolis auenam panicula patente *Fl. Suec.* 97. quae in terra tunc erat, fere omnem deſtruxit, inſectis etiam aliisque animalibus ſubterraneis exitioſa fuit. Aeſtate et autumno, qui hanc hyemem praeceſſerunt, plures muſtelae, quae *Hermelinae* dicuntur, ſuis relictis habitationibus, ad mare migrarunt, ibi periturae, quo confirmari monet Noſter, quae olim de animalium quorundam migrationibus in *Commentariis Acad. ad ann.* 1749. *trim.* 1. et 2. propoſuerat. Terrae motus etiam contigerunt, et flammas prorumpere viderunt, qui in campis tunc commorabantur, terram vero disruptam aliquibus in locis ad centena aliquot ſexpedarum, vlnarum vero 2. vel 3. profunditatem. Phaenomena haec, illis in locis non infrequentia, ſemper cum mutatione temperiei aeris coniuncta ſunt, vt videantur a tellure, glacie interna ſe expandente aut aliis de cauſſis coeunte, naſci.

4) *Machinam, qua commode ſacci in molendinis eleuantur*, deſcribit CAR. KNUTBERG. Conſtat ea p. 25. tympano, axi rotae aquariae aptando.

5) *Deſcriptio muſci cuiusdam exigui* Auctore p. 33. OTTONE FRID. MÜLLER. Characteres huius muſci ſunt: calyptra cylindrica, acuta, tenuiſſima, fuſca; operculum acutiſſimum cylindricum viride, interne ſtriatum; ſtamen vnicum; filamentum filare operculo excurrens; anthera glandularis; piſtillum vagina niuea ſubſulcata, apicem verſus attenua-

ta; ſtylus membrana plicatilis; ſtigma hians; capſula obouata ſubuenoſa, vaginae affixa, in vaſculo libere ſuspenſa; intra hanc membrana octolatera, quadrilocularis; ſemina numeroſiſſima puluerulenta. Magnitudo eius duas lineas non ſuperat, quare oculos fere fugit, niſi albedine ſua ſe prodat. Si hic muſcus ſit *Phascum acaulon anthera ſeſſili* LINN. Fl. Suec. planum eſt, quod examinari LINNAEVS voluit, calyptram habere: VAILLANTII tamen figura, quam citat, diſſimilis eſt. Recenſitum inuenit Noſter hunc muſcum in SCHMIDELII *diſſ. de Buxbaumia*, ſub nomine: Buxbaumiae bulbo foliis tecto; ſtamina vero receptaculum ſeminum penetrantia non vidit; forſitan SCHMIDELIVS pro iisdem habuit venas quasdam per receptaculum excurrentes.

p. 34. 6) *Hiſtorias quatuor feminarum, quae lactarunt infantes, cum puerperae non fuiſſent*, enarrat ARVID FAXE. Femina, aetatis 48. annorum, mediocris habitus, bona valetudine gaudens, olim mater ſex liberorum, quorum iuniori per annum et ſeptimanas ſex mammas praebuerat, infantem feminae vicinae, ſubito mortuae, duos dies natum, nutricem ei procurare ſperans, ne ſuctioni deſueſceret, mammis admouit, quas quod dederit infanti minori proprio, ſpatium fere nouem annorum interceſſit, poſt ſex dies liquorem ex papillis manare vidit, deinde ſenſit dolorem ſub axillis, titillationem in mammis, calorem inſuetum et febrem; ſequutum eſt lac copioſum, quo infantem per annos duos et dimidium nutriuit. Menſtrua ceſſarunt, nec redierunt amoto infante a mammis, quo facto valetudo feminae debilior euaſit, ac arthritide valde vexata eſt. Reliqua exempla huic fere ſimilia ſunt, quorum vltimum eſt feminae, 60. annorum, ante 30. annos vltimum puer-

puerperium expertae, quae nepotem ex nuru de mortua lacte ſuo nutriuit.

7) *Sinenſium embamma*, quod *Soye*, appellant, praeparare docet CAR. GUST. EKEBERG. Fabarum ſpecies aqua affuſa coquitur, poſtea exemtae ex aqua humidae fabae in vaſis tectis reponuntur, donec mucore obducantur; ſiccantur, a mucore liberantur, et in lixiuio ſalino adſeruantur. Fabae illae a Sinenſibus *Pactau* appellantur, et perſimiles ſunt vel ipſo ſapore aliis, *Caravance* vocatis, quibus ſolent nautae ex Sina redeuntes de victu ſibi proſpicere; hae parum differunt ab iis, quas *Turcicas* vocamus. Credit itaque Auctor, idem garum poſſe praeparari ex turcicis, ſi forte *Pactau*, quarum ſemina attulit, in Suecia laete non creſcerent. p. 38.

8) *Singularia cimicis* cuiusdam recenſet ADOLPHVS MODEER. Cimex hic eſt ex rotundatis; ouatus, pallide griſeus, abdominis lateribus albo nigroque variis, alis albis, baſi ſcutelli nigricante. Habitat in betula, plerumque in parte arboris coro expoſita, quam quidem plagam pleraque inſecta, frigoris impatientia, alias fugiunt. Femina oua 40. aut 50. poſtquam in folium quoddam depoſuit, iis perpetuo inſiſtit ita, vt neque corpore neque pedibus illa premat, ſed ſaltim tegat. Ita pullis egreſſis etiam adeſt. Abeſſe eam nunquam cum viderit Auctor, ſe ignorare fatetur, quomodo eſcam ſibi ſuisque quaerat; neque enim pluuia, neque vento aut timore loco ſuo depellitur. Mas vero, vt pullos occidat, quaerit et corpore huc vel illuc vbicunque irrumpere conatur, mater vero eos tegit, vsque dum timore perculſi ipſi aufugiant ſeque diſpergant; perſequitur illos tunc mas, et quem prehendit, abdomine ſuo ad folium apprimit ac roſtro pertere- p. 41.

brare conatur, quod vero difficilius peragitur ob roſtrum ſub thorace inflexum; igitur plerique effugiunt, pereunte vix vno, interdum nullo.

p. 47. 9) *De cochlearum coitu* obſeruatio. Auctore *Eodem.* Cochleas duas cohaerentes cum reperiiſſet Auctor, vidit ex vna, quam pro mare habuit, membrum longum pellucidum ſub capite aut tentaculis exire, quod ab alterius, foeminae ſcilicet, apertura ſimiliter poſita recipiebatur; extremo vero ſuo gerebat corpus cuiforme, pallido fuſcum, ſtriis profundis transverſis circumdatum, glandem penis ſine dubio, quod ſolum glandulae nomine pro integro genitali habuiſſe dicitur WILKE *in Comment. Acad. Scient.* 1761.

p. 49. 10) *Contagium luis bouinae* inſigni exemplo illuſtrat IO. I. HAARTMAN. Aeſtate anni 1763, cum in Finnia lues graſſaretur, animalis in confiniis Ruſſiae mortui cadauer, leuius terra tectum, eruit, vrſus, cibo illo ſtatim interemtus; huic pellem detrahit ruſticus, qui, vix domum redux, aegrotat et diem ſuum ſupremum obit; re Wiborgum nunciata, iubetur pellem cremari; parochus vero loci, cui pro iuribus ſtolae pellis ceſſerat, neglecto hoc iuſſu, ruſtico perſuadet, vt pellem vſui praeparet; ruſticus, qui hoc fecit, aliique duo, qui auxilio ipſi fuerunt, morbo correpti pereunt; rurſus nunciata re ipſam Petropolin, ſub poenae cominatione imperatur parocho, vt pellem exhibeat ad cremandum, etiam vt domus, vbi praeparata erat, et ſi ita videretur, parochi quoque domus, incendio conſumerentur. Is vero receptam pellem, quae plures interea venditione habuerat dominos, adhuc incredulus manibus tractat ac naribus admouet, mox aegrotans et tumorem phlegmonicum, iis, qui luis boui-

nae

nae contagio corripiuntur, communem, in mento nactus moritur. Refert Auctor porro, conſtare ſibi p. 50. aliis exemplis, cutes pecorum lue demortuorum iis, qui vel poſt 3. aut 6. menſes eas tractarunt, damnoſas fuiſſe. Ceterum ad luem plurimum conferre dicit, ſi aeſtatibus ſiccioribus, ex paſcuorum defectu, pecora veſcantur alni foliis, ab inſectis tunc habitatis; praeſeruari vero eandem ſi iis porrigatur ſal, farinae auenaceae admixtus aut formicae cum ſeminibus graminis coctae.

11) *Experimenta de duratione candelarum diuerſae craſſitiei, et alia huc ſpectantia.* Auctore SVEN HOF. Candelas tenuiores parcendo ſebo magis p. 51. conuenire quam craſſiores ita expertus eſt Auctor: parauit nimirum candelas duas aequalis inter ſe ponderis, quae iunctim ſumtae paris erant ponderis cum candela craſſiori; longitudines harum trium candelarum aequales erant, ellychnia etiam tria aeque craſſa; quo facto, experimento ter repetito conſtitit, tempus, quo abſumptae ſunt duae candelae tenuiores, longius fuiſſe eo, quo craſſior combuſta eſt, vnde ſequitur, vt in candelis craſſioribus multum inutiliter ſebum perdatur, quod adhiberi in tenuiores poterat; cauſſam ponit in craſſioris candelae ellychnii calorem vehementiorem, quo fiat, vt ſebi plus iuxta ſe habens quam ellychnium aeque craſſum tenuioris, velocius illud liquefaciat et abſumat. Can- p. 54. delas itidem aequales fecit duas, vnam vero ellychnio ex goſſypio, alteram cannabino conſtantem, quarum prior velocius abſumta eſt. Inter candelas aequales ea, quae frequenter emuncta eſt, non niſi paucis minutis citius exiit, quam alia, quae intacta manſerat; porro aequalis ponderis et longitudinis confecit candelas, alteram ex ſebo, ex cera flaua alteram, harum cerea velocius abſumta eſt.

 12) *De*

p. 57. 12) *De vſu hirudinum medico* obſeruationes nouas illis, quas 1760. exhibuerat, addit ERN. DITERIC. SALOMON. Profuerunt in dorſi doloribus, malo hypochondriaco, tumore aliisque inteſtini recti incommodis, quae vel ſedere et ſtare aegros prohibuerant, vbi tamen et balneum vaporoſum Noſter interdum adhibuit haemorrhoidibus turbatis, retentione vrinae.

p. 62. 13) *Auroram borealem* d. 17. oct. 1763. Vpſaliae viſam deſcribit FRID. MALLET. Phaenomenon hoc terrae adeo propinquum erat, vt per flammas eius nubes poſt eas poſitae conſpicerentur, ipſius vero motus venti mutationes ſequi videbantur.

p. 67. 14) *Quomodo praeueniri poſſit damnis ex nimis pluuioſa, dum ſeritur, tempeſtate oriundis*, quodammodo docere conatur IO. LECHE. Haec res in Finnia, cui ſcribit Auctor, eo maioris momenti eſt, quod ob frigus citius ingruens non poſſit tempus, quo pluuiae ceſſant, a ſaturo ſemper expectari. Vidit vero, dum ſemen committitur agro humido (argilla conſtantem inprimis putat), non ſatis ſubigi poſſe grana, eaque, dum in ipſa ſuperficie agri maneant, pauculas radices minusque profunde agere proximo autem vere plantulas, quae progerminarant, ex nutrimenti defectu marceſcere, niſi forte ver inſigniter pluuioſum fuerit. Igitur rem eo reducit, vt inſtrumenta excogitentur, agricolis parabilia, quibus commode ſemen ad debitam profunditatem demergi poſſit.

p. 75. 15) *Buxum e ſeminibus educere*, quomodo ipſi ceſſerit, refert PETR. OSBECK, artificium hoc a MILLERO, dictionarii hortulani auctore edoctus.

16) *Mon-*

16) *Monſtrum* deſcribit IO. GUST. WAHLBOM. Feminae illud parienti obſtetricatus eſt Auctor. Infans iuſto tempore editus eſt, ſed paruus; ſpina dorſi inferius aeque ac abdomen contorta, vt pedes ceruicem attingerent; cartilago enſiformis nulla; cor extra coſtas propendens; diaphragma tenue, ipſum cor cum pulmonibus circumdans, dextrorſum detruſum; hepar inſignis magnitudinis, lobos diſtinctos non habens, dextri lobi loco maſſa pugni magnitudine ſub initium partus propendebat, tunc pro placentae portione habita; abdominales muſculi nulli; peritonaeum tenue, ruptum, vt inteſtina diſtorta conſpicerentur; ani apertura ſuo loco nulla; ſexus indicium nullum, niſi papillulae duae pro labiis pudendorum habendae; vbi colo ileum iungitur, ſuper oſſibus pubis apertura, ani loco futura; rectum inteſtinum, ceu in hac ſtructura corporis ſuperfluum, nullum. Accuratius vt examinaretur foetus, qui mortuus prodiit, pater non permiſit. Secundus hic fuit feminae partus, primus etiam infeliciter proceſſerat. Foetus hic, vti colligere potuit Auctor, qui ipſum et placentam eduxit, in infima peluis parte iacuerat, vnde coniicit, mala haec accidiſſe foetui a pelui male formata, aut quod ouulum collo vteri adhaeſerit et a preſſione mala haec orta fuerint. p. 77.

Trimeſtre ſecundum.

1) *De numero incolarum Sueciae et naturali regni robore* diſſerit EDUARD. FRID. RUNEBERG. Naturale regionis robur determinat ex multitudine hominum, datum ſpatium incolentium: igitur numerum incolarum alicuius regionis diuidit per numerum milliarium quadratorum, quae regio continet, quotientem pro numero incolarum milliaris qua- p. 81.

quadrati ſumit, eoque naturale regionis robur indicat. Hic quotiens pro Suecia et Finnia eſt circiter 47 $\frac{1}{2}$, marchis Lapponicis ſepoſitis, et intelligendo milliare Suecicum. Alia multa ſubiungit ad arithmeticam politicam pertinentia.

p. 115. 2) *Fornacum ad ferrum liquandum adhibendarum, in quibus flamma ligno et aere perſpirante ſuſtentatur, emendationes* quasdam, vſu etiam comprobatas edit SVEN RINMAN.

p. 124. 3) *Erucas arbores Americae ſeptentrionalis* interdum *infeſtantes* deſcribit PETR. KALM. Phalaena, in quas abeunt, congener eſt Neuſtriae LINN. Syſt. nat. ed. 10. T. 1. p. 500. Eruca tamen Neuſtriae in Suecia reperiundae herbis ſolum veſcitur, cum Americanae ſylueſtres et hortenſes arbores foliis nudauerint.

p. 139. 4) *Parallaxin ſolis ex tranſitu veneris denuo computat* ANDR. PLANMAN, colligens eam ſecundorum 8, 25.

p. 143. 5) *Fluii* cuiusdam, *qui curſum ſuum mutauit effectus violentos in terram* adiacentem *et aedificia* impoſita deſcribit M. P. BESSING.

p. 149. 6) *Lari Lapponici deſcriptio* Auctore ERIC. GUST. LIDBECK. Nominatur autem: Larus maior corpore vndulato fusco cinereo, remigibus exterioribus ſubtus albis. Proxime conuenit auis cum laro griſeo maximo WILLUGHBEII *Ornithol.* p. 349. ed. 1678. tab. LXVI. niſi quod colore differat. Eſt vero etiam WILLUGHBEII larus borealis.

7) *Plu-*

7) *Pluuiae et niuis* copiam Londini Scanorum annis 1753-1763. dimenſus eſt NIC. SCHENMARK, eandemque cum menſuris Oboae et Vpſaliae captis comparauit. Copia aquae coelo deciduae Londinenſi paulo maior eſt Oboenſis, minor Vpſalienſis. Etſi Scaniae, tribus lateribus mari circumdatae coelum humidius eſſe debere videatur, tamen quod ſyluis fere caret et in magnam planitiem extenditur, aliquid ad ſiccitatem facere videtur. Ceterum in regionibus his non multum diſſitis anni, qui in vna maxime pluuioſi ſunt, iidem in altera ſicciores exiſtunt. p. 153.

8) *De optimo meſſis tempore* commentatur IO. LECHE. Cum grana multa ariſtis excidant, ſi expectetur, donec frumentum omnino ſiccum ſit, paulo citius illud colligendum eſſe exiſtimat Auctor, tunc ſcilicet, quando culmi pars, ariſtae propior, vngue aut digito explorata, durior reperitur, tum enim canales, qui humorem ad nutrienda grana ex radice aduehunt, coiere neque amplius nutriuntur grana; ſiccari vero etiam demeſſo frumento poſſunt. Huius conſilii bonitatem ipſe expertus eſt Auctor. p. 156.

Trimeſtre tertium.

1) *De eclipſibus ſolis* generalia quaedam et faciliora enarrat P. WARGENTIN. p. 161.

2) *Obſeruationes variae de eclipſi ſolis d. 1. april. 1764*, factae et exhibitae ab A. HELLANT, Hernoſandiae a N. GISSLER, Vpſaliae a F. MALLET, Holmiae a P. WARGENTIN, aliisque Sueciae regionibus, eam inprimis ob cauſſam notatu dignae, quoniam ibi annularis fuit. p. 173.

3) *Ma-*

p. 184. 3) *Machinam* oneribus tollendis idoneam, quae aeque ergatae ac ſuculae loco adhiberi poſſit, deſcribit Abb. IAC. VENTURA.

p. 193. 4) *De aurorae borealis altitudine* commentatur TORBERN BERGMAN. Recenſet *in* hac ſcripti ſui *prima parte* obſeruationes numero 30, ex quibus computata altitudo materiae lucentis inter 20. et 151. milliaria Suecica continetur; medium ex omnibus 30. praebet 72. milliaria.

p. 210. 5) *Oculum ſingulari modo laeſum* deſcribit IO. LAVR. ODELIVS. Ictu flagelli ſclerotica oculi dextri vulnerata erat eo loco, vbi transparens fieri incipit, in inferiore hemiſphaerio prope palpebram inferiorem; cutis pars auulſa erat prope angulum oculi dextrum. Inflammatione et dolore per aliquot ſeptimanarum ſpatium idoneis adhibitis remediis ſopitis, eo loco ſana eſt ſclerotica, vuea vero per corneam perlucet, inferiore ſui parte adeo eleuata, vt veluti pontem ſupra cameram poſteriorem exhibeat, pupilla non amplius circularis ſit, niſi in parte ſuperiore, vueae autem pars a reliqua auulſa, ſuper eam progreſſa, eo loco vbi alias ſcleroticae iuncta videtur, aperturam reliquit forma ſemioualem, pupilla ſuperiore et vera maiorem et magis oblongam. Periit etiam vis pupillae contractrix, pars enim illaeſa ſuperior fuit amplior ſimili parte oculi ſiniſtri. Eleuata et depreſſa bene videt laeſus, ſed directe obiectorum viſio ab vuea auulſa impeditur. Colligitur hinc, tunicarum, quas diximus, coniunctionem in cataractae operatione minori, quam vulgo creditur, periculo laedi.

e

p. 212. 6) *Quomodo Trifolium* (Vapling), *Saint-Foin et (Lucerne)*, Onobrychis, *item Alnus alba* (LINN.

Fl.

Fl. Suec. ed. 1745. 775.) *in Flandria et vicinis regionibus ſerantur*, deſcribit L. B. NIC. PALMSTIERNA. Alno ſingulas partes agri, in plures partes diuiſi, ſingulis annis conſeruat, ſeptimo anno arbores ad *6.* vel 7. vlnas excreuerunt, 4. *6.* digitos in parte inferiori craſſae. Caeduntur, focis lignum praebiturae; ſic vna pars agri poſt aliam caedua fit, et ad priorem reuertitur, quando trunci reſidui ſtolones iuſtae magnitudinis rurſus protruſerunt. p. 218.

7) *Super metallo nouo, quod* Platina di Pinto *dicunt, experimenta quaedam* Auctore Cl. AXEL FR. CRONSTEDT. Inquiſiuit inprimis, quomodo ſe habeat metallum hoc, ſi minerae illi cupri ſpuriae, quae *Nickel* appellatur, et ſulphuri commiſceretur: atque reperiit, ab his penetrari platinam, et particulas eius disiungi, ſed vix ſolui, mixtura, in aqua forti ſoluta, rediit platina ſub ſpecie pulueris nigri. Notat inſimul, haud leuem eſſe ſuspicionem, platinam adhiberi a barbaris Antillarum incolis, Carabis quos metallo aliquo, *Caracoli* appellato, vti ex LABATI relatione Cl. Noſter LUDOVICI *in dictionario mercatorio* narrat. p. 221.

8) *De cupro a ferro in docimaſticis tentaminibus ſeparando* agit GEORG. BRANDT. Maſſam, ex ferro et cupro mixtam, quae primo ex minera effluxit (*Rosſtein*), ita examinat, vti docimaſtis ferrum quaeſituris in vſu eſt; granum metallicum, hoc examine eductum, in acido nitri ſoluit, ſolutionem ſpiritu ſalis ammoniaci praecipitat, vbi ferrum calcis flauae forma fundum petit, cuprum vero in menſtruo haeret, niſi forte cobaltum, ex quo pigmenta obtinentur, ei admixtum ſit, cuius regulum alcali volatile non praecipitat, ſed cupro iunctum relinquit. Solutionem in filtro aqua perluit, et calcem ferri p. 228.

feruida

feruida eluit, ita metalla ſeparantur, atque id ſolum ſupereſt, vt quodlibet metallum in granulum ſuum, minimo, quoad fieri poteſt, detrimento reducatur.

p. 239. 9) *De Ariſtolochiae trilobatae vſu medico* diſſerit PET. ION. BERGIVS. Stipites plantae ex Suriname attulit ROLANDER, eosque vt praeſeruatiuum aduerſus morbos contagioſos et alexipharmacum, vel in vulneribus a ſagittis venenatis factis inſeruiens praedicauit. Caulis eſt volubilis, ſimplex, ſulcatus, glaber, cortice brunneo cinereo tectus; petioli firmi, incurui; folia ouata, trilobata, glabra, obtuſa, margine integerrimo, ſubtus ſubtiliſſime villoſa, neruoſo venoſa; bracteae cordato haſtatae, integerrimae, venoſae, glabrae; pedunculi longi, ſulcati; flores maximi. Planta ab Ill. LINNAEO Spec. Plant. 1361. 2. nominatur *Ariſtolochia foliis trilobis, caule volubili, floribus maximis.* Odore et ſapore proxime ad padum accedit, niſi quod ſapor non tam adſtringens ſit, odor vero padi odore adhuc fortior, inprimis ſi inter digitos teratur; drachma in puluerem redacta cubiculum totum odore ſuo repleuit, atque duae hae qualitates poſt octo annos plantae
p. 241. ſiccae adhuc inſunt eodem gradu, quo initio inerant. Pulueris grana 6. homini ſano dedit ſub noctis initium, quorum primus effectus nauſea fuit, ſubſecuto ſudore leni per totam noctem; alii ſano etiam verſus noctem aquam praebuit calidam ſcrupulo ſuperinfuſam, quae nec ſaporis ingrati fuit, nec nauſeam excitauit, inſecuta ſolum per totam noctem aequali tranſpiratione. Vires autem, quibus venenis reſiſteret, expertus eſt in puero nouenni, quem ſerpens intra annularem digitum et proximum manus dextrae momorderat; duobus iam diebus varia fruſtra tentata erant, totum corpus tumebat, frigebat, dolebat; huic ſtipitum ariſtolochiae aliquot drach-

drachmas infuſi forma ſumendas dedit, quo infuſo cum prima vice vteretur, calor naturalis rediit et quies ac ſomnus, vehementer ſudauit et, cum euigilaret, eſuriit. Continuato infuſi vſu, detumuit corpus, brachium dextrum vero diutius riguit et tumuit, inprimis manus laeſa; poſtquam dolor autem ceſſauit, cutis rugoſa oſtendit, eam quoque detumeſcere; ceterum bene puer ſe habuit. Exitum Noſter non reſciuit, niſi hoc, ſanitatem aegro rediiſſe. Copiam vero ariſtolochiae, quae vel huic ſufficeret, non habuit, multo minus ad alia tentamina inſtituenda plantam adhibere potuit: optat vero, vt inter diaphoretica et alexipharmaca in poſterum in officinis ariſtolochiae huius Americanae ſtipites referantur. BROWNIUS in *Hiſtoria naturali Iamaicae* radicum etiam vſum praedicat, quas tamen Noſter non habuit.

10) *Radicem Salep ex Orchide morione* LINN. Sp. plant. T. II. p. 940. in Sconia copioſe creſcente praeparare tentauit ANDR. IAHAN RETZIVS. Radicibus, aqua lotis, ſcuticulam detraxit, ſex horas in frigida eas reliquit, poſtea dimidiam circiter horam in aqua recenti coxit, in vmbra ſiccauit, colore, ſapore, facie, ſimiles ita habens Perſicis, duplo ſaltim maioribus. Suecicas et Perſicas ſingulas in puluerem redegit, cuiusuis pulueris granis octo vnciam feruentis aquae ſuperinfudit; Suecicum puluerem citius Perſico diſſolui ſenſit, et tantum mucilaginis habere, vt per linteum difficulter exprimi poſſet, niſi adfuſa ſit ſemuncia aquae feruentis; ſic ſesquiuncia aquae mucilaginem Suecici pulueris eiusdem conſiſtentiae reddidit, ac vncia aquae mucilaginem Perſici. Reſiduum in linteis ſiccatum pondere fuit granum a Perſico puluere, ſesquigranum a Suecico, mucilaginis, qua multo ditius videtur, ali- p. 245.

quid adhuc continente, ceterum Perſico per omnia ſimili.

p. 246. 11) *Ex diario Academiae* haec referuntur: *Carlscronae* in loco, cui mare 14. pedum altitudine incubuerat, aqua, poſtquam locus aggere concluſus eſſet, exhauſta, in monticulo, ex ſilice conſtante, reperta eſt abietis pars inferior, trunco igne abſumto, radicibus ita loco, cui inſiſtebant, inſertis omnibusque circumiacentibus ita ordinatis, vt creuiſſe ibi arborem, non ruina quadam aut alio caſu eo delatam eſſe, vero ſimile ſit. Vnde colligeretur, aquam eo in loco olim minus altam fuiſſe.

Botanicas obſeruationes varias ex Nericia edit ABRAH. SAMSELIVS. Obſeruauit nimirum, *Euonymum Europaeum* circa loca ſulphure foeta creſcere, lignum flauescere, tornando idoneum eſſe, ſed tornanti effluuiis ſuis vomitus ciere; *Equiſetum paluſtre* foetore ſuo non ipſum ſaltim ingratum eſſe pecudibus et equis, ſed et gramen, inter quod creſcit, aut foenum, cui admiſcetur, vt auerſentur animalia, inficere. Adiicit catalogum plantarum Nericiae indigenarum, aliis in Sueciae regionibus vicinis rariorum.

Trimeſtre quartum.

p. 249. 1) Commentarii *de altitudine aurorae borealis* partem vltimam exhibet TORBERN BERGMAN, inquirens, quam prope telluri admoueri poſſit. Obſeruationum, quibus in parte praecedenti vſus eſt, nulla minorem praebet altitudinem 20. milliaribus Suecicis. Nubibus ſemper ſuperiorem eſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod a nubibus tegatur, arcus, niſi coelo ſereno, non appareat, atque ſi aurora borealis alicubi coelo ſereno ſe oſtendat, in alio loco, cui

cui forte illo tempore nubilum eſt, inſigni claritate ſaltim ſe prodat. Sonum audiri aurorae borealis, vix credit. Cum certum ſit, ſaepius valde a terra eſſe eleuatam, adeoque in aere tenuiſſimo, qui ſonum non propagat, vix credibile eſt, idem phaenomenon etiam in craſſiore aere ſubſiſtere poſſe. Me- p. 254.
dium ex omnibus obſeruationibus ſumendo, plerumque inter 50. et 100. milliaria a terra remoueri colligit; denique arcus, qui pluribus in locis ſimul videntur, eosdem eſſe, ab aliis alium arcum non videri, oſtendit, et quae obſeruanda ſint auroram borealem ſpectanti enumerat, vt: figura, arcus, flammae, faſciae cet. appareant, magnitudo et poſitus, motus, color et claritas, tempus, ad quod indicandum horologium ad obſeruationes aſtronomicas exactum requiritur, ne errore horologiorum phaenomena, pluribus in locis viſa, iſochrona habeantur, cum talia non ſint.

2) *De vſu ceſpitis bituminoſi* (Brenntorf) *ad ag-* p. 262.
geres aquae continendae refert IAC. WILH. DALMAN. Obſeruauit eum Regiomonti in Noruegia. Segmenta ceſpitis ſibi ſuperimponuntur et lapidibus comprimuntur.

3) *Plantulam in vaſis vitreis, ex quibus bibi ſo-* p. 264.
let, reperiundam deſcribit IO. CAR. WILCKE. Apparet haec plantula in eiusmodi vitris plerumque forma muci albidi, ſi vacua ſunt, parum conſpicui, ſed in aqua infuſa natantis. Humi veluti loco ipſi eſt ſedimentum, quod in ſulcis praecipue profundioribus fundi deponitur; microſcopio fortiori conſiderata particula huius muci in muſcum aliquem granuloſum et fibroſum abit, ex quo caules multi adſcendunt, varios in ramos diuiſi. Microſcopio, diametrum 150. aut 200. vicibus augente, haec ſpe-

ctantur: caules ſunt rotundi, recti, ſinguli articulati, ex nodis ramos emittentes pariter oppoſitos, qui vero ex quolibet nodo et proximo oriuntur, decuſſatim poſiti ſunt. Caules ſatis rigidos et elaſticos cortex veſtit, interdum defluens, ſiue plantae pars ſit, ſiue terreum quid illam ambiens. Fructificationem in tam minuta planta detegere non potuit. Vegetationum, quae in infuſionum, dum putreſiunt, ſuperficie naſcuntur, nulla huic ſimilis eſt. Exempli loco exhibet eam, quae in corticis Peruuiani infuſo naſcitur, ramis flauis, dichotomis, articulationum defectu cet. ſatis diſtinguendam. Reperit plantam hanc Cl. WILCKIVS in vitris, quae praeter tenuem cereuiſiam, aquam marinam et pauculum vini nihil continuerunt. In his liquoribus ſeorſim examinatis veſtigium plantae nullum vidit, praeterquam in cereuiſia, cui innatat ſimilis, ſed articulis et caulibus longioribus. Suſpicatur, eam cereuiſiam ingredi cum aqua lacus, ex qua cereuiſia coquitur. Ipſi ad conferuas et ſertularias pertinere videtur. In aquae guttula examinanda eſt, ſicca enim faciem omnino mutat et rudera mucoris exhibet.

p. 271. 4) *Plantam, ex qua Soja fit* (vid. Trim. I. art. 7.), deſcribit PETR. ION. BERGIVS. Florentem eam in hortis Suecicis vidit. Eſt vero *Dolichos Soja* LINN. Spec. Pl. p. 1023. Deſcriptionem prolixam et iconem exhibet Noſter, KAEMPFERI enim icon, *Amoen. exot.* p. 838. non ſatis accurata eſt, cum flores exſertos exhibet, qui in perianthio latent, vt vel ipſa KAEMPFERI deſcriptio docet. Veretur autem, ne huic plantae clima Suecicum ſit nimis durum, cum inter exoticas colatur. Saporem autem fabarum admodum ſimilem eſſe ait ei fabarum turcicarum, vt hae forte in illarum locum ſubſtitui poſſint.

5) *Sola-*

5) *Solanum tuberoſum eſculentum* (potatoes) *colendum Dallandis et montium habitatoribus commendat*, et varias obſeruationes eo pertinentes edit AXEL FR. CRONSTEDT. Cum in terra paludoſa caules altius propelli videret circa florendi tempus fregit caules, exſpectans, tubera radicum maiora ſic euaſura, ſed discrimen nullum obſeruare potuit inter haec et illa, quorum caules integros reliquerat. Cum talpae hos fructus ſubterraneos maxima copia congerant, ad euitandum hoc damnum, ſuadet vias, quibus per campos, ſolano conſitos, itur, vt in hortis fieri ſolet, ex arena exſtruere, per quam cuniculos fodere talpa nequit, aut agros foſſa circumdare, quam ſcoriis metallicis, vbi metalla eliquantur, facile obuiis repleuit. Farina quomodo ex tuberibus praeparari poſſit, copioſe deſcribitur. p. 275.

6) *De calore corporis humani obſeruationes thermometricae* Auctore ANT. ROLANDSON MARTIN. Thermometris vſus eſt, quae inde a CELSIO in Suecia adhibentur; illa applicauit pedi, manui, pectori, abdomini, in cubiculo clauſo hora 9-10 antemer. ieiunus. Catalogum obſeruationum a maio 1763. ad medium aprilem 1764. exhibet, aeris calore et tempeſtate ſimul notatis, quae quidem vt perſpicuum eſt, corporis calorem mutant, ſed non ſemper ſimili ratione, cum poſſit calor corporis ab ignotis et internis cauſſis variari. Sic inſuetus calor manus et pectoris fuit graduum 37. vere et autumno, cum aer caleret ſaltim gradibus 15. Eundem calorem 37. in manu et abdomine habuit, vrinae tantum 36. In febri calor manus graduum 26, pectoris 36. fuit, auctus in manu ad 42, donec ſudor prorumperet, deinde manus paulatim refriguit ad 32; pectus ad 34; vrina fuit 36. Maximus gradus caloris in partibus exterioribus corporis ſani fuit 36. aut 37. In calore balnei gradum 60. aut 65; p. 290.

arteria minuto primo 120. aut 130. vicibus pulſante, calor ſub axillis 38. aut 39. graduum fuit; in aeſtate feruente irati, vt corpus tremeret, calor fuit 38. Praeter haec augent calorem itinera maritima, cum in mari baltico nauigaret Noſter, calore aeris aeſtiuo graduum 26; vrinae calor 38. gr. naturalem, qui graduum 36. eſt, duobus gradibus exceſſit; a cibo potuque calido vrina gradibus 38. caluit, a
p. 298. ſpirituoſis, 37. Terroris effectus febrilibus ſimiles obſeruauit. Cum calorem corporis quiete obſeruans ſubito terreretur, ſubaxillaris calor, qui aeque ac manuum antea 36. graduum fuerat, in ipſo terroris momento ad 34. decreuit, ſtatim vero poſt, cum deſiiſſet terror, manus gradibus 37. caluerunt. Cum in lecto inſomnis iaceret, aer autem cubiculi eſſet graduum 15, caluerunt manus 34, abdomen 35, pectus 36; eadem nocte, cum duas horas dormiuiſſet, nihil mutato aeris calore, manuum calor duobus gradibus decreuit. Vena ſecta, eductis 9. vnciis ſanguinis manus calor a gradibus 31. ante venaeſectionem ad 36. auctus eſt, et arteriae pulſuum numerus horae minuto primo 10. pulſibus creuit. Caprarum in venerem pronarum lac gradibus 37. calet, grauidarum 35. Quae minuant calorem, aliqua antea recenſita ſunt. His alia quaedam accedunt
p. 299. Aere 8. vel 5. gradibus calente, manus gradibus 15. aut 16. calet; igne vero calefieri cubicula opus eſt, iam vbi aer ſaltim 12. aut 13. gradibus calet. Sudantis a motu vehementi pectus et frons 35. grad. caluerunt, manus, quae minus ſudaret, 37; vt ſudore minui calorem pateat. Maximus calor eſt abdominis et omnibus fere anni temporibus idem, hunc ſequuntur, minores ſemper atque minores, pectoris, axillarum, manus, pedis, niſi particulares cauſſae ordinem hunc turbent. Quanto calori aeris circumiecti adſuefieri poſſimus, ſuo exemplo

exper-

expertus eſt, balnea Finnica intrans, primo non plures quam 40. gradus ſuſtinere potuit, poſt 50. gr. deinde 60. et plures; adſueti tolerant 70. aut 75, ſed non vltra horae quadrantem. Maior calor fertur, ſi in totum corpus agit, quam ſi in aliquam tantum partem. Qui illum, 60. aut 70. graduum calorem in balneis tolerant, ab halitu eos adflantis velut igne vruntur. Pediluuium, gradibus 45. calens vrit; calidi potus vltra 40. gradus calentes non niſi ſorbendo ſumi poſſunt, his tamen calor illo 60. aut 70. graduum multo minor eſt *). Mediocris calor, quo nec friget corpus, nec aeſtuat, eſt graduum 26-28; etiam corporis in lecto iacentis calor plerumque eſt 28. Graduum 36-37. in corpore gratus eſt et refocillans; is enim eſt aquae tepidae digitos non laedentis. Quantum conſuetudo faciat ad caloris ſenſum, expertus eſt in hominibus ſex diuerſae aetatis, aliis pellibus veſtitis, aliis conſuetis veſtibus, aliis ſaltim lineis, ii in calore aeris 28, qui aeſtiuus eſt, ſinguli caluerunt gradibus 36. Vnus, induſio ſolo amictus, ſudabat tamen, vno gradu minus calens reliquis; cum antea iam dictum ſit, ſudantes minus calere. Sanguis, ex vena ſecta in ther- p. 303.
mometrum ſaliens, calet gradibus 34-35; etiam ex

O 4 manu

*) Dum haec miratur Noſter, non attendit, corpus noſtrum aliter affici a calore aeris quam aquae, quoniam aer corpus rarius eſt quam aqua. Simile huic fere eſt paradoxo de aere aqua frigidiore, thermometro teſte, etſi tactui noſtro aqua frigidior iudicetur; vid. HANOVII *erläuterte Merkwürdigkeiten der Natur*, 5 *Stück*. Deinde aeris iuſto calidioris vitium non eſt, quod nos vrat, ſed quod reſpirationi non eſt idoneus. Neque mirum eſt, aerem, 60. gradibus calentem, adflatum minus tolerari, quam corpus vndique circumdantem, et ellychnii flamma, flatu per tubulum in certum locum directa, multo vehementius vrat, quam ſibi relicta.

manu paralytica, vt verum reperiri poſſet, ante in aqua tepida detenta, item ex equo, qui ante venam ſectam equitationi adhibitus fuerat. Sedentariorum et leucophlegmaticorum ſanguis calet ſaltim gradibus 32-33. Vrina in thermometrum emiſſa, 36; ſed in vaſe detenta, immiſſo thermometro, 34. Vrinae calor idem fuit hominibus annorum 2, 3, 5, 6, 12, 30, 40, 50, immo ſeni 80. annorum. Alia excrementa duobus gradibus frigidiora ſunt. Lac, immediate ex mamma feminae aut vbere vaccae in thermometrum emiſſum eſt grad. 34. Magnitudo
p. 304. corporum parum variat. Gradu 35. calet felis, vbi pedes anteriores corpori iunguntur, qui calor eſt humani ſanguinis. Columba ſub alis 32; pullorum caeſorum ſanguis 32. Aetas, vt iam de vrina dictum eſt, nihil fere mutat, niſi quod infantum et ſenum internus calor magis ab aeris temperie variari videatur. Senis octuagenarii manus et pectus 1763, d. 20. aug. caluerunt 36. aeque ac Auctoris, qui annum 35. agebat, aer dum erat 23; ſed d. 27. aug. aer 15; ſenis manus 25; pectus et axillae 34, antea manus 27; pectus 34. Praeterimus alia experimenta, inprimis cum aquis mineralibus inſtituta,
p. 308. ex quibus refrigerare illas infert. Spiritu vini hauſto, exteriores corporis partes frigidiores inuenit quam antea, vrinam calidiorem.

p. 309. 7) *Morbi complicati, ex terrore orti, hiſtoriam et curam* refert IO. CHRIST. PETERSEN. Terrorem vehementem, quem femina 27. annorum, eousque bene valens, bis paſſa erat, inſequutae ſunt ſyncope, conuulſiones, haemorrhagia vteri, icterus, tympanitis, aſcites. Haec omnia quomodo naſci potuerint a ſpaſmis, in ſyſtemate neruorum terrore excitatis, prolixius explicat, et remedia, quae priſtinam ſanitatem feminae reſtituerunt, enarrat.

8) *Ra-*

8) *Raphani Chinenſis oleiferi culturam in Suecia*, p. 327.
vtiliter tentauit CAR. GUST. EKEBERG ſeminibus ex itineribus Chinenſibus allatis. Chinenſibus *Soyfa* vel *Soifätiong* appellatur. Illi ex grano quouis, quod ſeminarunt, 100. aut 120. lucrantur, ex granis vero expreſſis dimidium pondus olei. Maſſam, ex qua p. 329.
oleum expreſſerunt, animalia comedunt, Sinenſes vero eandem etiam ad ſtercorandos agros adhibent. Oleo ad cibos vtuntur et ad lampades, fumum colligunt machinis infundibuliformibus, ſupra lampades ſuſpenſis, isque atramenti Sinici materiam praebet. Calci viuae admiſcent, et maſſa illa commiſſuras nauium replent. Plantae igitur culturam ciuibus ſuis magnopere commendat Noſter, tabaci cultura faciliorem et vtiliorem.

II.

Icones plantarum, ſponte naſcentium in regnis Daniae et Noruegiae, in ducatibus Sleſuici et Holſatiae, et in comitatibus Oldenburgi et Delmenhorſtiae: ad illuſtrandam opus de iisdem plantis, regio iuſſu exarandum, Florae Danicae nomine inſcriptum; editae ab eius operis auctore, GEORGIO CHRISTIANO OEDER, M. D. Prof. Reg. Botan. Volumen primum, continens faſciculos I, II, III. ſeu tabulas I-CLXXX. Volumen ſecundum continens faſciculos IV, V, VI. ſeu tabulas CLXXXI-CCCLX. Hafniae, typis *Claudii Philiberti*. Faſc. II. 1762. Faſc. III. 1764. Faſc. IV. 1765. Faſc. V. et VI. 1766. fol.

Quem iam alibi laudauimus iure *), Cl. OEDERI laborem, ſtudii botanici egregium adiu-

 mentum,

*) Vid. Commentar. Noſtr. Vol. X. P. IV. p. 647.

mentum, nunc vehementer laetamur adeo feliciter continuari, vt quinque iam plantarum Danicarum faſciculi ad noſtras peruenerint manus, quibus ternis, vt titulus docet, ea propter volumen abſoluitur, quo commodum ſit illis, qui velint has icones colligatas conſeruare. Eandem quoque, quam in primo faſciculo obſeruaueramus, delineationum ἀκρίβειαν, picturaeque elegantiam in reliquis admiramur. Plantae autem hic delineatae nec ad methodum aliquam diſpoſitae ſunt, nec nominibus adſcriptis diſtinctae, ſed ſolis numeris in tabulis differunt; ſingulo autem faſciculo addita nomenclatura cum locis natalibus et quorundam auctorum, vt ſupra indicauimus, denominationibus, genera indicat, quum, quod alibi vberius docuit Cl. Auctor, nondum ad naturalis methodi cognitionem ſufficiat noſtra herbarum peritia. Eaque propter ad finem ſecundi faſciculi monet: ſibi in edendis his plantis ſcopum et conſilium hoc tanum eſſe, ut ſiſteret plantarum indigenarum nitidas et fideles icones, conſiderandas tanquam herbarium ſeu plantarum ſiccarum collectionem, aut tanquam mapparum geographicarum ſyllogen, ad illuſtrationem geographiae, cuiuis vtilem. Hinc citationes auctorum eum in finem ſe addidiſſe fatetur, vt cum aliis conferri poſſint ſcriptis botanicorum icones datae, neque ſe illa nomina adoptare, neque velle, vt aliquis illa ipſi adſcribat, quod ab Ill. LINNAEO factum eſt, ſed vt numeros tantum tabularum florae danicae citet, qui illis iconibus vti velit. Catalogus enim ſyſtematicus plantarum Danicarum cum deſcriptionibus et ſynonymia ampliore, poſt aliquot annos edendus, quem interim auide praeſtolamur, vlteriorem expoſitionem dabit.

Con-

Condonabunt itaque nobis lectores, ſi hic deſcriptarum plantarum ſingularem aliquam expoſitionem exhibere nequimus, quod ſingula ad naturae exemplum proponitur. Tab. XCII. *Stellariam* delineat; nondum ſatis determinandam; Tab. CXXIII. *Aconitum lycoctonum* ſiſtit, quod conſtanter floribus violaceis aut coeruleis, nec vnquam luteis, frequentiſſime occurrit Noſtro. Rariſſimum fuit, ſemel tantum viſum Noſtro Tab. CXCII. *Splanchnum ampullaceum* LINNAEI, nouus Tab. CCXV. eſt muſcus ad Lycopodiam vel Fontinalem pertinens, Tab. CCXVI. *Circaeam* Lutetianam caule ſimplici, in vmbroſis locis creſcentem, penes nos incognitam, offert. Abſtinemus autem conſulto a pluribus, quod veri rerum aeſtimatores ex contemplatione tabularum pretium ſtatuere, et de adhibita induſtria Cl. Auctoris iudicare debeant.

III.

IOHANN FRIEDRICH HARTMANNS, *Regiſtrators bey der Königl. Churfürſtl. Hoſpitalcaſſe zu Hannover, und Correſpondentens der Königl. Societät der Wiſſenſchaften zu Göttingen, Anmerkungen über die nöthige Achtſamkeit bey Erforſchung der Gewitterelectricität, nebſt Beſchreibung eines Electricitätszeigers, vorgeleſen in der Verſammlung der Königl. Societät der Wiſſenſchaften zu Göttingen den 7. April* 1764. *Hannover, gedruckt bey Hermann Adolph Wecken,* 1764. 4. pag. 63. et Tab. 2.

i. e.

IOANNIS FRIDERICI HARTMANNI admonitiones de caute admodum indaganda tempeſtatum electricitate, vna cum Deſcriptione Indicis electricitatis, praelectae in Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis conuentu d. 7. April. 1764.

Quum aeri tonitruali electricam ineſſe vim, quae ſuis indagatoribus exitioſa eſſe poſſit, tam variis experimentis, quam potiſſimum acerba RICHMANNI, Academici olim Petropolitani, morte ſatis compertum ſit: Auctor huius libelli vtile ac laudabile cepit conſilium, viam ac rationem docendi, qua ex eiusmodi aere electricitas in alia corpora duci, et in iis colligi poſſit, vt ipſius experimenta minori cum periculo capi queant, quam id hactenus factum eſt. Ante vero quam ad id docendum adgreditur, demonſtrare allaborat, RICHMANNO fatum illud non e fulminatione, caſu tantum et ſine ipſius culpa exorta,

orta, accidiſſe, ſed e fulmine electrico, e nube fulminea in apparatum eius electricum allecto; et quae huic ſententiae a quibusdam obiecta ſunt diluit, LOMONOSOVII, Academiae eiusdem ſodalis, narratione triſtis illius eventus praemiſſa. Deinde multa refert exempla ſenſationum moleſtarum, et cum doloribus coniunctarum, quibus affecti ſunt, qui in corporibus, ſola artificioſa electricitate paullo fortiori praeditis, tractandis incautius ſunt verſati; vnde concludit, multo magis ab electricitate fulminea, apparatu electrico adiuta, timendum eſſe. Denique aperit conſilium ſuum de cautione in capiendis electricitatis tempeſtatum experimentis, cuius quidem ſumma haec eſt, eligendum eſſe ad hoc genus experimentorum locum in campo, ab omnibus aedificiis longe remotum, in quo caſula exſtruenda ſit, collocandis machinis electricis idonea, et in alio loco, ab iſto ducentos minimum paſſus diſtanti, collocandum eſſe tabernaculum, ſub quo obſeruator videre omnem apparatum electricum, et partes eius mouere ac regere per fila bombycina poſſit. Sed dimenſiones caſulae, tecti deſcriptionem, inſtrumentorum, electricitati, partim ex aere deriuandae, partim intendendae ſeruientium diſpoſitionem et connexum, eorumque, per quae ignes electrici eliciuntur, regimen, Lectores ex ipſo libello petant, quoniam harum rerum notiones ſine figurarum adiectarum contemplatione vix haberi poſſunt. Ceterum monet obſeruatores, vt caueant, ne electricitas multum augeatur arte, vbi nubes fulminans appropinquet, niſi omnem apparatum ictibus fulmineis diffractum et disiectum videre velint.

In eo indice electricitatis, quem RICHMANNVS inuenerat, hunc errorem notauit Cl. HARTMANNVS quod repulſio fili a virga metallica, cui alterum eius extremum inſertum eſt, attractione quadrantis circuli,

qui

qui in eodem plano verticali cum filo poſitus eſt, et cui alterum fili extremum valde eſt propinquum turbetur. Emendari ergo poſſe hoc inſtrumentum exiſtimauit, ſi quadrans, in gradus ſuos diuiſus, deſcriberetur in aſſere verticali, a virga vel regula metallica, cui filum lineum inſertum eſt, vno pede vel amplius diſtanti, ita vt radius verticalis quadrantis ſit in vno plano verticali cum latere regulae eo, cui inſertum eſt filum, et centrum quadrantis in recta horizontali per punctum inſertionis fili transeunte. Ne vero gradus eleuationis fili iudicaturum oculum parallaxis fallat, adiunxit regulae duas dioptras, quarum rimae horizontales lineae horizontali, per inſertionis punctum, in latere regulae transeunti, ad rectos angulos, inſiſtunt. Et quia caput obſeruatoris, per has dioptras perſpicientis, vi electricae cum regula communicatae aliquid demere poteſt, et efficere, vt vilum verſus caput declinet: hoc incommodum cauere voluit per filum tenue metallicum, altero ſuo extremo ſub pede piceo, cui regula inſiſtit, firmatum, et ita incuruatum, vt referat arcum circuli, ex puncto inſertionis tanquam centro, radio fili longitudinem excedentes, in plano verticali, in quo filum eleuatur, deſcripti. Sic emendato inſtrumento gradum virium electricarum cum regula metallica communicatae perfecte cognoſci poſſe, Auctor exiſtimat; num vere? Lectores ipſi videant.

IV. Re-

IV.

Recherches ſur la maniere d'agir de la Saignée, et ſur les effets qu'elle produit, relativement à la partie où on la fait. Par Mr. DAVID. Seconde edition *) revûe et corrigée. à Paris, chez Vallat-la-Chapelle, 1763. 12. pl. 15.

i. e.

Diſquiſitiones de venaeſectionis modo agendi et effectibus, quos illa in parte, in qua inſtituitur, producit. Auctore Cl. DAVID.

Cl. huius libri Auctor, ea ratione de effectibus maxime vſitati illius remedii, venaeſectionis, agit, vt quae hac de re celeberrimi viri SYLVA, QUESNAY et SENAC propoſuerunt, paullo curatius examinet, atque inprimis doceat, eligere locum, in quo vena ſecanda eſt, quod Cl. QUESNAY ſuperfluum putauerat, ſua vtilitate non deſtitui, ſed in variis morbis ratione et experientia confirmari. Capite autem primo de *venaeſectione eiusque effectibus in vniuerſum* diſputat, et vocabula explicat, quibus auctores ad diuerſos venaeſectionis effectus declarandos vſi ſunt. Sanguinis effluxus ſub ipſo progreſſus eius ex vena tempore, non acceleratur, ſed magis verſus finem retardatur, cum durante profluxu per arteriam, quae venae inciſae reſpondet, minor copia ſanguinis quam alio tempore transeat. Primus vero atque certiſſimus venaeſectionis effectus *euacuatio* eſt, cuius maximus in plethora vera vſus eſſe ſolet. Haec enim nonnunquam ita augetur, vt vaſa, nimium in modum p. 1.

*) Prima editio ibidem prodiit 1762.

modum diſtenta neruos comprimant, et exinde paralyſis aut, disrupto vaſe ſanguifero, in cerebro mors ſubito ſequatur.

p. 20. Alter effectus, quem inprimis Cl. QUESNAY a venaeſectione expectauit, eſt *ſpoliatio*, quo vocabulo ille inſignire voluit imminutionem humoris cuiusdam maiorem prae caeteris humoribus, qui eodem tempore ſimul cum eo per vaſa fluunt. Putabat enim ille per venaeſectionem magis imminui rubram ſanguinis portionem, quam reliquas partes, quae ſanguinem componunt, atque ſanguinis miſſionem nullam fere vim in vaſa minora, quae ſeroſos humores vehunt, habere. Quamquam vero Cl. DAVID negat, hoc ita euenire, tamen concedit, omnino poſt venaeſectionem in ſanguine copiam cruoris longe eſſe minorem, quam aliorum humorum. Hoc tamen minime oriri, a maiore cruoris in venaeſectione iactura, ſed a reſtauratione et reparatione eius longe difficiliore, quam aliorum humorum.

p. 34. Tertius, qui a venaeſectione expectatur, effectus *deriuatio* eſt. Hanc, Cl. DAVID plane negat vnquam, ſiue ligata ſit pars, in qua vena, ſecatur, ſiue non, locum habere poſſe.

p. 54. Eandem quoque ſententiam de reuulſione, quam multi pro quarto venaeſectionis effectu habent, fouet, cum reuulſio ſine deriuatione fieri non

p. 55. poſſit. Quintus tandem venaeſectionis effectus *dimotio* eſt, qua humores in aliquem locum copioſius collecti, venaeſectione inſtituta, ad alium locum transeunt. Hanc fieri poſſe Cl. DAVID concedit, licet non a deriuatione vel reuulſione oriatur, ſed a mutatione in vniuerſo ſanguinis circulo per venaeſectionem facta. Licet itaque veteres in theoretica explicatione errauerint, tamen veritas atque vtilitas electi loci in venaeſectione pro varietate morborum minime negari poteſt.

In

In fine huius capitis Cl. Auctor breuiter de effecti- bus ligaturae, quae vulgo ante venaeſectionem fieri ſolet, disputat, atque docet, per illam ſanguinis pro- greſſum etiam in ea parte venae, quae ſupra ligatu- ram eſt, retardari, preſſione ſanguinis ex minoribus vaſis adfluentis ſublata, vt itaque non ſolum in ve- nis maioribus, ſed etiam in arteriis, quae ſangui- nem ad membrum, cui ligatura iniecta eſt, vehunt, ve- ra plethora naſcatur. p. 64.

Caput ſecundum *de venaeſectione in brachio* in- ſcribitur. In eo Cl. DAVID primum effectus liga- turae, quae brachio iniicitur, explicat; deinde de illa agit mutatione, quae in vniuerſo ſanguinis per cor- pus humanum circulo, cum per quamcunque ſan- guinis euacuationem, tum in ſpecie per illam, quae ex brachii vena fit, producitur. Si ligatura non poſt breue tempus iterum ſoluitur, cordis et arte- riarum motus per illam ita acceleratur, vt ex Cl. Auctoris obſeruatione pulſuum intra minutum pri- mum numerus a 70. ad 80. vsque increſcat. In vniuerſum autem ſub ipſo ſanguinis e vena mediana effluxu copia eius, in ramis venae cauae ſupe- rioris contenti, per varias cauſſas, fuſius hic a Noſtro explicatas, ad eam multitudinem augetur, vt in his locis verae plethorae ſpecies naſcatur, et ea de cauſſa ſanguis omnino dimoueri poſſit ex partibus quas arteriae, ex aorta deſcendente ortae, adeunt. Hinc venaeſectio in brachio ſummam praeſtare dicitur vtili- tatem in morbis inflammatoriis partium inferiorum, contra in morbis inflammatoriis partium ſuperio- rum vel nocere, vel tales tantum effectus producere, quales ex imminutione maſſae ſanguineae tantum proueniunt. Et licet venae portarum mechanis- mus quodammodo efficaciam venaeſectionis, in bra- chio factae, in morbis inflammatoriis partium infe- riorum impediat, tamen illam non plane tollit. p. 70. p. 91.

 Inpri-

Inprimis autem vtiliſſima eſt in morbis vteri ſimiliumque viſcerum, quae immediate ex vena caua ſanguinem accipiunt.

p. 101. In tertio capite *de venaeſectione in pede* Cl. Auctor
ita diſputat, vt primo explicet effectus ligaturae et
pediluuiorum, quae vulgo ante ſectionem ſaphaenae
adhibentur. Horum enim ope plethora in omnibus
ramis aortae et venae cauae inferioris producitur,
ſanguinisque, qui ſuperiores partes adit, copia
p. 121. valde minuitur. Ipſa venaeſectio plethoram hanc
eadem ratione in caua inferiore auget, quá medianae
apertura eam in caua ſuperiore producebat, vt
p. 138. itaque omnino ſanguinis ex ſaphaena inciſa profluxus
in morbis inflammatoriis partium ſuperiorum
p. 144. ſummae vtilitatis ſit. Oſtendit enim Cl. Auctor Cl.
QUESNAY vehementer erraſſe, dum negabat venaeſectionem
vllam habere in vaſa cerebri efficaciam,
ſed ea copiam ſanguinis, in cerebro contenti,
non minui, quia vaſa, in eo diſtributa, non preſſioni
p. 157. aeris exterioris expoſita ſint. Vſum porro venaeſectionis
in pede in catameniorum ſuppreſſione exinde
explicat, quod per illam in vaſis vteri plethora
p. 176. producatur et ſanguinis profluxus excitetur. Similis
pediluuiorum calidorum vſus eſt. Contrarium
effectum aqua frigida, ſi pedibus vel aliis corporis
locis adplicatur, habere ſolet, vt itaque, ex obſeruatione
Cl. Auctoris, balnea calida et frigida,
ſucceſſiue diuerſis partibus adplicata, pro varietate
ſedis morbi in variis morbis, qui a plethora partiali
oriuntur, egregios praeſtare poſſint effectus.
p. 183. Declarat quoque Cl. Auctor ex ſua hypotheſi cauſſam,
cur venaeſectio in brachio noceat foeminis, quibus
catamenia profluunt, atque haud raro ſuppreſ-
p. 199. ſioni illorum anſam praebeat. Adiicit tandem huic
capiti diſputationem de modo, quo venaeſectio, in
pede facta, poſt graviorem capitis laeſionem abſceſ-

ſum

ſum in hepate producere poſſit *). Materiam enim purulentam per plethoram, quae in vaſis inferioribus venaeſectione producitur, ex partibus ſuperioribus dimoueri et ad hepar transferri oſtendit, methodumque a Cl. LOUIS propoſitam examinat, qui venaeſectionem in brachio magis commendauit.

Capite quarto disputatur *de venaeſectione in manu.* Hanc Cl. DAVID haud raro ſectioni venae medianae praefert, cum effectus eius augeatur per maniluuium, ſiue adplicationem aquae calidae ad partem, cuius vena ſecatur, cuius rei maximus vſus eſt, praecipue in morbis inflammatoriis viſcerum abdominalium. p. 245.

Capite quinto Noſter *de venaeſectione, quae in collo fit*, exponit, cuius operationis vſus ex eius ſententia nondum ſatis definitus eſt, nec vera theoria confirmatus. Compreſſio venae iugularis, quae, vt ipſa operatio eo facilius perficiatur, requiritur, inprimis nocet in morbis, in quibus cerebrum inflammatum eſt, aut vaſa eius ſanguine turgent, vel in angina, in quibus morbis ſectioni venae iugularis plures venaeſectiones in brachio vel pede praemitti debent. Porro, cum venaeſectio in collo plethoram in capite, ex cauſſis ſuperius declaratis, efficiat, ea in ipſis illis morbis, in quibus potiſſimum commendatur, nocere poteſt, qua propter eam Cl. Auctor tantum concedit, ſi venae partium illarum ita diſtenduntur, vt fere varicoſae fiant. Suadet autem, vt immediate poſt ſectionem venae huius vena etiam in pede aperiatur. Claudit hoc caput disputatio de vſu venaeſectionis in artuum amputatione. Docet autem Cl. DAVID primariam cauſſam ſym- p. 253. p. 277.

 ptoma-

*) vid. de hac re Cl. BERTRANDI in Mem. de l'Acad. de Chirurg. T. III. p. 285. Comment. noſtror. Vol. VIII. P. II. pag. 218.

ptomatum, quae artuum amputationem ſequi ſolent, poſitam eſſe in circulatione ſanguinis turbata,
p. 305. et ad illa ſymptomata praecauenda nullum remedium efficacius eſſe venaeſectione. Ea itaque ſtatim poſt amputationem, aut, quod magis Cl. Auctori arridet, ante ipſam operationem copioſius inſtituenda eſt, cum aegri, qui parum ſanguinis habeant, et debiles ſint, amputationem melius quam plethorici ſuſtineant, neque curatio eorum adeo difficilis ſit.
p. 317. Chirurgo quoque ſuadet, vt in ipſa operatione, antequam ligaturam vaſorum inſtituat, aliquam ſan-
p. 319. guinis copiam ex vaſis diſciſſis effluere patiatur. In fine tandem probat euacuationem ſanguinis ſubitaneam in morbis acutis, aut, vbi dimotionem quaerimus, longe maiorem vtilitatem habere, quam ea, quae lentius fit, atque methodum veterum, qui multum ſanguinis vna venaeſectione detrahebant, in variorum morborum initio anteponendam eſſe methodo recentiorum, qui paruam copiam ſanguinis tantum effluere ſinunt, atque venaeſectiones frequenter repetunt.

V. An

V.

An Account of the Inoculation of Small Pox in Scotland. By ALEXANDER MONRO, ſenior, M. D. and F. R. S. Fellow of the Royal College of Phyſicians, and Profeſſor of Medicine and of Anatomy in the Univerſity of Edinburgh. Edinburgh, printed for Drummond and J. Balfour, 1765. 8. pl. 7.

i. e.

Relatio de inoculatione variolarum in Scotia. Auctore ALEX. MONRO, ſen.

Cum Facultas Medica Pariſina vti ad alios medicos exteros, ita etiam ad celeberrimum Edinburgenſium Profeſſorem ALEXANDRUM MONRO, patrem, varias quaeſtiones de fatis inoculationis in Scotia transmiſerit, illiusque reſponſio ob copiam colligendorum teſtimoniorum, ad Facultatis Commiſſarios tantum poſt publicatam relationem eorum peruenerit: nunc totam hanc relationem Cl. MONRO ſeorſim publicauit, qua quidem re ob inſignem numerum egregiarum obſeruationum, quae in hac relatione continentur, optime profecto de omnibus, qui artis incrementa curae habent, promeritus eſt. Prima vero quaeſtio haec eſt: p. 2.
num inoculatio in Scotiam diu iam introducta ſit, et *qualis eius ſucceſſus ibidem fuerit?* Antiqua eſt inter incolas montoſae Scotiae partis (*Highland's*) conſuetudo, vt parentes, quorum infantes nondum variolis laborauerint, benignas cum illis communicent, dum eos in lecto cum infectis dormire iubeant, aut fila, materia varioloſa imbuta, circa artus eorum ligent.

 Ipſa

Ipſa autem variolarum inoculatio demum a. 1726. a Cl. MAITLAND ex Anglia in Scotiam introducta eſt. Cum vero paullo poſt infans, hydrocephalo laborans, poſt inoculationem periret, pauci tantum ad annum vsque 1733. inoculationem ſubierunt, quae operatio maxima tandem incrementa ab anno 1753.
p. 5. cepit. Commemorat deinde Cl. MONRO praeiudicia, quae progreſſum inoculationis in Scotia impediuerunt, illaque refutat, quod inprimis de illo argumento valet, quod deſumtum eſt a probabilitate et poſſibilitate deſtructionis contagii varioloſi. Hoc enim in morbo nimis late iam diſperſo, et contra quem nullum remedium praeſeruatorium huc vsque innotuit, minime fieri poteſt. Adducit tamen Cl. Auctor duas obſeruationes, quae oſtendunt forte iunipero ſpecificam aliquam virtutem contra variolas ineſſe. Numerum mortuorum in vniuerſum, licet id varii aſſerant, non augeri inoculatione, probat ex Edinburgenſibus catalogis mortuorum. Ex his enim, per viginti annos inter ſe collatis, patet, ab anno 1744. ad annum 1753. inter 12709. mortuos fuiſſe varioloſos 1256, et ab anno 1754. ad 1763, quo decennio multi inoculati fuerunt, inter 11613. demortuos, variolis obiiſſe 1185, vt itaque ſemper inter decem mortuos vnus ſit, quem variolae ſuſtulerint. Hoc Cl. Auctor fuſius ita explicat, vt doceat omnino inoculationis ope multos ſeruari, cum ex 71. inoculatis, in Scotia vt
p. 15. plurimum vnus tantum perierit. Ad ipſam deinde methodum inoculationis in Scotia vſitatam accedit. Infantes, morbis ſubiecti aut a parentibus talibus progeniti, ab inoculatione arceantur. Nonnulli medici infantibus ante dentitionem variolas inſerunt, alii, qui conuulſiones magis extimeſcunt, tantum poſt eam. Vt plurimum vernali vel autumnali tempore inſtituitur, interim in quadam inſula Scotiae ſeptem-

ſeptemtrionalis 112. infantes, media hieme inoculati, durante morbo magnum frigus, ſine vllo damno, perpeſſi ſunt. Ante inoculationem leuiſſimum tantum purgans exhibetur. Nonnulli aethiopem mineralem adhibent, quem tamen Cl. Auctor vt inutile medicamentum reiicit. Pus ex infantibus ſanis deſumatur, ipſaque inciſio non nimis profunda fiat, cum alias facile intumeſcat et inflammetur. Sola frictione cutis, cum materia va- p. 20. riolosa facta, quidam medicus variolas communicauit, alius vero ope fili, materia varioloſa imbuti, cuti illaeſae adplicati. In omni inoculatione poſt aliquot dies noua materia in vulnus immittitur. Eruptio vt plurimum a ſexto poſt inoculationem die ad 14. vsque fit. Qui variolis artificialibus laborant, in vniuerſum melius ſe habent, quam ii, qui naturalibus variolis corripiuntur, obſeruatumque eſt, numerum inoculatorum auctum in vniuerſum totius epidemiae malignitatem minuere. Qui ex inoculatis moriuntur, vt plurimum pereunt ſub ipſa puſtularum eruptione aut poſt illam ſecundo vel tertio die conuulſionibus, vel exſiccationis tandem tempore eryſipelate accedente. Potiſſimum medicus diaetae rationem habere et reliquam curationem varietati ſymptomatum accommodare debet. Nonnulli p. 25. ex inoculatis febrem varioloſam ſine variolis experti ſunt. Ex 12. infantibus, in quibus inoculationis operatio intra duas priores a natiuitate eorum ſeptimanas adminiſtrabatur, nullus variolas expertus eſt, ſed in nonnullis tantum eryſipelatis ſpecies ſe, eo tempore, quo variolae erumpunt, manifeſtauit.

Quo autem eo melius Cl. MONRO ad alte- p. 26. ram quaeſtionem reſpondeat, *num ſcilicet nonnulli ex inoculatis mortui ſint?* indicem affert eorum, qui a decem abhinc annis inoculati fuerunt, numerumque mortuorum adſcribit; ex quo patet, ex

5626. inoculatis periiſſe 72, qui numerus eſt $\frac{1}{78}$ totius numeri. Inter 600. infantes, quos Cl. SUTHERLAND inoculauit, vnus tantum periit. Inter hos autem 72. qui in Scotia demortui ſunt, 36. erant, ex quorum morbi hiſtoria patet prauam conſtitutionem, tempus minus aptum, regimen peruerſum, naturalem infectionem aut alios morbos ſuperuenientes, non autem inoculationem, mortis cauſſam fuiſſe, vt itaque 36. tantum variolis artificialibus occubuerint, qui numerus ad totam inoculatorum multitudinem eſt, vti 1. ad 156.

p. 41. Tertia quaeſtio haec eſt: *num ex iis, qui variolas artificiali contagio acceperant, aliqui iterum naturali contagio affecti ſint?* quod Cl. MONRO negat, cum in omni Scotia inter tot inoculatos nunquam hoc obſeruatum ſit, licet haud raro de nouo materia varioloſa corporibus adplicata fuerit, quod etiam de naturalibus variolis valet, quae ex Cl. Auctor. obſeruatione nunquam hominem bis aggrediuntur.

p. 43. Ad quartam quaeſtionem, *num inoculatione alii quoque morbi inoculatis communicati fuerint*, etiam negatiue Noſter reſpondet. Vnicum forte exemplum de eryſipelate ita prorogato adduci potuiſſet. Forte tamen non varioloſa materia, ſed alia quaedam cauſſa contagium propagauit.

p. 45. Quinta quaeſtio verſatur *circa morbos et ſymptomata, quibus inoculati obnoxii eſſe ſolent.* Concedit Cl. Auctor vulnus nonnunquam inflammari, tumores in glandulis ſubaxillaribus naſci et abſceſſus quoque gigni, haec tamen omnia curationi non multum reſiſtere affirmat. Infans, cum quo inoculatione contagium communicabatur, loco variolarum abſceſſu ſub axilla afficiebatur, neque deinceps variolas perpeſſus eſt, licet ſaepius inter eiusmodi aegros verſatus ſit. Conuulſiones quoque in eruptionis et exſiccationis tempore obſeruantur, atque nonnunquam

quam funeſtae ſunt. Poſt variolas artificiales haud raro eryſipelas remanet, qui tamen haud difficulter diſſipatur. Alia ſymptomata ex aliis cauſſis procedunt. In vniuerſum enim haud pauci infantes, qui antea debiles et multis morbis afflicti fuerunt, poſt inoculationem vegeti fiunt, neque ſymptomata, hactenus recenſita, in artificialibus variolis ſaepius, quam in naturalibus, ſed potius longe rarius obſeruantur. p. 52.

VI.

Traité de l'Oeconomie animale et des cauſes premieres des Maladies, avec un Recueil d'Obſervations ſur l'Art de traitér la petite Vérole. Par M. le Docteur T***. à Geneve, 1763. 12. pl. 15.

i. e.

Diſſertatio de oeconomia animali et primis morborum cauſſis, cum collectione obſeruationum de methodo variolis medendi. Auctore Cl. T***. Doct. Med.

Duae diſſertationes in hoc libro, qui diu forte latuit atque nunc demum in lucem editus eſt, continentur. In priore, praemiſſa breui tractatione de partibus ſolidis et fluidis corporis humani in vniuerſum, Cl. Auctor ſtatim morbos eorumque cauſſas conſiderat, primumque de morbis, qui cum febre ſunt, deinde de chronicis, in quibus vt plurimum viſcus aliquod obſtructum eſt, agit. Febris ex fermentatione humorum aucta prouenire dicitur, particulis ſcilicet ad fermentationem aptis, quae in lymphatica ſanguinis parte continentur, in motum du- p. 22.

 ctis.

ctis. Hinc magnitudo febris pendet a copia morbificae huius materiae, quae vel ſubito humorum maſſae admiſcetur, vel lente in ea colligitur. Si huius materiae euolutio a primo morbi initio vsque ad eius finem ſemper continuatur neque interrumpitur, continua febris naſcitur, ſi vero nonnunquam euolutio haec ad tempus ceſſat, morbus characterem febris intermittentis habet. In febribus, praecipue vero in intermittentibus, mediante febrili motu, morbifica materia ex lymphatica ſanguinis parte extricatur, atque ad glandulas primarum viarum defertur, vnde eiicienda eſt. Atque ex hac hypotheſi Cl. Auctor non ſolum praecipua, quae in febribus intermittentibus obſeruantur, ſymptomata explicat, ſed etiam huic methodum ſuam curandi febres haſce accommodat. Cum enim materia morbifica in glandulis primarum viarum ſedem ſuam habeat, praecipua curatio in euacuantium vſu conſiſtit.
p. 49. Duplici tamen cautione in vomitoriorum et purgantium vſu opus eſt, ſcilicet vt humores prius attenuati, et vaſa ipſa non nimis rigida, aut humoribus nimium in modum turgida ſint. Vterque finis diluentium et venaeſectionis ope obtinetur. Dum vero Cl. Auctor verum purgantium et vomitoriorum vſum paullo curatius definire ſtudet, inprimis Hippocraticum illud explicat: concocta purgare oportere, non cruda, neque
p. 62. in principiis, niſi turgeant. In ipſis quoque continuis febribus copioſus ſaepiusque repetitus purgantium vſus requiritur, in quo tamen etiam ad praegreſſam humorum euolutionem vaſorumque euacuationem attendendum eſt.
p. 69. In morbis contra inflammatoriis humorum copia minuenda, vaſa euacuanda et obſtructa vaſa ſecretoria atque excretoria reſeranda ſunt, qua in re diluentium et venaeſectionis vſus ſummus eſt. Atque hac occaſione Cl. Auctor

ctor fuſius de venaeſectionis vſu disputat, crebrioremque et nimis amplam venaeſectionem inprimis in plethora vera reiicit, magis tamen eam concedit in plethora ſpuria, in qua humores facilius iterum turgeſcunt, neque tantum periculum ab inanitione vaſorum extimeſcendum eſt. Deinde agit de deri- p. 100.
uatione et reuulſione, quae per venaeſectionem fit. Venaeſectio in pede inſtituta in morbis inflammatoriis capitis reuulſiua eſt, vti ea, quae in brachio vel collo fit, in morbis inflammatoriis infimi ventris ſimilem vſum habere ſolet, in quibus venaeſectio in pede nocet, cum ſanguinis fluxum magis adhuc ad has partes alliciat. Varios tamen caſus adducit, vbi venaeſectio in pede etiam in diſpoſitione inflammatoria et infarctu viſcerum infimi ventris non modo haud nocet, ſed etiam proficua eſſe ſolet. Deinde p. 116.
tranſit ad morborum chronicorum cauſſas, quas, vti diximus, ſemper ex obſtructione viſceris cuiusdam oriri putat. Expoſita itaque glandularum ſtructura, mechanismum ſecretionis ita explicare ſtudet, vt hypotheſibus de fermentatione, et pororum diuerſa magnitudine et figura refutatis, Winslouianam tandem aſſumat. Progreditur porro ad cauſſas obſtructionum et reſoluentium medicamentorum vſum, ex quibus talia eligenda eſſe putat, quae analogiam et relationem habeant ad humoris, qui viſciditate ſua obſtructionem produxit, naturam. Reſoluentibus vero ſemper praemitti debet venaeſectionis et purgantium vſus.

In poſteriore diſſertatione, quae obſeruationes p. 167.
circa variolas continet, Cl. Auctor ad doctrinam, quam de febribus propoſuit, etiam curationem variolarum accommodat. Variolarum in vniuerſum ſeptem vel octo ſpecies deſcribit, discretas ſcilicet benignas, discretas malignas, vbi febris maligna cum variolis coniuncta eſt et discretas alias malignas, vbi

febris

febris maligna morbus primarius eſt, et variolae tantum ad eam accedunt. Confluentes vel ſimplices ſunt, vel malignae, puſtulis cryſtallinis vel nigris, vel maculis eryſipelaceis inter puſtulas diſperſis vel puſtulis pluribus in vnam magnam maſſam confluentibus, quae vltima ſpecies maximam cum discretis analogiam habet, neque adeo maligna eſt,
p. 193. vt reliquae, inprimis nigrae. Speciebus enarratis Cl. Auctor ad cauſſam proximam variolarum procedit, quam in fermentatorio lymphae motu ponit.
p. 201. Deinde de prognoſi et ſignis, quae felicem vel funeſtum exitum praenuntiant, agit, tandemque ad me-
p. 224. thodum medendi progreditur. Laudat vero inprimis venaeſectionem, quam in morbi principio ante eruptionem in aegris omnis aetatis inſtituit, quo cerebri inflammatio praecaueatur. Deinde vomitorium ſtatim poſt venaeſectionem adhibet, quod purgantibus adhuc praeferri meretur. Illorum autem euacuantium ope fermenti pars, quae ad inteſtina tranſit euacuatur, et puſtularum in cute eruptio
p. 243. adiuuatur. Quod ad ſpecialem tractationem de methodo diuerſas variolarum ſpecies curandi attinet, de eo pauca hic adduci poſſunt. Monuiſſe tantum ſufficiat, Cl. Auctorem pro varietate ſymptomatum venam frequentius aut minus frequenter ſecare, vomitumque crebrius excitare, in quorum remediorum vſu praecipua methodi huius vis poſita eſt.

VII.

VII.

D. IOHANN THEODOR ELLERS, *weyl. Jhro Königl. Majeſtät in Preuſſen würklichen geheimden Raths und erſten Leibmedici, wie auch des Obercollegii Medici Präſidentens und der Akademie der Wiſſenſchaften zu Berlin Mitgliedes, vollſtändige Chirurgie, oder gründliche Anweiſung, alle und iede äuſerliche Krankheiten des menſchlichen Körpers zu heilen. Berlin, bey G. A Lange,* 1763. 8. 2 Alph. 9 pl.

i. e.

IOANN. THEOD. ELLERI, M. D. Chirurgia completa ſiue accuratior inſtitutio de ſanandis quibuscunque externis corporis humani morbis.

Opus hoc poſthumum Cel. ELLERI videtur nobis maxime in vſum lectionum chirurgicarum ante plures annos conſcriptum eſſe. Ita vero tota haec inſtitutio diuiſa eſt, vt prima pars, de tumoribus, altera de vulneribus et fracturis, tertia de vlceribus et fiſtulis, tandemque quarta de herniis et luxationibus exponat. Quae ad doctrinam de natura morborum eorumque differentiis pertinent, ea magna cum cura elaborata ſunt, breuior tamen, quam optamus et exſpectauimus, Cl. Auctor in tractatione de medendi ratione fuit, quod inprimis de deſcriptionibus operationum a chirurgo inſtituendarum valet. Varias quoque morborum ſpecies fruſtra in eo quaeſiuimus, in quibus tamen nonnunquam omne fere auxilium a chirurgo petendum eſt, v. c. morbos oculorum; neque negari poteſt recen-

tiorum

tiorum inuenta bene multa in eo deſiderari, cuius rei exemplum agarici vſus in haemorrhagiis praebet, de quo plane Cl. Auctor ſilet. Quae vero omnia probant, opus minime abſolutum diuque iam conſcriptum, neque poſtea ab Ill. Auctore correctum fuiſſe. Ea vero ratione de ſingulis morbis in ſpecie agit, vt primo diuerſa nomina eorumque ſignificationes magna cum cura explicet, diuerſitatemque ſpecierum morbi cuiuslibet exponat. Agit deinde de cauſſis morborum, eorumque therapia, diuerſis indicationibus in ea formandis, et medicamentis variis tam interne quam externe adhibendis. In fine ſingulorum capitum catalogum diuerſarum methodorum et remediorum ſpecificorum adnectit, quae a variis auctoribus, inprimis HILDANO, PARAEO, SCULTETO aliisque huius aeui ſcriptoribus etc. laudata fuerunt. Optandum tamen eſſet, vt therapeutico ordine Cl. Auctor haec omnia diſpoſuiſſet, non chronologico, quod tironibus forte maiorem vtilitatem, addita inprimis breui harum methodorum diiudicatione, attuliſſet.

VIII.

VIII.

ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ Θηριακὰ καὶ Ἀλεξιφάρμακα. NICANDRI *Theriaca et Alexipharmaca.* IOANNES GORRHAEVS latinis verſibus reddidit, italicis vero, qui nunc primum in lucem prodeunt, ANT. MAR. SALVINIVS. Accedunt variantes codicum lectiones, ſelectae adnotationes, et graeca EVTECNII ſophiſtae metaphraſis, ex codicibus Mediceae et Vindobonenſis bibliothecae deſcripta, ac nondum edita, curante ANG. MAR. BANDINIO, I. V. D. S. C. M. Regio Mediceae bibliothecae et pub. Marucellianae Praefecto. Florentiae, ex officina Moückiana, 1764. 8. 1. Alph. 5½ pl.

Etſi propemodum ſatis erat titulum huius editionis repetiiſſe, ea tamen ſeparatim indicabimus, quae noua inſunt et praecipua. Subiecta eſt cuique paginae varietas lectionis, e codice Mediceo et Riccardiano; de quibus ſi BANDINIVS iudicaſſet, vtilior foret materia futuro editori. Acceſſit verſio italica SALVINII, de cuius vel vtilitate, vel bonitate, ſententiam non pronunciabimus, cum ad editionem veteris ſcriptoris non neceſſaria videatur. Longe notabilius eſt tertium additamentum, EVTECNII metaphraſis, iam a FABRICIO in bibliotheca graeca memorata, ſed nunc primum e codice Mediceo et Vindobonenſi, quem BIANCONVS deſcripſerat, ſic edita, vt prior pars, quae aberat a Mediceo libro, e Vindobonenſi, poſterior e Mediceo imprimeretur, varietate tamen Vindobonenſis codicis notata, interdum etiam breuibus animaduerſionibus adiectis. Multis quidem locis mutila

eſt

eſt metaphraſis; ſed BANDINIVS non niſi bis, ni fallimur, lacunas coniectura fretus expleuit. Saepe numero aperte corrupta fuit codicum ſcriptura, quod ipſum accurate ſeruatum eſt, vt omnino haec metaphraſeos editio archetypi locum tenere poſſit. His ergo praeſidiis ſubuentum eſt NICANDRO in hac editione, cui hoc nomine laudem non tribuere non poſſumus. Verum ſcholia graeca, plane omiſſa, haud dubie nonnulli reperire malent, quam SALVINII verſionem, cum NICANDER ideo edi videatur, vt intelligatur, quod ſine ſcholiis non commode fieri poteſt. Nullus additus eſt index, nulla item animaduerſio philologica: nam ſelectas adnotationes, in titulo promiſſas, reperire non potuimus: nec de NICANDRO aliud diſputatum vidimus, praeter ea, quae FABRICIVS iam collegerat. Integer commentarius Gorraeanus repetitus eſt. Sed, vt diximus, proderit varietas lectionis et EVTECNIVS futuro editori, qui ſi NICANDRO contigerit, vehementer optamus, vt ea, quae de natura huiusmodi carminis a doctis viris expoſita ſunt, in vſus ſuos conuertat, adiumenta poetica, quibus erigere tenuiſſimum carmen NICANDER voluit, diligenter obſeruet, ingenium poetae deſcribat, eumque cum Callimacho et Virgilianis Georgicis comparet.

IX.

NICOLAI IOSEPHI IACQVIN Enumeratio ſtirpium plerarumque, quae ſponte creſcunt in agro Vindobonenſi, montibusque confinibus. Accedunt obſeruationum Centuria et appendix de paucis exoticis. Cum tabulis aeneis 9. Vindobonae, impenſis, Ioannis Pauli Kraus, 1762. 8. 21½ pl.

Nondum forſan e lectorum noſtrorum animis deletam eſſe arbitramur commendationem, qua haud ita pridem IACQVINI in definiendis deſcribendisque vegetabilibus induſtriam probauimus, cum praeſtantiſſimum eius opus, ſtirpium in America ſelectarum hiſtoriam complectens, indicauerimus *). Iam eo quidem tempore, praeſens haec plantarum ſponte in agro Vindobonenſi creſcentium enumeratio edita erat, et licet hinc commemoratio eius diutius quodammodo retardata ſit, tamen confidimus, eam et ſero paulisper datam adhuc fore delecturam. Quas nimirum per duos annos in agro Vindobonenſi, et adiacentibus Auſtriae montibus, pratis vallibusque detexit plantas IACQVINVS, eas in hoc opere ita collectas enumerat, vt in compendio florae circa Viennam theſauros indicet, et hanc quoque orbis regionem botanicis notiorem reddat. In recenſendis autem, definiendis denominandisque hiſce plantis vbique LINNAEVM ſequutus eſt, nouiſſimam ſyſtematis naturae editionem, ſpeciesque plantarum, tanquam filum ariadnaeum ſuae disquiſitionis ſibi eligens, vnde factum, vt eundem in recenſendis generibus ordinem, eademque in

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XII. P. II. p. 226 ſqq.

in diſtinguendis ſpeciebus ſic dicta nomina triuialia LINNAEI reperiamus; interdum tamen, licet rarius in characteribus deſcribendis a LINNAEO quodammodo recedit, ſi nimirum per accuratam plantae disquiſitionem, LINNAEI deſcriptionem vel limitandam, vel corrigendam eſſe edoctus fuit.
p. 15. Sic v. c. *Cynoſurum coeruleum* LINNAEI ad Airae genus retulit, quoniam bracteis deſtituitur, et in reliquis quoque proprietatibus a Cynoſuro differt.
p. 19. In *Poa aquatica* non ſemper ſpiculas ſexfloras, interdum etiam decem ſe inueniſſe teſtatur. In *arundine Calamogriſti* nunquam culmum ramoſum vidit, licet LINNAEVS ex eodem characterem, ſpeciem hanc diſtinguentem, deſumſerit. *Sagina procumbens* in natali ſolo disquiſita, nunquam, optimo etiam microſcopio luſtrata, petala habuit, cum tamen in horto culta, altero plerumque anno albida eiusmo-
p. 62. di conſpicienda ſuppeditauerit. Nouae quoque *Rumicis* ſpeciei mentionem fecit, quae de reliquo ſummam cum *Rumice Acetoſella* affinitatem habet, ab ea tamen foliis ſubrotundis haſtatis iuxta
p. 66. mentem Auctoris diuerſa eſt. *Polygonum amphibium* quando extra aquam creſcit, ſtamina gerit ſemper corolla longiora, in paludibus vero et foſſis repertum ſtamina fert petalis ſemper breuiora. In *roſa ſpinoſiſſima* non ouatum, qualem LINNAEVS aſſerit, ſed vere globoſum fructum obſeruauit. Quae autem in aliis nonnullis plantis notatu digna detexit, ea adiectae obſeruationes indicant, in quibus quasdam plantarum ſpecies accuratius deſcribere, iconibusque a ſe ipſo delineatis illuſtrare ſtuduit, quorum etiam quaedam exempli loco commemoraſſe
p. 205. haud poenitebit. Nouam nimirum *Valerianae* ſpeciem, quam *elongatam* dicit, depingi curauit, cui flores triandros, folia dentata ſubouata ſumma baſi haſtata inciſa, paniculamque elongatam adſcripſit.

Hera-

Heracleum anguſtifolium tab. II. delineatum a con- p. 217.
generibus, habitu aſpero, foliisque ternatis extimo
quinquefido, laciniis oblongis, acuminatis differt.
Loranthus europaeus, quem tab. III. ſiſtit, floribus p. 230.
praecipue dioicis, et racemis omnibus terminalibus
ſimplicibus, a reliquis ſpeciebus ſeſe diſtinguit;
planta ipſa eſt paraſitica, cum radix viſci ad inſtar
quercuum in ramis innaſcatur. Duas *Iunci* ſpecies p. 236.
tab. IV. continet, quarum vna ob culmum folio-
ſum, glumamque ſubunifloram, nouam ſpeciem ex-
hibet, altera vero cum *Iunco* biglumi, a LINNAEO
deſcripto delineatoque maxime conuenit, niſi quod
capitulum ſubquadriflorum habeat. Nouum *Pel-* p. 260.
tariae genus a IACQVINO ita dictum, quoniam ſi-
liculae peltae quaſi figuram repraeſentant, ad plan-
tarum naſturtinarum familiam pertinet, ab omni-
bus tamen ſiliculis potiſſimum ſubrotundo compreſ-
ſo planis, vnilocularibus, nec in terra quoque de-
hiſcentibus, ſed rumpendo radices emittentibus in-
ternoſcitur. *Carduus pygmaeus* a LINNAEO ad
Cnici genus relatus, et a Noſtro tab. VIII. delinea-
tus caulem habet vniflorum, calycem inermem, fo-
liaque linearia confertiſſima. Vltima tandem tabula p. 295.
ſiſtit *Ophryn* ſic dictam *alpinam* LINN. cui Noſter
radicem ex duobus bulbis ſubouatis ſupra radicatis,
folia radicalia filiformia numero quatuor - octo, ſca-
pum nudum longitudine foliorum, flores laxe ſpica-
tos, et luteo virentes, petala 5. exteriora ouata,
interiora lanceolata in galeam conniuentia, nectarii
labium inferius ouatum obtuſum, longitudine co-
rallae integerrimum vel obſolete trifidum ad-
ſcribit.

Coronidis tandem loco duodecim exoticas plan-
tas, partim in horto botanico Vindobonenſi cultas,
partim ab Auctore in Americae inſulis disquiſitas,
accuratiſſime deſcribit. *Amomi Zerumbet* LINN. p. 301.

 cum

cum bis iamiam in horto Vindobonenſi floruerit, characterem clarius expoſuit, qui caeterum in eſſentialibus cum LINNAEI deſcriptione conuenit. In *Diapenſia heluetica* calycem obſeruauit perſiſtentem pentaphyllum, et corollam vt in Androſace; fructus vero, qui a calyce complectitur, ſemina perpetuo quinque continet et vnilocularis quinquevaluis eſt, indicare Noſtro videtur, praeſentem plantam non commode cum Diapenſia, Aretia, aut Androſace LINNAEI poſſe combinari. In *Drypi ſpinoſa*, cui LINNAEVS olim 10. antheras attribuit, IACQVINVS repetito florum examine quinque modo
p. 306. ſtamina longitudine corollae inuenit. *Bromelia humilis* noua eſt ſpecies, quae ſubacaulis, floribus aggregatis ſeſſilibus ex axillis prolifera dicitur, et a Karata PLVMIERII ſtolonibus, quos emittit, craſſis, breuibus, foliolisque paruis veſtitis, a Bromelia Pinguin autem floribus absque vllo pedunculo ſeſſilibus diſtinguitur. *Agaue aſpera* corollis hexapetalis a reliquis omnibus congeneribus internoſcitur. De *Agaue americana* ſingularem addidit obſeruationem, quod nimirum hortulanus quidam Vindobonae, vbi aliquoties iamiam floruit, poſt florum interitum, plantam ſcapo ſuo adhuc inſtructam ita in ampliſſimo caldario conſeruauerit, vt ſubſequenti anno ex eodem veterano ſcapo innumeros nouos flores, maturosque fructus protulerit. Tres Aloes ſpecies ſecundum characteres ſuos fuſius deſcripſit, *Guineenſem* nimirum, *Zeylanicam*, et *fragrantiſſimam*, quas
p. 311. omnes LINNAEVS ad *Aletris* genus retulit. *Colutea perennans* diuerſa videtur eſſe ſpecies a Colutea herbacea, quacum caeterum maxime conuenit, niſi quod legumina duplo ſint minora, ſtigma vero obtuſum, villis circulariter ciliatum. *Lycopodium dichotomum*, quod in montoſis humidis locis Martinicae

Noſter

Noſter inuenit, habitu vere dichotomo, foliis integerrimis, ſparſis ſpicis folioſis euidentiſſime nouam huius generis ſpeciem praebere videtur.

X.

NICOLAI IOSEPHI IACQVIN Obſeruationum botanicarum, iconibus ab Auctore delineatis illuſtratarum, Pars I. Vindobonae, ex officina Krauſiana, 1764. fol. pl. 7½. tab. aen. 25.

Poſtquam Cl. IACQVIN varia hactenus ſpecimina, laborem ſtudiumque eius in re botanica luculenter ſatis comprobantia promulgauit: ſedulo de continuando incepto cogitauit, bene recordans, plures adhuc ſupereſſe plantas, in prioribus iam ab eodem editis ſcriptis vel plane praetermiſſas, vel ſaltem diligentiori poſthac ſuſcepta disquiſitione accuratius deſcribendas. Laudabile propterea iniit conſilium, ſuas in vegetabili regno hucusque inſtitutas, vlteriusque inſtituendas obſeruationes per partes orbi erudito tradendi, ita tamen, vt in recenſendis deſcribendisque plantis nullius ſequatur ſyſtematici ſcriptoris ordinem, potius ex ſuo arbitrio obſeruationes in plantis factas, ſine ſeruata ſyſtematis lege enumeret. Et ſicuti quamlibet harum obſeruationum partem viginti quinque tabulis aeneis ſe decoraturum eſſe Noſter ſpopondit, ita et prima haec pars totidem ab eo ipſo delineatis iconibus exornata conſpicitur. Continentur vero in eadem quadraginta plantae, ab Auctore partim in Americae inſulis detectae disquiſitaeque, partim ab aliis quidem deſcriptae, a Noſtro autem accuratiori in horto Vindobonenſi cum

iisdem inſtituto examine, melius determinatae, et ad conuenientia ſua genera relatae. Nos vero, qui ſingula fuſius haud poſſumus recenſere momenta: ad nonnulla ſaltem eaque notatu prae reliquis digniora, noſtram directuri attentionem, praecipua egregii huius quoque operis indicaturi ſumus contenta.

p. 2. *Cytiſus Caian*, ſponte in Angola vicinisque Africae prouinciis proueniens, in Martinica autem inſula copioſiſſime ad agrorum ſacchariferorum limites ſata arbuſcula, ſeminibus ſuis alimentum ſeruis pauperibusque ſuppeditat, ſanitati quam maxime conducens, non ſolum enim iis ad varia fercula appoſitis ſummo cum oblectamento veſcuntur, ſed etiam farinam ex inde praeparant incolae, ad varia panificia paranda aptiſſimam. Praeter amplam *Theobromatis Cacao* deſcriptionem botanicam, quam Noſter exhibuit, ſtupendos quoque ex fructibus huius arboris ad incolas redundantes prouentus indicare ſtuduit; vnica enim et tenella e horto regio Pariſino in Martinicam translata *Cacao* arbuſcula, poſt triginta et, quod excurrit, annos, multiplicando ſeſe tam innumerae prolis foecunda facta eſt genitrix, vt anno quinquageſimo ſexto, quo Auctor in Martinica degit, ex ſola hac inſula, fructuum horum centies et octogies millia centenarum librarum in Europam transmiſſa fuiſſe teſtetur. *Gratiolam Monnieriam* licet EHRETVS iamiam depinxerit, IACQVINVS tamen eam, in natali ſolo disquiſitam, hic aeri incidi curauit, ignorans, iam apud EHRETVM huius plantae extitiſſe figuram. Flores eius ſemper niueos vidit, etiamſi SLOANEVS
p. 8. coeruleos ei adſcripſerit. Ex *Ariſtolochiae* genere duas ſpecies, non quidem nouas, accuratius tamen determinatas recenſuit iconibusque illuſtrauit, ſic dictam nimirum *trilobatam* et *peltatam*. In priori flores

flores maximi, et ſingulari ratione incuruati ſunt, planta ipſa longis ſarmentis lupuli ad inſtar vicinis ſeſe adnectit arboribus, et ab aethiopicis ſeruis medicisque caro pretio aegris tanquam febrifuga propinatur. Poſterior flores habet longiſſimos, longis in fauce pilis ferruginei coloris obſeſſos, folia gerit peltata, quae renis formam habent. *Anonae* quatuor ſpecies deſcripſit, quarum tres additis iconibus illuſtrauit. Iam quidem SLOANEVS, VAN RHEEDE, COMMELINVS, MERIANA aliique, arborum harum ſpecies ſatis ſuperque determinarunt, et quamlibet figuris delinearunt; nihilominus tamen Cl. Auctor non fruſtraneum ſe ſuſcepiſſe arbitratur laborem, quo plura ſupereſſe autumat momenta, deſcriptiones iconesque aliorum quodammodo adhuc illuſtratura; quapropter *muricatam*, *ſquamoſam*, et *reticulatam* ſufficientibus determinauit characteribus, easque in ipſo natali ſolo, Caribaeis vt plurimum inſulis delineauit; nouam ſimul huius generis addidit ſpeciem, mucoſam triuiali nomine dictam, quam rarius in Martinicae ſyluis reperiit. Habitu quidem *reticulatae* ſimillima eſt, corolla tamen baſi in vnum ſubrotundum, nec vllatenus diuiſum corpus excreſcens, pileique quaſi figuram repraeſentans, eam a reliquis congeneribus euidenter ſatis diſtinguit. De *Pipere pellucido* notauit, Martinicenſes folia eius colligere, et vel ſola, vel cum aceto oleoque condita commedere; *Piper* autem *rotundifolium*, gratiſſimo et analeptico ſuo odore ſeſe commendans, egregiam et vere aromaticam praebere aquam deſtillatam. *Sida abutiloides*, tab. 7. delineata, noua eſt ſpecies, cuius ſemina IACQVINVS ex America ſecum attulit, et ex iis, in caldario horti Vindobonenſis ſatis, flores fructusque quotannis accepit. Tota planta denſiſſimo ex viridi albicante tomento obducitur, et

p. 16.

holoſericeam habet mollitiem, in foliis tamen calycibusque hoc tomentum rarius quodammodo ſubtiliusque deprehenditur. Caulis ad altitudinem quatuor pedum excreſcit, et ſicuti tota planta, annuus eſt; folia gerit cordata, crenata, inque longum attenuata acumen, petioli vtrinque ſuffulciuntur ſtipula ſubulata erecta, pedunculi ſunt vniflori, axillares, eandemque cum petiolis habent longitudinem, calyx eſt profunde pentagonus, et flauam maximeque expanſam aliquantum exſuperat corollam, capſulae decem acuminatae, terna vtplurimum includunt ſemina rugoſa. Duae *Coccolobae* ſpecies, *barbadenſis* nimirum et *emarginatae*, totidem delineantur tabulis, et ita inter ſe diſtinguuntur, vt priori folia oblongo-ouata, obtuſe acuminata, nitida, vndulata, poſteriori vero ſubrotunda, inciſo-emarginata adſcribantur. *Paullinia mexicana* eundem floris characterem habet, qualem *Paulliniae triternatae* in ſtirpium americanarum hiſtoria Auctor adſcripſit, differt modo habitu ſcandente et aculeatiſſimo, et nectario floris, non ex quatuor, ſicuti in triternata, ſed duobus ſolummodo, aſt duplo latioribus foliolis conſtante. De *Paullinia tomentoſa* itidem loco iam citato IACQVINVS expoſuit, quo vero tota planta conſpiciatur, racemum fructibus maturitati proximis refertum tab. 10. ſimul addit, qui in alia iam tum data figura deficit. *Ehretia dubia* noua videtur eſſe ſpecies, quam Auctor vnica ſaltem vice in Iamaica menſe februario florentem inuenit; arbuſcula quinque pedum altitudinem floresque paruos ſordide albicantes plures ſimul prope extremitates ramuſculorum aggregatas habuit. Florum character plantam ad Ehretiae genus pertinere indicare videbatur, cum tamen fructus eo tempore deficeret, Auctor hanc ſpeciem tam diu dubiam reliquit, donec alia fructum quoque disquirendi occaſio ge-

nus

nus magis determinabit. *Arabis bellidifolia* tab. 12. depicta, nullatenus *Cardamine bellidifolia* LINNAEI atque HALLERI eſt, quantumuis hi viri eadem ſynonyma ex CLVSIO et BAVHINO in determinanda planta adduxerint, qualia Noſter indicauit. Nunquam enim in Auſtriae regionibus Cardaminem bellidifoliam LINNAEI Auctor reperit, neque ipſa icon a LINNAEO in Flora Lapponica data, cum praeſenti aliquam demonſtrat affinitatem, CLVSII vero figura vtpote optima hanc potius Arabim, quam LINNAEI Cardaminem repraeſentat. Noſtra enim planta folia habet ſubdentata, radicalia lanceolato-cuneiformia, caulina lanceolata, circa apicem caulis ſeſſilia, et, vt Auctor putat, ad Arabis genus magis, quam ad Cardaminem debet referri. In deſcriptione *Scabioſae ſyluaticae* notat Cl. Auctor, duplicem in LINNAEI ſpeciebus irrepſiſſe errorem, typographum forte, in adducendis ſynonymis ex CLVSIO ſeſe manifeſtantem. Haec enim ſcabioſa ſyluatica aliquam cum integrifolia habet affinitatem; LINNAEVS autem in deſcribendis vtrisque ſpeciebus, ſynonyma ex CLVSIO citauit, attamen ſyluaticae illud attribuit, quod integrifoliae competit, et ita vice verſa rem peregiſſe cenſetur. *Scopola Carniolica* nouum, nec a LINNAEO hucusque aſſumtum genus, et in honorem Cl. SCOPOLI ita dictum, quoad habitum, floriſque colorem cum Belladonna conuenit, differt tamen fructu potiſſimum ſiſtente capſulam ſubrotundam, calyce inflato exceptam, bilocularem, vna cum pedunculo et calyce decidentem, poſt lapſum demum tranſuerſim dehiſcentem. *Dolichos minimus* inter fruticeta Caribaeenſia ſponte creſcens, a Curacauienſibus herba contra verrucas appellatur, quoniam folia cum ſale tuſa, verrucisque impoſita, iis mederi creduntur. Videtur auctoris figura ab icone LINNAEI in

p. 22.
p. 28.
p. 34.

horto Cliffortiano data quodammodo diſcrepare, diuerſum clima et ſolum aliquam forſitan in habitu
p. 40. plantae mutationem produxerunt. *Malpighia altiſſima* noua eſt ſpecies, quam Auctor in ſyluis martinicenſibus reperiit, folia gerit lanceolata, glabra, integerrima, racemosque terminales erectos, flauos et ſuaueolentes flores ſequuntur fructus, baccam flauam, mollem, ceraſo minorem, ſaporeque acido ingrato praeditam ſiſtentes.

Hiſce obſeruationibus adiectae ſunt plantae, in enumeratione vegetabilium agri Vindobonenſis ab Auctore noſtro omiſſae. Paucae inter eas ſunt nouae, nec ab aliis iam deſcriptae ſpecies, niſi *Poam diſtantem*, *Myagrum*, et *Polypodium auſtriacum*, *Arabimque bellidifoliam* excipimus. In fine tandem huius operis nonnullas in eadem Vindobonenſi flora commemoratas plantas Noſter indicauit, quarum deſcriptiones ibi datae aliquam exigere videntur correctionem. *Anthericum* v. c. *pſeudoaſphodelus*, eſt *anthericum calyculatum* LINNAEI, quantumuis IACQVINVS ne armato quidem oculo vllum in eodem calycis veſtigium detexerit. *Iuncus compreſſus* ſola eſt LINNAEI bulboſi varietas; *monanthos* autem *Iuncus* eſt LINNAEI *Iuncus trifidus*, qui tamen in Auſtriae regionibus nunquam tria terminalia folia habet. In deſcriptione *Coronillae montanae* Auctor legumina erecta dixit, quae tamen accuratiori poſtea luſtratione pendula dici oportet.

XI.

XI.

Elementa Phyſiologiae Corporis Humani. Auctore ALBERTO HALLERO etc. Tomus octauus. Fetus hominisque vita. Bernae, Sumptibus Societatis Typographicae, 1766. 4. Pars I. Alph. 2. pl. 16. Pars II. Alph. 1. pl. 20.

Laeti omnino vltimum egregii operis phyſiologici, ab Ill. HALLERO elaborati, Tomum cum Lectoribus noſtris communicamus, qui de ortu vitae humanae eiusque ſtatu et fine exponit. Ex duabus partibus iſte componitur; in priore, quae ex vno libro, ordine vigeſimo nono, conſtat, conceptio, noui animalis primordia, ſecundinae, vita foetus et partus explicatur. Poſterior, quem vnus iterum liber, trigeſimus, conſtituit, de incremento, ſtatu hominis et decremento agit. His addenda ad Elementa Phyſiologiae corporis humani ſubnexa conſpicimus. Sequitur catalogus librorum, quibus Ill. Auctor in hoc opere vſus eſt. Vltimo eiusdem ſcripta argumenti anatomici et phyſiologici indicantur. Praefatio reſponſionem ad Cl. ALBINVM et NICOLAVM LE CAT continet, nec non catalogum praebet experimentorum, quae ſunt in iis partibus facta, de quorum ſenſu litigatur.

A conceptione initium fit: primo notat Ill. Auctor, animalia eſſe ſexu deſtituta, alia ſexu vnico, alia ſexu duplici coniuncto, alia demum ſexu duplici ſeiuncto, ita tamen, vt in aliis mares et foeminae ſibi ſimiles ſint, in aliis autem mas a foemina forma ſua vehementer diſſideat. Quae animalia ſibi ipſis ſufficiunt, ea vel absque diſſimilis ſexus indiciis aut oua pariunt aut viuos foetus, vel p. 1.

habent

habent vtriusque ſexus ſeminalem liquorem: in his maſculum humorem foeminino certis ex cauſſis, quas ignoramus, adfundi oportet, in illis nihil eſt, quod cum coitu comparari poterit. Quae vero animalia vtriusque ſexus genitale inſtrumentum habent, vt tamen in ſe ipſis concipere, et a ſe ipſis foecundari non poſſint, ea vbique externa aliqua vi indigent, a qua oui incrementum acceleretur, vt in nouum animal euadat, quod in ſuis viſceribus geſſerunt. Coeunt itaque animalia et ab alio ſui generis vim maſculam accipiunt. Ad eum coitum animalia cuncta cupidine voluptatis incitantur; in viro ea eſt in boni ſeminis abundantia, in foeminis ex ea analogia Noſter credit eſſe in ouorum tumore; videtur etiam ei in vtero et vagina aliqua ſtimuli venerei cauſſa eſſe. Hos ſtimulos aëris calor auget, auget etiam abundantia cibi. Abſtinentia a venere naturae inimica eſt, morbi contra, ab hac cauſſa producti, veneris vſu ſoluuntur. Coeunt autem animalia ſexu diſtincta, et piſces quoque, qui tamen non vere coire vulgo creduntur. In nonnullis animalibus, vt auibus, breuis venus eſt, longa in aliis, vt canibus. Pleraque a tergo coeunt, vt plurima quadrupeda, alia humano ritu concumbunt. Abſoluitur coitus repetita confrictione penis contra vaginam, cuius vi ſemen maſculum elicitur,
p. 18. vt in vaginam vterumque ſpargatur. Venire ſemen ad vterum alii dicunt, alii id negantes auram ſeminalem ad conceptum ſufficere aſſerunt. Priori ſententiae Noſter fauet, idque hanc ob rationem, quod in coitu infoecundo continuo de vulua foe-
p. 23. minae defluat ſemen, in foecundo retineatur. Voluptatem in coitu ſentiri, nonnullae foeminae negant, ſenſum tamen in alia et alia muliere maiorem minoremue eſſe poſſe, Noſter autumat. Semen foeminae non habent, mucum vero vteri aut cerui-

ceruicis a motu venereo excuti non negandum eſt. Poſt conceptionem vterus rubeſcit, maiorque fit et p. 27. villoſus magis et quaſi ſpongioſior; tubae ſanguine plenae et ampliores reperiuntur, per orgaſmum venereum ſitu ſuo mutantur, ad ouarium conuertuntur et ad ſorbenda oua diſponuntur. In ouario, vbi praecipua in conceptu eſt mutatio, aliquam veſicularum, quae in ouario ſunt, ſuper ouarii ſuperficiem eleuari et magis, quam reliquas veſiculas, eminere, Noſter obſeruauit. Rimam poſthac in veſicula grandiore, in rima ſanguinem, et in imo ouulo flocculos villoſue deprehendit. Hi ex Noſtri obſeruatione paulatim ſolideſcentes acinorum demum formam nacti cauum veſiculae replent, vt nunc coeca, glandulae ſimilis, lutei corporis nomen tueatur. Itaque corpus luteum, quod in virgine animali nunquam adparuit, poſt coitum ex veſicula mutata deformari, neque ex rudimento ſuo ſimili, ſed ex veſicula adoleſcere, notat. Luteum hoc corpus magis ac magis expalleſcit, abitque in rotundam quaſi glandulam, ex acinis, per celluloſam telam connexis, compoſitam. Numerum corporum luteorum Noſter credit eundem eſſe, qui foetuum. Sic in vniparis vt foemina, vnum, raro duo, in capra gemellifera duo, in multiparis, vt ſue, plurima vidit. Itaque primum hominis hoſpitium in veſicula eſt, quae de ouario exprimitur, hanc autem a tuba, id ouarium amplexante recipi, porroque in vterum venire, ideoque conceptionem in ouario eſſe, obſeruationes de foetibus, in ouariis et tubis viſis, oſtendunt. Sed quaeritur: quae ſit p. 54. prima ſpecies naſcentis animalis? Ex numeroſis experimentis Noſter colligit, multo ſerius, quam putatum eſt, nouum animal conſpicuum reddi, nonante diem vndeuigeſimum, poſt eum vero ipſum apparere, omneſque illas ante diem

vige-

vigeſimum viſi noui hominis obſeruationes ſuſpectas eſſe, putat. Colligit porro, in quadrupedibus non videri conceptaculum foetus ouum referre, et non absque neceſſaria emendatione id nomen retineri poſſe; ſi tamen ouum ita interpretaris, vt ſit membranaceum receptaculum, cauum, in quo humor ſit, inque humore foetus, tunc quidem vtique antiquiſſimam ſententiam, quae omnia animalia ex ouo repetat, admitti poſſe, putat, tantum, vt pau-
p. 62. ca illa animalcula ſimpliciſſima excipias. Humanum ouum, vt oſtendit Ill. Auctor, etiam figura ſua verum ouum eſt, ſemper villoſum, villosque ſuos mature explicat, vt vtero adhaereſcat. Niſi enim continuo ouum his villis adhaereſceret, facillime de nouo hoſpitio expulſum iri, Noſter autumat. Ouum ex membrana fit tenera intusque albuminoſi et gelatinoſi generis aqua continetur. Primis diebus, vt ouum totum, ita etiam magis foetus oculos fugit. Certitudinem hac in re neque promitti,
p. 70. neque locum habere, Noſter monet. Primaeui embryonis mollities tanta eſt, vt ſub tangente digito diffluat, haec tamen teneritudo paulatim demum confirmatur. Color pellucidus eſt, vt muci, inde albus. Deinde foetus quo tenerior eſt, eo eſt figura ſimpliciore. Ill. Auctori certe et in pullo, ouo incluſo, et in cane, cuniculo et oue viſus eſt craſſo capite, cum corpore tenuiori quidem, caeterum cylindrico, fine graciliori et obtuſo, modo recto, vt fere in pullis, ſaepe contrario modo recur-
p. 72. uato. Non tamen longa mora eſt, et foetui partium diſtinctio non lenta accedit. Die trigeſimo quinto partium diſtinctio in homine perfecta eſt. Quod tandem ad prima illa naſcentis grauiditatis ſymptomata, nauſeas nimirum, horrores carniumque auerſationem etc. attinet, a ſeminis maſculini ſubputrido, in corpus foeminae reſumto, halitu ea

eſſe,

eſſe, totumque foeminae corpus ab eo halitu penetrari, Noſter autumat.

Primordia noui animalis nunc exponit Ill. Au- p. 77.
ctor, primoque disquirit, num ex commiſto ſemine vtriusque ſexus nouum animal producatur? Vtcunque autem modus huius commiſtionis obſcurus ſit, tamen in hac opinione multum eſſe ſpeciei Noſter autumat, cum vtriusque ſexus neceſſaria coniunctio continuo animo ſe offerat, quae in animalibus ad nouum foetum requiritur. Sic etiam ſimilitudo foetus, cum vtroque parente partita, ſimilia ſuadere videtur. Aliam hypotheſin Cl. BUFFON communicauit; dixit nimirum, eſſe materiam in natura rerum, quae nutritioni et euolutioni omnium plantarum, animalium omnium, deſtinata ſit, ſemper viua, ſemper actiua. Hancce materiem organicam, ſi abundet et ad alendum animal nunc ſuperflua ſit, remitti putat in propria receptacula, quae in viris ſint teſtes, in feminis ouaria. In eo humore, porro aſſerit, contineri omnes moleculas, corpori animali analogas, omnia adeo, quae requirantur ad formandum ens minus, ei perfecte ſimile, a quo hoc nouum animal naſcatur. Tandem ex commiſtione vtriusque ſeminis in vtero particulas iſtas organicas in animalculum parentum ſimile coniungi, autumat. Alii et inprimis LEEUWENHOE- p. 84.
CKIUS foetum ex ſemine maris ſolo prouenire et a mare nihil aduenire, niſi viſcidi quid, in quo animalcula natent, vnumque eorum ouum penetrare, inque foetum transformari, demonſtrare annisus eſt. Alii demum foetum ex matre naſci, aſſerunt. Sed p. 91.
audiamus, quid Noſter hic ſentiat! *Neſcio*, inquit, *quid ſimplicius haec opinio habet, quae etiam inter antiquos ſit. Certum enim eſt, ex foemina animal naſci, multo minus certum, ex mare in foeminam veniſſe.* Suadet hanc ſententiam multorum animalium

et plantarum analogia, quae ſemina ferunt et pa-
riunt, immo inter animalia certiſſimum eſt, pluri-
ma, v. c. polypos, corallinas, abſque mare parere. De-
nique directa demonſtratio adeſt, qua oſtendatur,
certe in auibus pullum in matre fuiſſe. Pulli enim
inteſtinum continuari cum vitelli inuolucro et adeo
inteſtini interiorem membranam cum epidermide
animali, exteriorem cum cute, denique cum inuo-
P. 93. lucro vitelli eandem eſſe, Noſter obſeruauit. *His
collectis*, inquit Ill. Auctor, adparet, *ouum totum
matris partem eſſe: in qua ouarium cum omnibus ouis
perinde perfectum reperitur*, *quando nulla maſculi fa-
miliaritas acceſſit. Deinde foetum eſſe partem oui, aut
certe cum ouo inſeparabili nexu coniungi: vitellus enim
(et ſolus quidem) ouum cum ſuo inuolucro conſtituit,
dum in matre eſt: ſed is vitellus ductu ſuo cum foetu ita
vnitur, vt idem continuum corpus conſtituat.* His
propoſitis obiectioni quoque Noſter obuiam it, quae
proponitur: *poſſe fieri, vt foetus in ouum inoculatione
aliqua quaſi inſeratur eiusque vaſa comprehendat oui
vaſa.* Sed docet Ill. Auctor, nunquam fieri poſſe,
vt, cum vermiculus ſpermaticus mille vicium milli-
bus minor ſit, quam vitellus, qui vnciali eſt diame-
tro, inter tubulum millioneſies minorem et millio-
neſies maiorem continuitas oriatur. Oſtendit de-
mum, paruum filum, quod eſt ductus vitellarius foe-
tus, in minimum pariter tubulum, qui eſt ductus
vitellarius vitelli, in ſummo illo iniecti ſeminis mo-
tu, ſemper et abſque errore ſe immittere, neque
vnquam aberrare, omnem fidem ſuperare et cal-
culis poſitis refutari. Licet autem haec hypotheſis
magis cum natura conuenire videatur, difficultates
tamen ſubſunt. Sic in humano genere certum eſt,
in liberis parentum ſaepe eſſe manifeſtam ſimilitudi-
nem, vt ex fratre fratrem, ex patre filium, etiam
auum aut ex matre cognoſcas. Sic a patre morbos
in

in filios continuari vides. Deinde animalia ex hybridum genere difficultatem augent, quippe in quibus neque patris vbique forma praeualet, neque matris, ſed miſcetur plerumque vtraque. Ex his autem coniiciendum eſſet, vt nonnulli ſtatuerunt, neque ex matre vnice, neque ex patre ſolo foetum eſſe, ſed vtrumque potius parentem aliquid ad ſobolem conferre, neque euolui foetum, ſed nouiter generari.

At, dicendum nunc quoque eſt, quae cauſſa pulcherrimam fabricam exſtruat? Alii, ad generationem aequiuocam reſpicientes, corpuſcula animalium ex putrida materie ſubnaſci aſſeruerunt. Sed haec ſententia per experimenta refutata eſt. Alii, vt NEEDHAM, non vna omnia viſcera, omnes animalis partes exſiſtere, ſed per epigeneſin nobiliſſimas particulas primas, inde ſenſim et alias formari dixerunt, ſola germina primitiua ſimul et vno actu creari, compoſita germina et animalis vtcunque ſimilia nulla dari, animalem et vegetabilem ſubſtantiam ſua in origine eandem eſſe, vt vna in alteram abeat, vimque vegetandi a vi vitali parum diuerſam eſſe, cum de granis frumenti idem, quod in plantam fuiſſet abiturum, nunc per nimium humorem in vegetationem animalem paucas intra horas abeat et vitiati hordei anguillas generet, vitalitatem demum obtineri, explicatis principiis actiuis, deprimi vero et ad vegetabilem naturam redire, quando contrariae cauſſae ſuperueniunt. Non ergo dari generationem aequiuocam, ſed debere ſemen et maris et foeminae, ſpecifice per ſuas dotes definitum, praeſto eſſe. Ad quae cuncta vero reſpondetur, ſummam eſſe difficultatem, vt poſſit coeci quidquam et expers rationis ſtruere animalia, ad fines praeuiſos, ad explendum ſuum in entium catena locum, apte diſpoſita. Oua praeterea aut certe germina ani-

p. 106. p. 111.

malculorum, a Cl. NEEDHAMIO viſorum, in carne eſſe, eaque calori ebullientis aquae reſiſtere potuerunt, ſiquidem nondum euictum eſt, calorem ebullientis aquae omnem vitam animalem deſtruere, et experimenta docent, curculionem in calore 80. graduum, qui eſt ebullientis aquae, non mori, et vim
p. 113. germinandi ne 90. quidem gradu deſtrui. Alii, vt CASP. FRIDER. WOLF, a conſtante aliqua vi, quam dixit *eſſentialem*, quae ſit vegetationis et generationis principium, cum ſolideſcentia ſucci totam formationem animalis et plantae perfici, demonſtrare ſusceperunt, hacque vi et veſiculas et celluloſam telam et vaſa et fibras omnes formari, omnesque animalis partes primum fluidas et inorganicas eſſe, et ex ſucco de primigeniis partibus excreto et collecto, nunc ſolideſcente, nouas partes figurari, partemque organicam poſt alteram eo mo-
p. 117. do ſequi et naſci, autumarunt. Sed reſpondetur et quaeritur, cur vis ea eſſentialis, quae ſit vnica, tam diuerſas in animali partes ſemper eodem loco, ſemper ad eundem archetypum ſtruat, ſi materies inorganica, mutabilis et ad omnem figuram recipiendam apta ſit? Alii partes corporis humani mechanica aliqua ratione ſecundum leges vniuerſales aut vi alicuius fermentationis formari, et materiem productricem intime partium formam penetrare, et in ea tanquam in modulo interiori ad earum ſimilitudinem fingi. Verum, quid modulus interior ſit, non intelligi, et Cl. Viros in tenebris ſe occultare, et ſapientem cauſſam deſiderari, quae aptam materiem ad praeuiſos fines ordinet, Noſter oſtendit. Reſpondetur porro, eſſe plurimos foetus parentum diſſimiles, eſſeque in foetibus partes, quibus mater carebat, neque pater erat inſtructus. Si itaque natura absque modulo ſcit alas facere et inteſtina, ſtigmata, neruos, pedes, teſtes, placentam, funi-

funiculum et ſecundinas, quidni etiam reliquum corpus ipſa faciat absque modulo? Alii ab hac p. 125. theoria remotiſſimi ad animae vim fabricatricem reſpexerunt, et argumentum a naeuis repetierunt: ſcilicet harmoniam eſſe continuatam inter matris animam eiusque corpus interque corpus maternum foetusque, hinc alii ideas a matre in foetum per ſanguinem aduenire oſtenderunt, alii neruorum et ſpirituum communione vſi ſunt. Reſpondetur, per inordinatum ſanguinis materni motum, a viſo mure excitatum, non explicari poſſe, quomodo is inordinatus motus in eadem corporis parte, quam mater tetigit potius, quam in vlla alia, et inprimis, quam in teneriore parte foetus ſui veſtigium imprimat. Quod autem ad neruos attinet, a matre in foetum nullos tranſire, Noſter monet. Cum itaque plena ratio modi, quo imaginatio materna corpus foetus mutet, reddi nequeat, et foetus ſani, non mutati, prodeant, licet foeminae grauiſſimis animi adfectibus obnoxiae fuerint, contra difformitates et naeui et monſtra foetuum deprehendantur, vbi nulla fuit terroris ſuſpicio, et plantarum demum exemplo conſtet, absque ſtructricis animae vitiis, absque terrore et animi adfectu copioſiſſima vegetabilia monſtra ſubnaſci, viciſſe ſibi videtur Ill. Auctor, *in ſemine vegetabili et in animalium ouo cauſſam fabricae futurae latere, quae cum quaque ſpecie ſempiterna conſeruetur. Eſſe vero etiam cauſſis ſuperuenientibus, alimenti copiae, inopiaeue, impulſioni validae, vel debili, aliisque cauſſis minus notis ſuam poteſtatem, quae poſſit varie partium fabricam mutare, tamen vt intra ſuos limites maneat. Nunquam enim tulipae radix iridem producet, nunquam homo felem pariet.* Si itaque in naeuis nullum firmum animae ſtruentis documentum eſt, ſi fabricam animalis neque caſus poteſt conſtruere, neque caeca p. 143.

aliqua vis, qua partes *inorganicae* ſe trahant, ſupereſt, vt foetus ſtructus et fabricatus ſit, quando conceptio acceſſit. *Si*, inquit Noſter, *in matre eſt primordium foetus, ſi id ſtructum in ouo eſt, et hactenus perfectum, vt vnice recepto alimento egeat, ex quo conualeſcat, ſoluta eſt illa ſumma difficultas artificioſiſſimae fabricae, ex bruta materie ſtruendae. Eam enim fabricam in iſta hypotheſi Creator ipſe ſtruxit, cui nihil eſt difficile.* Sententiam hanc obſeruationes de euolutione inſectorum confirmant. Sic in chryſalide, et quod magis mirandum, in eruca formatus latet papilio. Rem porro obſeruationes de pulli euolutione in ouo demonſtrant, nec vllam in corpore animali partem ante aliam factam eſſe, et omnes ſimul creatas exſiſtere, docent. Multi hanc euolutionis hypotheſin receperunt; alii tamen eorum in ouo, alii in ſemine maris, animal latuiſſe malunt. Tertia accedit opinio, πανσπερμίαν vocant: facta nempe eſſe a primordiis animalium in ipſa illa prima creatione ſemina, ſiue germina animalium, determinata et perfecta, etiam ſexu praedita. Sic difficultatem, quae ex nimia multitudine et paruitate embryonum in prima matre repeti poſſet,
p. 151. euitari dicunt. Vtcunque tamen ſe haec habeant, hactenus euolutionem potiorem eſſe, Noſter perſuadetur, vt in foeminae ouario animalculum ſit, quod in conceptione per ruptam veſiculam in tubam, denique in vterum veniat. Animalculum hoc ex ſomno quaſi excitari a partibus ſubtilioribus, odoratis et ad irritandum aptiſſimis, ſeminis maſculi, in aliis animalibus ardorem coeli ſufficere ad maturandum foetum, in aliis animalibus et calorem et ſeminis maſculi vim coniungi, in animalibus tamen viuiparis ſolum maſculum ſemen dormientem embryonis vitam excitare, atque videri, odorabile illud penetrans et ad venerem ſuſcitans, quod eſt in ſe-

mine

mine maſculo, cor foetus vehementius ſtimulare,
vt et frequentius et acrius ſaliat, Noſter oſtendit.
At vero obiiciunt, diu omnem euolutionem
euerti, ſi quando ad reparationem partium amiſſa-
rum attendatur. Sic arbores reſectas partesque in
variis animalibus abſciſſas reparari, et polypos diſſe-
ctos redintegrari innuunt, ideoque non omnes par-
tes corporis animalis vna ſtructas eſſe, ſed alias poſt
alias, autumant. Sed reſpondetur ad haſce obie- p. 169.
ctiones, polyporum exemplum euolutioni non ad-
uerſari, eosque cum arboribus eſſe comparandos,
et per totum animal germina diſponi, polypos per
germina multiplicari, omnesque polypos matres
eſſe, quae animalium ſpeciem propagent. Reſpon-
detur porro, lumbricorum et reliquorum animalium
reparabilium redintegrationem eidem cauſſae adſcri-
bendam eſſe, perque germina reparari; germina
autem partium ſubinde ſuccedentium adeſſe, mani-
feſta exempla in dentibus oſtendunt, ſiquidem den-
tes ex germinibus, quae in homine, in lucem edi-
to, praeſto ſunt, pro iis reparantur, qui ex natu-
rae inſtituto elabuntur. Nouam cutem partim pro-
truſione naſci, partim noua ſubſtantia renata, No-
ſter autumat; protruſionem autem ita intelligit, vt
arteriae, pulſando longiores factae, ſecum adnexam
celluloſam telam educant, quae in maius ſpatium
diducta vtrinque ſibi occurrat. Nouam vero cellu-
loſam telam fieri ex ſucco gelatinoſo, de vaſis reſe-
ctis emiſſo, qui tremulam in gelatinam coeat, qui
idem in fila praeter naturam amet figurari, in-
que laminas, et fibras etiam muſculares per
eiusmodi celluloſam telam conſolidari poſſe, et ad
os adnaſci et neruos, denique monet. Oſſa vero re-
naſci a ſucco gelatinoſo, circa fibras effuſo, molli,
ſenſim dureſcente, vaſculoſo, vaſculis a medullari-
bus ramis propagatis, qui ad fibras adglutinatus eas

continuat. Calcarea recepta etiam celluloſa tela firmat. Ex his autem colligitur, partes animales ex germine ſuo et a producta tela celluloſa et a ſucco concreſcente renaſci. Ad obiectionem autem, quae de animalibus hybridis et ſimilitudine parentum deſumitur, Noſter reſpondet, in ſemine maſculo eſſe vim, quae certarum partium corporis animalis incrementum promoueat, et aliquas partes noui foetus magis excreſcere cogat, quam ſine eo ſtimulo factum fuiſſet, omninoque legem confirmari, vt maior portio ſeminis maris maiorem etiam cum patre ſimilitudinem in foetu producat. Itaque his perpenſis fundamentum futuri animalis eſſe a matre, foetum vero a ſemine paterno figurari poſſe, concludit.

p. 177. Ad vitae initia progreditur Ill. Auctor. Adeſt pene in primis principiis conſpicui foetus motus ſanguinis, et foetus ſemper viuit, etiam immaturus, non tamen ante conceptionem. De animae autem origine nihil pronuntiari poterit, probabile tamen eſt, tunc animam ineſſe foetui, quando artus motu ſpontaneo agitantur, et paullo prius. Foetus radicatur in vtero, ouumque humanum exiguo aliquo tempore in vtero liberum eſt, atque mature villos exigit, et probabile eſt, prima fila in vterum radicari et occurrere flocculis, ex vtero euntibus. In principio haec vaſcula nuda ſunt, ſaepe tamen ſanguine miſta reperiuntur, vt totum ouum grumo ſanguineo veſtiri videatur. In ouo paullo maiori, tres fere vncias longo, alia nunc facies omnino adparet. Totum tunc ouum tegitur membrana molli, poroſa, pene reticulata, pulpoſa, filamentoſa, ſed filis breuibus, lacerabili, laminis ſibi ſuccedentibus facta, quae chorion nuncupatur. Facies eius exterior in vteri floccos innaſcitur, interior facies celluloſa laxa tela cum membrana media cohaeret,

cum-

cumque placenta fibrillis et vaſculis vnitur. Cum chorio leuiter cohaeret alba et opaca membrana, quae media dicitur, et cum amnio perinde per celluloſam telam et in parte caua firmius, quam cum chorio coniungitur. Haec membrana tenet vniuerſum oui ambitum, vt inter chorion illud reticulatum et amnion cauam partem placentae ſubliniat, caluamque et nudam partem oui, quae vtero nuda reſpondet. Cum media hac tunica ope textus celluloſi ſub placenta accuratius cohaeret tenera membrana, firmior tamen, quam reliquae foetus tunicae, et nonnunquam duriſſima, intus leuiſſima, quae amnios dicitur. Ea ouum continet, excluſa placenta, totum, ad funiculum vmbilicalem accedit, vt in eius inuolucrum continuetur. Cuique foetui ſua eſt amnios et in homine et in animale, quo argumento euincitur, foetus, qui connati videntur, non eſſe connatos, ſi cuique ſua amnios fuerit. Nunquam haec p. 191. membrana ſicca eſt, et humorem continet, quando primum foetus adparet, et quando nunc in lucem editur. Hic humor, quo propior eſt origini foetus, eo etiam vberior eſt. Glutinoſi quid habet et gelatinoſi, idemque ſubſalſus eſt, ſeri lactis non diſſimilis, per moram ſalſior fit, ſaepeque ad putredinem vergit. Ab vtero iſte humor eſt atque matre, viae autem ignorantur: videtur vel per chorion et mediam membranam in amnion transſudare, vel per placentam. Deglutitur dictus humor a foetu, inque eius ore, faucibus, gula, ventriculo reperitur. Cum vero naturam blandam habeat et viſcoſam, ad alendum idoneam, probabile erit, eum nutrire. Idem praeterea vterum commodius dilatat, quam a figurato foetu fieret, inque partu exitum foetus faciliorem reddit; has autem vtilitates ſecundarias eſſe, ſatis adparet. Praeter memoratas membra- p. 206. nas in brutis deprehenditur alia, in duas membranas

concentricas, albam et pellucidam, facile ſeceſſura,
quae, quaſi ſacci, ſeorſim inflari poſſunt; allantoidea
dicitur. Ex media hac membrana et ex cauo eius
receptaculi canalis praegrandis ducit per funiculum
in veſicam vrinariam, vt inter eam et caueam mem-
branae allantoideae humori liberrima via ſit. Licet
autem in homine vrachus ex veſicula vrinaria ad fu-
niculum vsque vmbilicalem et in eius aliquam certe
partem productus adpareat, iſte tamen in funiculo
nunquam viſus fuit, et de allantoidea membrana du-
p. 213. bitatur. De funiculo vmbilicali notat Ill. Auctor,
eum in primis noui animalis initiis adparere, tunc-
que breuem et craſſum, inque homine longiorem
eſſe, quam in vlla beſtia, atque in placentam ad ali-
quam a margine diſtantiam ſe immittere, inuolu-
crum firmiſſimum, elaſticum, ſubcartilagineum ha-
bere, eum cauum eſſe, totum natura celluloſa fa-
ctum, inque iisdem cellulis mucum cryſtallinum,
gelatinoſum, inſipidum, neque diſſimilem humori
amnii, reperiri. In huius funiculi ſpongioſam natu-
ram recipiuntur arteriae duae et vena in homine
vna. De neruis autem et vaſis lymphaticis dubita-
tur. Placenta in quadrupedibus etiam frigidis et
in piſcibus viuiparis reperitur. Ouipara nullam
nacta ſunt. Homini vnica eſt, ſaepe etiam gemel-
p. 223. lis, etſi non ſemper. Placenta chorii portio eſt,
et ab eo gradu differt, totaque praeter celluloſam
telam fit vaſculis, eorumque celluloſis, a chorio
natis, vaginulis, quae adhaeret circa vteri fundum;
haecce tamen ſedes non perpetua eſt. Magnitudo
eiusdem non ſemper reſpondet ponderi foetus, et
figura ex rotunditate aliquando degenerat, vt ob-
longa ſit. Fabrica fibroſa eſt et tela celluloſa ſtipa-
ta; accedunt ad placentam arteriae vmbilicales et
ad oram eius ſerpentinis truncis penitus pertingunt.
Adhaeſio placentae ad vterum fit per fibrillas chorii,

quo

quo tota obducitur, tum vaſis, quae chorion perforant. Poſtquam in limites chorii extremae arteriae placentae peruenerunt, ramuli inde ad chorion eunt, ſaepe per eam diuiſi et per eam in vterum ramoſi; alii ramuli, nondum ſatis confirmati, adeunt amnion et membranam mediam. Venae pleraeque in continuo cum arteriolis ſuis ductu finiuntur, aliae chorion adeunt, multae denique in ſinus venoſos, ſuperficiei placentae connexae ſubſtratos abeunt et verſus vterum arctantur.

Ab vtero in foetum per placentam ſuccum aliquem alibilem percolari, certum eſt, ſed de via eius commercii et de natura ſucci, quem vterus in placentam mittit, quaeſitum eſt. Sanguinem eſſe, multi docent, alii negant, aliique per vmbilicum, alii autem per amnii ſuccum foetum nutriri, contendunt. Hi ex morboſis caſibus argumenta ſumſerunt, in quibus aut nodus fuerit in vmbilicali funiculo, aut inſignis tumor, aut coeca vaſa vmbilicalia, aut abrupta, aut omnino nulla, aut denique nullum vmbilici veſtigium. Itaque anaſtomoſin veram inter oui vaſa et vterina negantes, alimentum foetui alia via adminiſtrari, putarunt. Sed reſpondet Noſter, poſſe alimentum per poros inorganicos de matre in ſecundinas penetrare, ſimulque alia argumenta pro tranſitu alimenti per vmbilicum opponit, et oſtendit, foetus fuiſſe acephalos et ore clauſos, hosque non niſi per placentam et vmbilici vaſa nutriri potuiſſe. Verum alia et potiora adfert argumenta, docetque, ſanguinem amiſiſſe foetum, cum mater ſuum amiſiſſet, liquoresue tinctos ex matris vaſis ſanguineis in foetum tranſire; hinc inter vterum et chorion vaſa media dari, et partem nutrimenti per vaſa vmbilicalia aduenire, colligit. Licet autem motus ſanguinis per vmbilici et placentae vaſa potiſſimum a corde foetus pendeat, aliquid p. 245.

 tamen

tamen ad eam potentiam a matre accedere, Noſter autumat. Placentam enim poſt praematuram foetus mortem tamen incrementa cepiſſe, et foetus corde deſtitutos repertos eſſe, monet. Quod denique ad alia placentae officia attinet, eam magnum inſtrumentum percolationis humoris, a matre ad foetum euntis, eſſe, ſanguinemque foetus in matrem remitti, vt per eius viſcera et vaſa perficiatur, ſicque eandem inter foetum et vterum coniunctionem efficere, Ill. Auctor docet.

p. 256. Cum ad finem longiſſimi operis adſpiret Noſter, ſub manu opus ſuſceptum creſcere, deprehendimus, nuncque oſteogeniae non ſolum momenta praecipua, ſed etiam, quod a nemine hactenus ſuſceptum fuit, eodem modo, quo oſſium in foetu incrementa deſcripta ſunt, aliarum partium tenelli corporis paulatinam conformationem deſcriptam videmus. Statim itaque in memoriam reuocat, foetum ab initio ſub gelatinae forma apparere, hanc autem gelatinam, quae informis videatur, vixiſſe tamen, inque hoc muco viſcera, muſculos, fibras et celluloſi generis et eius, quod olim irritabile ſit, et neruei et oſſei et cartilaginei, notat. Mucoſus iſte embryo, vt oſtendit Noſter, in eo differt, quod immenſa vis aquae aut mollis glutinis cum pauciſſima terra fibram in primaeuo embryone faciat, parteſque eiusdem nullam hactenus firmitatem, colorem nullum, neque ſaporem, neque odorem habeant, neque etiam irritabilitas in tenerrimis iſtis muſculis oſtendatur, quae primum in corde elucet. In eo ſtatu plurima animalia perpetuo viuunt, tantum vt irritabilitate donentur; inſectis tamen, piſcibus, auibus, quadrupedibus, etiam nonnullis vermibus, alia eſt natura, et mucoſus iſte ſtatus mutatur, formaeque animalis euolutio ſubnaſcitur. In auibus haec formae mutatio ab albu-

albumine prouenit, quod in iis primum alimentum et penitus lymphae humanae ſimile eſt, tantum, quod aliquando ponderoſius ſit. In albumine aqua eſt, et gelu coagulabile, quod per calorem vel acoris vim, vel ſimplicem quietem, in gelatinam conſiſtentem inque gummi demum abit. Ad hanc mutationem quidquam confert vitellus, in quo oleum regnat, et qui poſt exhalationem in flauum aliquid, colophonii aut ſuccini non diſſimile, durum et friabile abit. Sed etiam in quadrupedum ſanguine ſimilia ſunt elementa, rubra pinguedo, lympha, mucus et aqua. Cum vero lympha ad coagula ipſo ſanguine aptior ſit, et foetus, dum optime nutritur et celerrime, albus deprehendatur, multaque animalia celerrimi incrementi absque ſanguine ſint, absque gelatina vero nullum reperiatur, ſententia, quae ſerum ſanguinis coagulabile pro alimento habet, non improbabilis eſt. Ex hoc alimento primo naſcuntur fluidae partes, quae ſola tantum receptione egent, et ab initio pellucidae ſunt, inde flauae, deinde rubiginoſae et mixtae, ex flauo et rubro, denique ſanguis vndique ruber. Poſt ſanguinem humores per ſuas dotes diſtincti in foetu ſenſim adparent. Ex fluido humore conſiſtentes animalis partes formantur, quarum magna pars fluida eſt et exhalabilis. Cum autem ſolidiores partes ſub initio animalis gluten ſint, nihil requiritur, niſi exigua exhalatio aquae, aut ignis diminutio, vt gelatina animalis duram naturam recuperet. Tunc autem in fibras abit multoque frequentius in laminas conſiſtit, quae planae, latae, infinitarum figurarum, ſub varia ad ſe inuicem planorum inclinatione, ſe comprehendunt, et areolas interpoſitas relinquunt, in quibus humor eſt. Inde tela celluloſa, et ex hac membranae naſci videntur. Cum autem celluloſae telae in corpore humano ad praeuiſos fines di-

uerſae

uerſae ſint, poteſt in glutine embryonis delineatio eſſe celluloſae telae, atque viſcidiora paſſim puncta tanquam fundamentum eſſe, ad quod ſe aliae glutinoſae particulae attrahunt. Cum etiam membranae noſtrae plenae ſint vaſorum, mechanica generatio aſſumi non poteſt, aliquas tamen membranas non vaſculoſas, epidermidem v. g. et corneam oculi tunicam, ex ſucco concreto reparari, Noſter notat. Neque etiam vaſa mechanice naſci, ſed omnia ſimul creata eſſe, aſſerit, eo argumento excitatus, quod vaſa ex fibris muſculoſis et neruis conſtant, neque venae ab arteriis mechanice producantur.

p. 281. Cauſſa motus, quo alimentum in partes venit, cor ipſum eſt, habetque cor foetus ea omnia, quae ad incrementum ſunt potentiſſima; maius enim eſt, et magis irritabile et celerius mouetur. Cum autem omnia in foetu mollia ſint, et gluten, quo fere totum corpus conſtat, impulſioni cedat, fit inde, vt vaſa, ex ſolo hactenus muco facta, ſe ſinant expandi neque diſſoluantur. Verum ad nutritionem et incrementum actione et reactione opus eſt. Illam cor praeſtat, hanc reſiſtentia viſcidi humoris, qui et figurari ſe patiatur, et adhaereſcere amet. Nutritium illum humorem cor per arterias ſolas ad omnes partes corporis defert. Nunc ad ſingulos cordis impulſus arteria longior fit, inprimis ea, cuius finis extremus anguſtior eſt; hinc arteria ſimplici, et in fine ſuo libera, producta et longiore facta, producuntur eae partes omnes, quae cum arteria connexae ſunt, tela celluloſa, muſculi, oſſa ipſa, totusque artus. Si tamen ponamus, reſiſtentiam impulſu minorem eſſe, plus extendetur arteria, quam contrahetur, fietque longior. Itaque hoc modo et ſimplici protruſione omnes villi exhalantes et flocculi arterioſi in liberam corporis aliquam caueam, et etiam pili, in quibus omnibus finis conicus nullam

preſſio-

preſſionem patitur, producitur. Sed arteria non longa ſimul, verum etiam lata fit; a laterali autem hac preſſione pendet alimenti ad parietes arteriarum adpreſſio; eiusdem alimenti per ramos laterales porosque exitus in cellulofa ſpatiola vicina, et eiusdem alimenti penitior in eorum ſpatiolorum receſſus impulſio, vbicunque locus eſt adhaeſioni, porro ſanguinis in vaſa minora penetratio, etiam expanſio retis vaſorum, et receſſio ramorum arteriae a trunco, et angulorum inter truncos vaſorum et ramos augmentum. Dum itaque arteriae et continuae venae et celluloſae telae vndique ab impulſo ſanguine et ab admiſto glutine nutritio et in longum et in latum diſtenduntur, fit non quidem nutritio, ſed tamen incrementum. Sed vera etiam nutritio per easdem cauſſas ſequitur. Dum enim gluten impellitur in ſcrobes per dilatationem et elongationem factas, alimentum in hac ſede minus reſiſtente quieſcit, et ad parietes ſuae ſcrobis adhaeret et denſatur. Facit ergo natura, vt eadem cauſſa, quae elementa diſtrahit, eadem noua materie interpulſa vniat et conſolidet. Haec in toto corpore fiunt; pendet autem incrementum maius a reſiſtentia minore, et tum demum inferior pars corporis increſcit, quando ſuperior magis confirmata maiorem reſiſtentiam ſanguini, a corde venienti, opponit. Cum itaque pro foetus portione primis temporibus cor maius ſit, eiusque irritabilitas maxima, vaſaque in ipſo numeroſiora, incrementi celeritatem primis temporibus maiorem, ſenſim minorem, inque adulto minimam eſſe, patet.

Cauſſas conformationis partium corporis animalis in expanſione, attractione, preſſione, vi deriuationis et reuulſionis, nec non humorum abundantia vel parcitate, certorum elementorum defectu, exhalatione partium tenuiorum et attractione partium p. 299.

tium terrearum conſiſtere, Noſter autumat. De oſſium formatione notat, initia oſſium omnium gelatinoſa eſſe, paulo poſt, nondum adparente ſanguine tamen in medio oſſe longo particulam opacam adparere, tuncque oſſis flexilitatem iam multum imminutam deprehendi; porro lineas, per longitudinem oſſis ductas, increſcere et opacitatem augeri, et vaſa tunc conſpici, et caueam oſſis manifeſtam eſſe, demum os ipſum perfici, laminas interiores ſolideſcere, vaſa, quae punctorum et linearum ſimilia videbantur, ſenſim ſupernaſcentibus laminis tegi, ne adpareant, et etiam circulos vaſculoſos occultari, totumque os fragile nunc eſſe et durum. Epiphyſin oſſis primaeui hactenus partem eſſe, Noſter docet, eo quidem argumento, quod nulla linea ſeparans adpareat, et quod vnum commune corpus efficere videatur, quod demum praecipua ſua vaſa ex oſſe habeat. Primis tamen diebus facilius ad ſedem commiſſae epiphyſeos os plicari et epiphyſin ſecedere, et circa tempora, quibus pullus de ouo exeat, in epiphyſi nucleum album, oſſeum naſci, demum nucleum increſcere et cartilaginem epiphyſeos arctare, Noſter obſeruauit. Formationem mechanicam oſſis longi declarans, oſſa ex gelatina in cartilaginem et denique in duram naturam confirmari, docet, ex glutine vero oſſa naſci, oſtendit, quod gluten ex oſſibus educatur, idemque ex fracturis exſudet, et in os abeat, et exoſtoſes ex ſucco oſſeo ſuper perioſteum effuſo fiant, et anchyloſes, et in ipſis vaſis oſſium durae et calcareae particulae, ad cultrum ſtrepentes, reperiantur, et glutine educto firmitas oſſium tollatur, et oſſis natura amiſſa ab eo ſucco reparetur. Oſſeus hic ſuccus, vt porro demonſtrat Noſter, ex craſſis terreis particulis fit, quae per vaſa rubra aduehuntur. Nihil autem ex cartilagine in os formatur, ni-

hilque

hilque in vniuerſum in oſſe in diſtinctam fabricam maturatur, niſi rubor ſanguineus eo peruenerit. Cum arteriis tamen primum apparentibus oſſis perfectio ſubnaſcitur.

Cartilaginis fabrica multo, quam oſſis, obſcurior p. 329. eſt. In primaeua foetus cartilagine nulla partium eſt diſtinctio. Naſcitur cartilago a glutine inſpiſſato, in quod manifeſto reſoluitur; inque id gluten modicam portionem calcareae materiae deponi, probabile eſt. Hinc multus humor cartilagineam naturam conſeruat, vbi deberet oſſea ſubnaſci. Hinc humectae cartilagines, quae oſſa longa finiunt, non valde oſſeſcunt. In os tamen abit, quando vberior portio calcareae materiei in ſpatiola, fibris interiecta, deponitur et cum iis coaleſcit. Licet autem fibrae et laminae in cartilagine non adparent, ſimilitudo tamen cartilaginis oſſeae cum vero oſſe ſuadet, etiam in ſana cartilagine fibras fuiſſe et laminas et alueolarem fabricam, et fibrarum, laminarum et alueolorum interualla glutine calloſo repleri.

Cum probabile ſit, rudimenta oſſis iam adeſſe, p. 332. ſed mollia et imperfecta, oſſium ex glutine perfectio ſatis probabiliter hoc modo, vt putat Noſter, perficitur: Arteriae nimirum, quae per os gelatinoſum diſtribuuntur, a corde nunc perfecto diſtenduntur, et a noua hac vi craſſiores particulas cum adueniente ſanguine ſimulque terream materiem accipiunt, inde opacitas, fragilitas, rubor a centro oſſis, cum arteria nutritia, eiusque ramis, ſanguinem ſemper profundius recipientibus, verſus epiphyſes vtrinque producuntur, hocque modo et oſſa cylindrica et, quae cum oſſibus longis habent ſimilia, oſſa plana et breuia et compoſita formantur.

Membrana, quae os vndique cingit, perioſtei p. 342. nomine nota, in foetu tenuiſſima et araneoſa eſt,

leuiter

leuiter oſſi adhaeret, quam diu in vtero continetur. Aliter ſe habet in epiphyſi, prope limitem enim futurae epiphyſeos primum, deinde ipſi epiphyſi adhaerere incipit, et vinculum eſt epiphyſeos et oſſis, nunquam tamen in limitem ſubit, ſed ab epiphyſeos fine perioſteum productum capſulam articuli efficit, tuncque tendines omnes in perioſteum ſe inſerunt. Sed magis, dum os confirmatur, craſſius et manifeſtius celluloſum eſt perioſteum, et in pullo, qui de ouo exiit, vehementer ad os adhaereſcit, inque adulto homine perioſteum craſſum eſt, et in omnes fiſſuras et depreſſiones oſſium accurate increſcit, eoque ſecum tendines ducit ſibi inſertos, vt creditum ſit, eos oſſibus inſeri. Ex hac membrana oſſium primordia aliqui Cl. Viri fecerunt. Verum ſuccus oſſeus, per tot experimenta demonſtratus, et calli materies, a perioſteo diuerſa et ſuper id effuſa, atque oſſa absque perioſteo paſſim nata, ſententiam illam non admittunt. Immo refutatur eadem, ſi attendamus, perioſteum ſuccos non habere reparando oſſi idoneos, idem a rubia non tingi, nullasque fibras habere, neque in perioſteo fabricam eſſe, quae in oſſe requiratur, intusque in cartilagine epiphyſin conſtituente os ſubnaſci nouum, nullo perioſteo tectum, et eo tempore, quo os ex cartilagine formetur, perioſteum imperfectiſſimum, debile, tenuiſſimum, vaſisque liquorem oſſificum vehentibus deſtitutum eſſe.

p. 357. His praemiſſis cauſſisque propoſitis, quae diuerſa elementa corporis humani in maius volumen augent, foetus humani incrementa conſiderat Noſter, hicque ſumma tantum rerum capita communicat. In humano genere manent in foetu plurima prioris formae veſtigia; epiphyſes vbique magnae, cartilagineae: oſſa breuia tota cartilaginea: oſſium latorum orae paſſim cartilaginea cruſta late auctae etc. Caput in principio bulla fuit membranacea; dia-

diutiuſcule etiam ea natura ſupereſt. Inde in maturo foetu dura quidem pleraque, tamen multis membranis aut cartilaginibus diuiſa. Perfecta nunc ſatis ſunt oſſa maxillae ſuperioris et inferioris. Caput ſub primordia foetus praegrande eſt et reliqui corporis magnitudinem diu aequat et ſuperat. Cerebrum in foetu fluidum, deinde molle, pultaceum et etiam ſub tempora partus non eiusmodi eſt, vt figuram tueri, aut ad oſtenſiones adhiberi poſſit. Oculi maximi ſunt, eiusque partes mature perficiuntur. Aures ſerius emergunt, ſeriusque naſus adparet, ſemper breuis, ob cartilagineae partis mollitiem. In teneriori foetu nulla ſunt labia, et peramplus oris rictus. Pectus in vniuerſum foetui perexiguum eſt; pulmo ſero adparet, thymus magnus et lacteo ſucco plurimo ſcatens; pectoris viſcera nunquam nuda, nec etiam abdominis viſcera. Hepar in foetu magnum eſt, et duplo, quam in homine adulto, maius; lien minor eſt, ventriculus minor, rotundior et breuior. Craſſorum inteſtinorum multiplex eſt diſcrimen. Minus ampla ſunt, absque conſpicuis ligamentis. Principium inteſtini coeci in foetu in appendiculam, quaſi ex cono diminutum, extenüatur. In craſſo inteſtino toto ac in ipſa appendicula, nec minus in ileo et ventriculo, peculiare ſtercus reperitur, vnguenti ſimile, obſcure viride. Renes in foetu magni ſunt inque lobulos diuiſi. Capſulae adipoſae maiores multo, alterius figurae, et oblongi ſacculi ſunt, glanduloſae naturae. Teſtes viriles exigui ſunt, et ſerius adparent. Ouaria longiora ſunt, graciliora, opaca, nondum veſiculis donata. Tubae transuerſae, frequenter complicatae. Veſica maxima, ventriculo maior, praelonga. Partes genitales externae in vtroque ſexu mature ſatis adparent. Artus denique in principio nulli conſpiciuntur, ſenſim vero propullulant. Motus

foetus voluntarius; qui vero extus percipitur, et abdomen maternum concutit, ſerius ſuccedit, et quidem circa menſis quarti initia aut progreſſum. Cutis primum molliſſima, pellucida, parum a gelatina diuerſa, ſenſim confirmatur et epidermide operitur. Pili ſero erumpunt. Principia animalis alba ſunt, ad quartum vsque menſem, ſenſimque ſanguis inualeſcit. Gelatina pro adipe ſub cute eſt. In vniuerſum incrementum foetus ab incremento pulli mirifice ſuperatur, hocque incrementum in quatuor primis menſibus acceleratur, et videtur ſub finem tertii menſis inſolita vis eſſe, qua ſucci in vterum ouumque nituntur.

p. 373. Sanguinis circuitus in foetu peculiaris eſt, et primum maxima pars ſanguinis foetus ex arteriis iliacis in vmbilicales intrat, cumque ipſis in placentam fertur. A placenta redux ſanguis auctus eo humore nutritio, quem mater foetui ſuo mittit, redit in venam vmbilicalem, quae ſanguinis ſui partem exiguam in venam cauam, maximam autem partem in ramulos hepaticos, qui ſunt vmbilicalis venae propagines, et qui in homine adulto ſunt venae portarum ſurculi, mittit. Ex hepate ſanguis in ramos venae cauae hepaticos colligitur, cumque ſanguine ductus venoſi vnitus in auriculam dextram aduenit. Ex hac ſanguis per patulum oſtium, in duarum auricularum cordis interſepto reperiundum, foramen ouale dictum, in ſiniſtram tranſit. Foramen hoc in tenero foetu peramplum eſt, neque primis temporibus ab vlla valuula arctatur, a tertio autem, vt videtur, menſe ſeptum auriculare incipit in foramine ouali adparere. In hanc valuulam premitur ſanguis, eiusque partem ſuperiorem, liberam, ora ſemilunari inciſam, ab iſthmo remouet, et ad ſiniſtrum ſinum impellit, qua ſede nihil poteſt eſſe, quod aequa vi reprimat. Aperit igitur ſanguis ipſe

ſibi

ſibi viam, qui in ſiniſtrum ſinum, dum eſt in diaſtole, venit. A ſinu ſiniſtro ſanguis in ventriculum cognominem et in aortam abit. Quae vero ſanguinis portio non potuit per foramen ouale tranſire, ea ventriculum dextrum ſubit, et in arteriam pulmonalem exit, quae in foetu longe aliter, quam in adulto animale, ſe habet. In foetu enim ipſe princeps truncus arteriae pulmonalis in aortam ſub arcu magno ſe immittit, inque pulmonem dextrum primum ramum, deinde in ſiniſtrum alterum mittit; quae vero pars trunci pulmonalis inter ramum pulmonalem ſiniſtrum et inter aortam eſt, vocatur ductus arterioſus. Nunc ſanguis, ex corde in arteriam propulſus, non poteſt non ex communi lege in ramos eius trunci ingredi: in pulmones ergo parte exigua, in aortam deſcendentem parte maiore ſubit, tanta, vt ea arteria pene plus habeat ſanguinis a ductu arterioſo, quam a ventriculo ſiniſtro. Ex his ſequitur, magnam partem ſanguinis venae vmbilicalis breui itinere in aortam inferiorem, iterumque per arterias cognomines in placentam ferri, idque adeo per iter frequentiſſime ire et redire; nec minus intelligitur, ex eo tempore, quo ductus arterioſus amplior eſt, debere partes corporis inferiores magis increſcere.

Ad quaeſtionem demum, num foetus reſpiret? p. 397. reſpondet Noſter, gratuitum videri, quaerere de phaenomeno, quod vndique ſit impoſſibile. Alia autem quaeſtio eſt, num foetus, dum in lucem editur, in vagina reſpiret? Alii eam negarunt, alii eandem adfirmarunt, Noſtro vero id videtur non probabile eſſe, cum adeo incommodus pueri in vagina ſitus ſit, vt in eo ſitu foetus vix muco, pulmonem inficiente, ſe liberare, nec ita diaphragmate vti, nec inſpirare, nec cum vagitu exſpirare poſſit. Cum vero foetus in partu ob caput haerens pectus dilataſſe dicatur,

non igitur penitus repugnat, poſſe eiusmodi foetum, aliquo ab obſtaculo, vt a latis humeris, retentum, ore ſuo deorſum in oſtium verſo reſpirare et vagire, ita tamen, vt longe rarius in vagina ea ipſi ſit poteſtas, neque niſi fauente cum robore ſitu foetus. Sed reſpirationem et vagitus vterinos, ſi vere aliquando ſunt exauditi, et alia cuncta rariſſima, a natura foetus, in quo membranae integrae aquas retineant, aliena eſſe, Noſter arbitratur.

p. 403. Ad partum tranſit Illuſtr. Auctor, primoque vteri habitum tempore grauiditatis explicat. Simul cum ouo humano vterus increſcit; vt ipſum autem ouum primo menſe parum increſcit, ita et vterus. Prima vero incrementa alicuius momenti accipit idem a prima menſium, qui emanent, periodo. Is enim ſanguis, quem vterus dimittere ſolet, retinetur, cuius pars in foetum tranſit, pars autem in vteri venis reſidet, huiusque receptaculi pariter, dum increſcit, craſſities vna creſcit cum lumine, ſimulque vterus grauidus molleſcit, dum diſtenditur, cum celluloſa tela ſani et vacui vteri firmior ſit, quam vena ſanguine plena. Vteri os ſtatim a conceptu non mutatur, ſenſim tamen paulo ſerius ocyusue, in vaginam deſcendit, ſimulque emollitur, quae mutatio a primis principiis conceptionis continuari et perpetuo augeri, hinc verum ſignum grauiditatis vtique Noſtro videtur conſtituere, quoties continuatur. Octaua fere hebdomade aut paulo prius ſeriusue adſcendit de pelui vterus, ſecumque ceruicem abripit. Adſcenſus ceruicis cum perpetua diminutione portionis, quae in vagina eſt, et cum emollitione oris vteri coniunctus, nullam de grauiditate dubitationem relinquit. Menſe quarto et quinto ad duas tresue vncias ſuper os pubis ſe effert vterus; menſe ſeptimo iam ad vmbilicum pertingit; menſe octauo ad mediam

ſedem

ſedem inter vmbilicum et ad cordis ſcrobiculum adſcendit; nono ad eum ſcrobiculum peruenit. Maiorem itaque partem abdominis ſenſim ſibi vterus ſumit, nouusque hoſpes ſuis incrementis matri moleſtus eſt. Ceruix ſerius incrementa capit, menſes tamen incerti ſunt. Quod ad foetum attinet, tenerior rectus eſt, mature tamen incipit curuari. Quamdiu aquae multum in ouo eſt, foetus libere per eum humorem mouetur. Quo magis embryo adoleſcit, eo magis curuatur et caput ad pedes, hos ad caput adducit, ſub ſeptimum aut octauum grauiditatis menſem foetus ſe in peluim praecipitem dat, et caput ſuum ad os vteri praemittit. A deſcenſu hoc capitis varia grauiditatis producuntur incommoda; ſic vrinae ſuppreſſiones, recti inteſtini teneſmus, a ſanguine, in vtero retento, intumeſcentia, et ab hac dolores ſeu potius moleſti ſenſus oriuntur. Quando nunc haec incommoda tanta ſunt, vt matri videantur intolerabilia, ad partum ea ſtimulant. Vo- p. 418.
luntariam hanc eſſe actionem, pariter vt alui euacuationem, etſi voluntas a dolore aegre reſiſtibili cogatur, Noſter autumat; et veram cauſſam moliminum, per quae mater partum enititur, quaerit in capitis foetus intolerabili nixu in ceruicem, inque partes ſenſibiles, pelui contentas. Cauſſam itaque in matre nec in foetu requirit, ſiquidem foetus absque omni motu capite ſuo in pelui incuneato haeret, et foetus mortuus pari fere facilitate partu editur, quam viuus. Licet autem ex matre ignara et immobili et ad ſummum debili, inque agone mortis, demum a morte matris foetus editi ſint: plerosque tamen foetus, quos mortua mater peperit, mortuos eductos fuiſſe, vel aliquos a vi contractili vteri, poſt mortem ſuperſtite, vel demum ex aere, per putreſcentiam nato, expulſos fuiſſe, credendum eſt. Tempus partus ob varias cauſſas determinari nequit, fre-

frequentius tamen id fieri ſolet poſt abſolutam hebdomadem trigeſimam nonam. Minus vitales foetus ſunt, qui alieno nec legitimo tempore editi ſunt. Ante ſeptimum menſem foetus non poteſt ſupereſſe. *Quo magis*, inquit Noſter, *a ſeptimo menſe ad immaturiorem partum recederes, eo difficiliorem me redderem, ſi perfectus, ſi vitalis, ſi diu ſuperſtes fuerit.* Foetus ſemeſtres et praecociores non admittuntur. Neque etiam nimis protrahendus partus terminus eſt. Aliquot vero dierum, etiam hebdomadum, hic ſubeſſe varietatem, Noſter non reiicit, partum tamen vndecimi menſis, aliumque magis adhuc ſerotinum, non concedit.

p. 429. Cauſſis partus explicatis phaenomena eiusdem nunc recenſentur. Os vteri nimirum perpetuo molleſcit, et ante partum multis ſaepe diebus hians aperitur, mucus etiam albus, qui ante partum abunde fluit, nunc cum ſanguine miſtus eſt; dolores hactenus tolerabiles augentur, in quorum ſingulo et paulum laxatur internum oſtium, et paulo plus de membranis foetus in eo ore percipitur, denique os vteri ampliſſimum fit. Per id oſtium pellitur in vaginam conus aquarum, et occiput primum, deinde ſenſim vertex et ipſum nunc caput, tuncque aut paulo prius, quando aquae in vaginam eminuerunt, aut demum, quando eae de vagina eminent, rumpuntur ſecundae, et aqua amnii profluit, demum continuo fere poſt ruptas aquas foetus eliditur. Ita partus ſecundum naturam fit. Infelices partus paruis ſtaturis foeminarum et peluibus corruptis, quae plerumque in magnis vrbibus reperiuntur, tribuendi ſunt. Inde in Gallia, Belgia et Anglia adeo numeroſi partus infelices deprehenduntur. Itaque cauſſae, partum efficientes, foetus non ſunt; vterum plerumque agnoſcunt, ſed dubitat Ill. Auctor et oſtendit, fibras vteri muſculoſas, nondum

ſatis

ſatis cognitas, ita intertextas eſſe, vt oppoſitae vires aliaeque fibrae absque aliis operentur; oſtendit porro, vteri fibras debiliores eſſe, quam effectus inde exſpectandos, denique Cl. Viros non ſatis ad nixum reſpexiſſe, quem tamen puerpera tantum edat, vt nullum in vita humana paris conatus exemplum ſit. Innuit porro, analogiam nixus in expellenda faece alui aut in calculo elidendo, vterumque potius reſiſtere, eumque oſtium ſuum claudere, ſi caput in vagina nunc ſit, fibras vteri circa foetum reliquum contractas ad expediendum partum aliquid conferre, aliquando et nocere, mortemque praecipitare, putat.

Foetus nunc in lucem editus per funiculum adhuc cum placenta in matre relicta ſoluendus eſt; inde funiculus ligandus, ne ſanguis de foetu effluat, demum intra vinculum et matrem reſecandus eſt. Cum foetu ſanguis, ob diuulſum de membrana vteri intima chorion et rupta vaſa, de vtero effluit, multo autem maior ſanguinis iactura eſt, quae placentam, de vtero ſolutam, ſequitur. In naturali partu primum eſt, poſtquam foetus de matre eſt ſolutus, vt placenta educatur, cauendo iterum, ne aliqua particula relinquatur. Id plerumque leni tractione, aut ſola vteri conſtrictione, aut demum modico inſpirationis auxilio obtinetur. Interdum autem firmiter ea adhaeret, quo in caſu alii eam eximere, alii naturae rem committere iubent, atque Noſter cum illis conſentit, qui naturae hoc opus committunt, cum nimis adhaerens placenta cum vteri detrimento ſoluatur, inque ancipiti caſu neglectum nuperis auxilium, iniectionem aquae, emollientibus et ſimul putredini aduerſis chamaemeli ſimiliumque viribus impraegnatae, in vterum tentari poſſe, monet. Partu abſoluto, neceſſe eſt, vt periculoſa vteri haemorrhagia impediatur; huic rei ipſa natura pro-

p. 441.
p. 450.

proſpexit. Continuo enim a partu vterus contrahitur, et intra paucas horas ad naturalem magnitudinem redit, et eius etiam oſtium clauditur, ac vaſa arctantur; ex hac autem vteri contractione obtinetur, vt ſanguinis fluxus continuo minuatur, et loco meri cruoris miſtum cum ſanguine flauum ſerum, demumque id ipſum ſolum flaueſcens, etiam albeſcens, liquamen effluat, quae lochia ſunt. Oportet autem vterum inanem eſſe; alias enim ob placentam, aut maiorem eius portionem, aut grumos ſanguinis relictos, vterus diſtentus ad neceſſariam paruitatem redire nequit, neque adeo ſanguis, de vteri vaſis apertis manans, fluere deſinit, et putredo metuenda eſt, et dolores a partu ſuperueniunt, quorum praecipua cauſſa, vt Noſter putat, acriter ſentiens vterus eſt, quippe qui, quando in contractione ad grumorum contactum peruenit, ab iisdem irritatur et do-
p. 455. lores creat. His praegreſſis lac demum, quod in grauida foemina iam naſci coepit, in puerpera abunde de mammis fluit. Educto enim foetu, chyli plethora naſcitur, quam foetui ſuo mater impertiebat. Hunc chylum puellus, ab ipſa natura edoctus, nouit ſugere, et prehenſam papillam inanitam et minus reſiſtentem ſequitur de mamma matris lac, quod abunde praeſto eſt, et perinde a compreſſis denuo labellis in os puelli exprimitur. Sed haec ad puerperium: vltimo Noſter de gemellis et ſuperfoetatione quaedam habet. Gemellos frequenter ſatis in genere humano eſſe, tergeminos raros, rariores quadrigeminos, rariſſimos demum partus, vbi quinque pueri vno partu editi fuerint, legi, Ill. Auctor perhibet, plures autem naſci, negat. Cauſſam multiplicis foeturae in numero veſicularum, quae eodem tempore in eodem ouario maturae et ad efficiendum corpus luteum idoneae ſint, quaerit. Quod tandem ad ſuperfoetationem attinet, eam ex argumentis, quod foetus inaequales,

alter

alter maturus, alter autem perexiguus ſit, reiicit, cur tamen ſuperfoetatio admitti poſſit, ea exempla perſuadere videntur, in quibus duo foetus, vterque ſanus et viuus, ex eiusdem matris vtero, longo tempore interpoſito, ſibi ſucceſſerunt.

Progredimur ad alteram huius tomi partem, vbi Ill. Auctor hominem ex vtero matris ad ſepulchrum comitatur, et praecipuas mutationes perſequitur, quae in eius corpore fiunt, dum ex foetus ſtatu in ſtatum infantis, hinc per pubertatem in virilem aetatem, ex ea in ſenilem tranſit, quam mors neceſſaria excipit. Primum, quod foetus agit, eſt ſpiritum ducere, alterum, quod nouum animal concupit, cibus eſt. A reſpiratione mutationes peculiares pendent, quae in viis ſanguinis, foetui propriis, a partu ſuperueniunt. A cibo capto incrementum et nonnullarum partium euolutio cauſſam habet et materiem. Reſpiratione pulmonem dilatat. Tunc autem plus ſanguinis in id viſcus pellitur, inde aorta minor fit et dilatationi ſuae magis reſiſtit. Minus ergo facile ſanguis ex ventriculo dextro in ductum arterioſum venit, quam prius, et facilius, quam dudum, in ramos pulmonalis arteriae ſubit, inde pulmonales rami grandeſcunt. Plus ergo ſanguinis iſti rami in ſiniſtrum ſinum ducunt, quam quidem foramen ouale eo ducebat, plus etiam ſanguinis in aortae oſtium nunc venit, minus in ductum arterioſum, minus etiam, cum vena vmbilicalis nunc coeca facta ſit, in foramen ouale; ſic autem, cum ſiniſtra columna ſanguine potentius reſiſtat, dextra debilius impellat, ad aequilibrium inter ſanguinem ſinus dextri et ſiniſtri peruenitur. Modus, quo ductus arterioſus excoecatur, a quiete pendet, quippe per quam, remoto ſanguinis adfluxu, pulpa ſanguinea in filamenta abit P. II. p. 1.

et cum intima eius ductus membrana cohaereſcit. Foraminis oualis occluſio a confrictione pendet, quam a ſanguine ſinus dextri patitur ea valuulae pars, quae ſupra foramen eſt; tunc autem ob hanc frictionem inflammationis genus, et de iſthmo et de valuula ſuccus viſcidus exſudat, quo valuula ad annulum oualem conferuet. Cum vero cauſſa motus ſemper a dextra ſede permagna ſit, et ex ſiniſtro latere nihil poſſit per hiatum ſupra valuulam tranſire, in veſtigio ouali, inferne clauſo, diu manet tubulus, ſiue obliqua et conica via, quae diu peruia ſanguinem transmittit in foramen. Ductum arterioſum in biennio puero clauſum, neque ſupra tertium annum apertum vidit Noſter. Foramen ouale vero ſerius clauditur et frequentius ad vltimam aetatem apertum manet. Effectus harum viarum clauſarum varii ſunt: princeps eſt ſanguinis in pulmones auctum fluentum; ſequitur ventriculi dextri dilatatio et attenuatio parietum eiusdem, oſtiique aortae ampliatio, denique aequilibrium ſanguinis ſuperioris et inferioris per coaleſcentem ductum arterioſum reſtituitur. Vena vmbilicalis, ſanguine nunc inanis, conferuet ſenſim et ſolideſcit, ita nouus circuitus ſanguinis per hepar nunc oritur, clauſis venae vmbilicalis ramis. Inde hepar ob minorem copiam ſanguinis acceptam inſigniter mole minuitur, et ex molliſſimo denſius fit. Arteriae vmbilicales ligatae ob vim deriuationis, quae ſanguinem, a trunco vmbilicali auerſum, in vaſa hypogaſtrica, ex conuexo arcu eius arteriae prodeuntia, abducit, et denique in ramos veſicales, deinde ob compreſſionem, quam patiuntur inter peritonaeum, plenumque abdomen, et inter muſculos abdominis contractos, clauduntur et ſiccantur; inde autem magna oritur ſanguinis in peluim et artus inferiores deri-
p. 19. uatio, hinc harum partium incrementum. Prima

poſt-

poſthac alicuius momenti mutatio, quae infanti porro ſuperuenit, dentium eſt exitus. In vniuerſum ſexto fere menſe primi pueris erumpunt dentes, et ſecundo tertioue anno dentitio perfecta eſt. Coronae dentium primae adparent, inferiusque folliculum, arteriis et venis inſtructum, continent, et ob arteriarum impetum protrudi videntur. Primi erumpunt dentes inciſores inferiores, deinde ſuperiores, inde canini inferiores et ſuperiores, poſt alterum annum primi duo dentes molares, primus nimirum dens molaris minor, et primus dens molaris maior adultioris hominis, alias tres molares. Hi dentes, renouationi deſtinati, nunquam perfectas radices habent, iidemque delabi coguntur, pro quibus ſubnaſcuntur noui, quae regeneratio fere fit ab anno nono ad decimum tertium. Praeter eos nouos dentes nunc, ſed lente, etiam vigeſimo et quinquageſimo anno noui duo molares poſtremi accedunt, vt adeo pro viginti dentibus temporariis triginta et duo conſtantes plerumque ſuccedant dentes. Dantur tamen exempla tertiae et etiam quartae dentitionis. Confirmatis muſculis et attenuatis p. 22.
aliquantum epiphyſium cartilaginibus diſcit puer ambulare. Paulo poſt annum excitati ingenii pueri etiam loqui norunt, ab anno ſeptimo et in bene natis etiam prius admirabilis eminet memoria, ſupra quindecimum annum vix cum ſua facilitate ſuperfutura. Ingenium poſt memoriam emicare incipit. Tardius et memoria et ingenio iudicium maturatur. Nerueum puerorum ſyſtema tenerum eſt, dormiunt facile, pingueſcunt, eorumque humores ſenſim mutantur et acres fiunt et foetidi. Creſcit porro puer, vt tamen ſinguli anni eo minus ad eius ſtaturam addunt, quo ſunt a vitae principio remotiores.

p. 28. Cauſſae, cur incrementum decreſcat, intellectu faciles ſunt. Cor enim multo minus eſt, vaſa longiora fiunt, et per vniuerſum corpus numeroſiſſima vaſcula euaneſcunt, ſolidae partes indurantur, attractio ſolidarum partium augetur, et ſucci denſiores fiunt. Quare, cum continuo reſiſtentiae augeantur, et minor fiat fluidarum partium in corpore portio et maior ſolidarum, ſupereſt, vt minor ſit et minor ſemper partium firmarum dilatatio, minus adeo incrementum. Verum datur finis incrementi, ad quem animalia minora et ea, quibus pulſus eſt velocior, vti aues, citius perueniunt. Explicatu tamen facile non eſt, quare foeminarum incrementum breuius ſit, quam virorum: forte res ex eo declaratur, quod, cum telam omnem corporis habeant molliorem et pulſus numeroſiores, et celerius increſcant, citius earum mollior cartilago ad tenuitatem, quae vltima eſt, reducatur. Pubertas ipſa, quae maxima eſt in corpore humano rerum conuerſio, tunc ſuperuenit, quando arteriae hypogaſtricae, in foetu perexiguae, hactenus cum ſuis ramis euolutae ſunt; poſt pubertatem exiguum eſt, quod
p. 34. plerique aut iuuenes creſcunt, aut puellae. Incrementum inaequale multis modis fit, vt aliae partes corporis aliis celerius increſcant. Incrementi nimii multae et magnae cauſſae ſunt; videtur inprimis vis impellens maior eſſe, et cum ea pororum laxitas coniungi, et abundans alimentum. Incrementum nimis paruum efficit omne fere morborum genus, quod humorum motum non accelerat, frigus et plantarum et hominum ſtaturam imminuit, et reſiſtentia aucta incrementum paruum efficit. Hinc labores nimii, fibram ante tempus indurantes, ſtaturae mire nocent. Statura humana iuſta circa ſex pedes helueticos eſſe videtur, eſtque in omnibus animalibus non quidem anxia, quaſi de modulo

ex-

expreſſa, analogia, ſed tamen, vt cum libertate aliqua ſuum genus regat, lex ſtaturae. A limite iuſtae ſtaturae humanae aliquae gentes euagantur; ſed tantos ſtaturae humanae errores non ſinit veros eſſe conſtantia naturae, multoque minus populos gigantum aut vnquam fuiſſe, aut noſtro ſeculo ſupereſſe, Noſter putat, et cum naturae fabrica gigantes conſiſtere vix poſſe, oſtendit. Cauſſam ſi requiſiueris, cur aut nonnulli homines, aut nonnullae gentes maiorem ſtaturae menſuram conſequantur? in vniuerſum ſtatuit Noſter, tunc procerum futurum hominem, ſi et alimento abundauerit, et flexiles habuerit ſui corporis partes, et cordis motum minus velocem. Quod ad ſtaturam iuſto minorem attinet, gentem nanorum nullam dari, Ill. Auctor aſſerit, neque putat videri, Deum hominum genera creaturum fuiſſe, qui belluis regendis inepti eſſent. Caeterum nanos morbo aliquo imperfectos manere, plerumque difformes, et raro eleganti forma, autumat.

Quando incrementi finis nunc venit, tunc quidem homo, quantum per eius conditionem licet, perfectiſſimus eſt. Et tamen iam tunc in pulcherrimo illo aetatis flore ſemen adeſt ſenii ipſiusque mortis. Nam in ipſo iuuene multa amittuntur elementa corporis prioris, quae nouis ſtaminibus ſarciri neceſſe eſt: et induratio vniuerſi corporis, quae neque ab infantia abfuit, clanculum pergit eo tendere, vt homo terra fiat, quem in terram aequum ſit redire. De fluidarum particularum iactura nulla eſt dubitatio; verum, etiam partes firmas conſumi, putandum eſt. Mutari easdem, oſſium morbi eorundemque decrementa, dentiumque incrementa per ſuccos, per eorum interſtitia motos, docent. Si oſſa vero et dentes nouantur, ſi adeo vetuſta elementa delentur, et noua iis ſuccedunt,

dunt, de aliis corporis partibus minus firmis non oportet dubitare. Elementa verò ſunt, quae decedunt. Mechanicae huius conſumtionis cauſſae in elongatione et contractione, cohaeſionem elementorum fibrae debilitante, quaerenda eſt; inde autem flexio alterna fibrarum omnium et glutinis auulſio ſequitur. Accedit porro frictio, per quam elementa internorum parietum arteriarum et vaſorum in vniuerſum conſumuntur. Confirmant eandem deletae valuularum inter fibras firmiores membranae et ſcrobes illae maiores, quas in aorta arteria adeo frequentes et vlcerum ſimiles Noſter vidit. Sed neque terreum fibrae elementum ab eo attritu tutum eſt, ſiquidem ſoluto glutine terrea particula perinde labaſcit, et ſede mouetur. Detritae iſtae partes, ſiue a pariete vaſis proueniant, ſiue de celluloſitate auulſae cum adipe in venas redeant, ſiue de oſſibus reduces venoſo ſanguini reddantur, per circulum circumeunt, vt materiem vberrimae illius terrae, quae in vrina reperitur, conſtituere videantur. Fluidae partes celeriter reparantur, et poſt exiguum dierum numerum ſanguinis iactura reſarcitur, omnesque humores ex eadem materie, vnde priores, reſtituuntur. Solidarum partium iactura reparatur ex gelatina, quae terreas etiam particulas
p. 65. ſupplet. A vigeſimo aut a vigeſimo quinto ad quadrageſimum eſt *Status*, in quo homo porro neque increſcit, neque decreſcit, ſuique in vniuerſum ſimilis eſt. In eo ipſo tamen ſtatu multa mutantur. Decedit quotidie pars eius non exigua, per vrinam, perſpirationem, detritionem: id reparatur alia nouaque de alimento ſumta materie. Alia eſt mutatio corporis perfecti, quae videtur ad incrementi genus pertinere, nempe obeſitas. Quando nimirum plenum incrementum iuuenis attigit, tunc obeſitas incipit renaſci. Is adeps in vniuerſum

corpus

corpus deponitur, paucis exceptis partibus, in cellulosas telas pene omnes, non item in viſcera, forte, quia pauciores in iisdem ſunt arteriae, aut anguſtiores pori, ſiue viſcerum ſtrictior cellulosa tela adipem non recipit. Cur vero poſt finem incrementi homo pinguescat, cauſſa haec eſt: bene nempe alitur, incrementum nihil ſucci abſumit, laxa eſt cellulosa tela, et fere ſub ea tempora, fracto aliquantum impetu cupidinis, quietius viuitur. Qui enim pergunt corpus exercere, vt ruſtici, et quibus ſtrictus eſt cellulosae telae habitus, vt cholerici homines, in eos nunquam obeſitas cadit. Finis autem vix vllus eſt incremento. Cutis enim, cellulosae telae, membranae cedere aptae ſunt, dum dilatantur.

At enim vero dum corpus increſcit, et vires di- p. 68.
ſtendentes viribus reſiſtentibus ſuperiores ſunt, tamen animale corpus vndique dureſcit, et elementa ſolida ad minora interualla coeuntia, vaſa excoecata et terrae portio increſcens, reſiſtentias aequales faciunt viribus dilatantibus. Cauſſa itaque decrementi eſt maior cellulosae telae vis attractilis. Quare ſi potuit vis haec cordis dilatantes vires aequare, dum tamen elementorum maior erat diſtantia, ſuperabit certiſſime eandem dilatantem cordis potentiam, ſiquidem ea diſtantia iam minor fuerit. Sed aliae inſuper ſunt cauſſae decrementi. Prior et perpetua eſt excoecatio vaſorum, tunc autem vaſa coeca deſinunt alimentum partibus vicinis adfundere: deſinunt ergo eae ali, et ſenſim diſſipato vndique fluido humore, in ſolidam maſſam, a longa contractione minorem abeunt. Altera cauſſa habet aliquid morboſi et tamen frequens eſt. Fit a vapore gelatinoſo, vndique circa fibram aut cellulosam aut muſculoſam coacto, vt tota ea regio craſſa, coeca, alba ſit, non tamen continuo dura, quae ſcirrhi eſt conditio. Porro vis inſita et neruoſa minuitur; aliam

aliam cauſſam humorum mutatio dat. Si plus eſt terrae et partium durarum in homine, minus eſt adeo partium fluidarum: inde ſenes minus aluntur, quia minus adeſt humoris alibilis. Deinde humores, qui blandi omnes ex naturae manu prodeunt, corrumpuntur, et ob diminutam perſpirationem, et ob diuturniorem in ſenio retentionem foecum acres fiunt. Porro maximum vitium humorum ſenilium eſt, terram ſuper modum prioris aetatis abundare. Ex ea autem terrae vbertate cruſtae calloſae, cartilagineae et oſſeae naſcuntur. Hae nunc coniunctae cauſſae ſunt ſenii, in quo conueniunt cordis magnitudo minor, ſi cum foetu comparetur, et irritabilitas pro portione iunioris hominis diminuta. Deinde in toto ſyſtemate nerueo ſenſus minus acer, vis inſita minor, vaſorum numeroſorum iactura, coecitas, et in vniuerſa fibra, ac ſanguine maior terrae portio, coctiones, excretiones et vires muſculares minores, acrimonia denique per omnes
p. 84. humores ſubnaſcens et impuritas? Sed quaeritur, num detur reiuuenaſcere. Non impoſſibile eſt eo modo, ſed per aliam diaetam, humectantem nimirum, lacteam, vegetabilem, et per alium aerem, multo calidiorem, quam aer eſt patrius, aliquid obtinere. Duo nempe ſunt, quae facere oportet, humoris ſufficientem copiam reſtituere, et irritabilitatem partibus ſolidis reddere. Illud diaeta, hoc regio calida facit. Pergit interim vitae torrens nos ad oras aeternitatis, tacita, ſed irreſiſtibili vi deuehere, fiuntque ea vitia omnia, quae in ſenio notantur, in decrepita aetate maiora. Primumque vniuerſum fere ſyſtema neruoſum nunc inutile eſt; vis irritabilis amittitur, redeunt in ſe ipſos ſenes et ſtatura minuitur, macileſcunt ſenes, denique cor ipſum, princeps machina animalis corporis, oneri ſuccumbit.

Solus

Solus terminus eius quietis incertus eſt, alius tamen aliusque pro varietate animalium, gentium et hominum deprehenditur. Arbores longaeuiſſimae ſunt; longaeuitatem agnoſcas ex lentore, quo ad plenum incrementum ſuum perueniunt. Inter animalia inſecta pleraque breuis aeui ſunt. Diuturnior vita eſt iis, quae non transformantur; iterum hic longaeua ſunt, quae lente creſcunt, breuis vero aeui inſecta ſunt, quae ex verme in perfectam muſcam ſubito abeunt. Piſcium lentiſſimum et forte perpetuum eſt incrementum ob oſſa flexilia. Quadrupeda ouipara, quae inter piſces et calida quadrupeda media ſunt, et ipſa valde ſunt longaeua. Aues, etſi ſtatura infra quadrupeda eſt, tamen creduntur longaeuiores eſſe; mirum quidem dictu. Auium enim incrementum breuiſſimum eſt. Vnde autem auium longaeuitas? Terra ſuperflua ſe multo facilius, quam quadrupeda, liberant, cum per veſicam calx manifeſta decedat. Denique et vrinam minus retinent, neque faeces, neque quisquam aues docuit ſibi in iis naturae officiis moram imponere. Quadrupedum in vniuerſum breuis vita eſt, quam dentium iactura fere abrumpit. Neque enim cibos ſuos absque dentium miniſterio bene norunt coquere. Deinde in quadrupedum corde frequens naſcitur concrementum oſſeum, quod non poteſt non eius organi functioni eſſe obſtaculo. Ex omnibus autem exemplis coniiciendum eſt, vt tempora fere geſtationis et incrementi, ita vitae tempora eſſe. Iterum magna animalia fere in omnibus claſſibus parua diuturnitate vitae ſuperant. Iis cor minus irritabile, pauciores pulſus, veneris cupido rarior, foetus minus numeroſi. Denique videtur regionem calidiorem longaeuitati fauere. Homo inter longaeuiſſima animalium eſt, vt iniuſtae ſint de breui vita querelae. Omnia enim ſunt in homine,

p. 89. p. 95.

quae lentas vitae periodos indicant: vtero diu geritur; omnium animalium tardiſſime dentes edit; creſcit annis viginti; epiphyſes diutiſſime cartilagineae manent; pubertas ſerotina eſt; ſed, quod caput rei eſt, homini prae omnibus quadrupedibus molliſſima eſt tela celluloſa et vniuerſa fabrica tenerior. Nunc ſi induratio cauſſa eſt decrementi, ſenii et mortis debet ea tardior homini ſuperuenire, cui tanto mollior natura, et ne ſeni quidem decrepito ea ſit duritas, quae eſt in decenni equo. Longaeuitas ergo Ill. Auctori videtur homini contingere, vitam autem praeter cauſſam aliquam, in fabrica corporis fundatam, abrumpi ante diem, quoties non ad ſenectutem decrepitam peruenit, ad quam deſtinatur. Ipſe lentor pulſus ſenilis vitam prorogat, dum conſumtionem minuit.

p. 96. Annos definire difficilius erit. Numerum annorum vltimum, ad quem homo viuendo peruenit, a natura nobis deſtinari putat Noſter, et caſu aliquo, et externa iniuria, eum numerum in plerisque mortalibus minui. Cauſſae, quae vitae terminum abbreuiant, non in eiusmodi malis quaerendae ſunt, quae in naturam humanam neceſſario cadant, ſed, quae in conditionem humanam cadere poſſint, et tamen vitari, vti vitantur, etſi non a plerisque, tamen a nonnullis. Quod ad regiones longaeuas attinet, nullam fere eſſe, oſtendit Noſter, ſiue calidam, ſiue frigidam, in qua non aliqui homines ad ſummum ſenium peruenerint, inde longaeuos homines boreales, Europae orientalis, Germanos, Anglos, Heluetos, Gallos, Italos, Hiſpanos, Graecos, Aegyptios, Indos, Inſulanos Indiae finitimos, Aethiopes, Americanos auſtrales et boreales recenſet. Ad longaeuitatis cauſſas Noſter accedens notat, longaeuos plerosque ſobrios fuiſſe, ſtrictumque victum obſeruaſſe, aliquos tamen liberioris vitae longaeuos homi-

homines repertos eſſe, non negat. Vitae porro genus conſiderans Noſter, ad locos, in quibus habitatur, attendit, multosque longaeuos ruri vixiſſe, tamen etiam in vrbibus conſenuiſſe et curis caruiſſe, vitamque contemplatiuam ſecutos fuiſſe, notat. Inter ſexus foeminas, quae pericula ex puerperiis ſuperarunt, ob molles fibras, tardius indurandas, et ob id, quod a venere minus laedantur, plerumque vltra virorum annos edurare, ſed etiam viros ſaepe ad ſenium peruenire, quibus iuuenta debilior fuerit, denique ipſas familias, in quibus ſtamina vitae meliora videantur, ad longaeuitatem quidquam feciſſe monet.

Ex recenſitis his cauſſas nunc eruere conatur p. 118. Noſter, quae faciunt, vt communem ſortem aliqui mortales diu effugiant. Aliquas earum extra poteſtatem noſtram eſſe, concedit, ad longaeuitatem tamen vitae bona eiusdem ſtamina, cor et ingenium minus irritabile et mediocria omnia multum facere, immo requiri, autumat. Cur vero longaeuitas antidiluuiana poſt diluuium decreuerit, aerem forte, anni tempora, meteora, terram, in diluuio mutata, quidquam conferre, ſemper tamen problema ob paucitatem datorum inſolubile manere, putat. Vtcunque vero minuas cauſſas mortis, ſi tamen pergit corpus indurari, ſi nerui calleſcere pergunt, ſi pergit cor de irritabili natura amittere, neceſſe eſt, vt aliquando cedat oneri, humoresque, quorum motus vita erat, deſinat circumagere, nempe vt animal moriatur. Senibus aliquo ante mortem p. 121. tempore extremitatum et ſenſuum vix vllus vſus ſupereſt, aluus ceſſat, lotium retinetur, pulſus parciſſimus eſt et intermittens, et ſomnus aut certe ſopor irruit, loquela difficilior fit, neque caput ſe ſuſtinet, neque manus animi imperata exſequuntur, vltimo reſpiratio laborioſa fit, cor aliquamdiu

ante mortem ſanguinem non poteſt per arterias, nimium reſiſtentes, in venas propellere, plerumque tunc aliquot pulſuum interuallo quieſcit, denique a ſanguine et relabente et appulſo irritatum, molitur pulſum, isque nunc ſtatus eſt, in quo ſanguis per pulmones tranſire impos anxietatis ſenſum facit. Sic per interualla et cor pulſat et inſpiratio aliquando aliqua ſuccedit, donec ne accumulatus quidem ſanguis poſſit cor ad motum incitare, et tunc pulſus interrumpitur, nunquam rediturus. Primus autem ventriculus ſiniſter quieſcit, denique etiam dexter contrahi deſinit, vltima vena caua ſanguinem alterno motu et verſus aurem impellit et relabentem recipit, quoad et ipſa ad ſtimulum obſurdeſcat. Si ſignum praeſens certumque mortis requiras, neque cordis quies, neque inſenſilitas ad omnem ſtimulum, neque frigus corporis neque rigor ſufficient. Poteſt enim cordis vis irritabilis ſupereſſe. Si verus finis vitae requiritur, mortem adeſſe autumat Noſter, quando cordis irritabilis natura periit. Mortuum corpus in putredinem ruit, quae ſolutis vinculis elementorum, oſſa in terram reſtituit, vnde primum nata ſunt. Sed quid de anima? audiamus vltima verba, quibus Ill. Auctor, verus Dei et religionis cultor, immenſo huic phyſiologiae operi excellentiſſimo ſane et vtiliſſimo finem imponit: *Animam*, inquit, *Deo reddimus*, *cui ſoli eius a morte ſtatus notus eſt. Adſulgentis tamen fugienti animae ſpei non raro in moribundis ſigna vidi*, *qui ſereniſſimo vultu*, *non ſine blando ſubriſu*, *de vita exceſſerunt. Quae ipſa mors ſapientis hominis merito vltimum eſt et potentiſſimum deſiderium.*

XII. Ex-

XII.

Experimentorum ad veriorem cyſticae bilis indolem declarandam captorum ſectionem primam proponit ac ſimul ad audiendam orationem inauguralem d. 22 Dec. a. 1764. habendam inuitat PHILIPPVS GEORGIVS SCHROEDER, Phil. et Med. Doct. et Prof. Anat. Ord. Gottingae, ſumtibus Vict. Boſſiegelii. 4. pl. 6.

Notum eſt, poſt BOERHAAVIVM omnes fere phyſiologos aſſeruiſſe, ſaponaceam eſſe bilis naturam, cui ſingularis acrimonia, quam nonnulli alcaleſcentem putarunt, iuncta ſit, indeque facillime eam in putredinem abire. Quales autem ob hanc bilis naturam eidem vſus a phyſiologis tribuantur, neminem fugit. Interim quae Cl. PRINGLE contra bilis vim, qua fermentationem impedire dicitur, et Cl. KÜCHELBECKER contra indolem eius ſaponaceam in vniuerſum, dixere, Cl. Auctorem ad noua hac in re tentamina inſtituenda impulerunt; quae igitur hoc libello enarrat, et inde varia conſectaria proponit. Vſus vero eſt Noſter tum bouina et ſuilla, tum etiam humana bile, omniaque experimenta in calore moderato inſtituit. Commiſcuit autem bilem inprimis cum lacte, variis oleoſis, gummoſis, gummo-reſinoſis et reſinoſis corporibus etc. quae experimenta, quamuis egregia et omni attentione digna ſint, hic tamen enarrare ſpatii anguſtia vetat. Ex his vero omnibus eluceſcere Noſter ſtatuit: 1) ſeceſſionem cremoris ex lacte bilis admixtione neutiquam impediri, ſed potius accelerari; 2) lactis coagula a bile, vel coctione quoque adhibita, non diſſolui; 3) lac, cum bile

p. 6.
p. 13.

bile commixtum, aceſcere: aliam tamen eſſe huius aceſcentiae rationem, quam in puro lacte, quae res pluribus adhuc experimentis explicanda eſſet; 4) veram oleorum ſolutionem in bile haud contingere, nec olea bilis ope perfecte aquae miſceri; 5) bilem aliquid ad extricanda olea ex mixto quodam conferre; 6) neque reſinoſa, neque gummi-reſinoſa, ſed tantum aliquam partem gummoſorum a bile ſolui. Hinc Cl. SCHROEDER tandem concludit, vim bilis ſaponaceam in chylopoieſi nullam eſſe. Dubia, quae contra hoc aſſertum moueri poſſint, alia in ſcriptione experimentis diluere ſibi apud animum Cl. Auctor conſtituit. Quo plus non poterit non vnicuique phyſiologorum intereſſe, vt in hac re ad certitudinem poſſit tandem perueniri, eo ardentius rogandus eſt Cl. Auctor, vt huius operis continuationem quam proxime nobiscum communicet.

XIII.

The virtues of Cinnaber and Musk againſt the Bite of a mad Dog, illuſtrated, in a Letter, to Sir GEORGE COBB, Baronet etc. By IOSEPH DALBY, Surgeon. Birmingham, printed by Iohn Baskerville, 1764. 4. pl. 8.

i. e.

Vires cinnabaris et moſchi aduerſus morſum canis rabidi illuſtratae in litteris ad Illuſtr. GEORG. COBB etc. Auctore IOSEPH. DALBY, Chirurgo.

Duplex conſilium Cl. huius libelli Auctor ſibi propoſuit: primum vt praeſtantiam remedii illius notiſſimi, quod ex cinnabari et moſcho componitur, et ab Ill. COBB publicatum, a Cl. vero NUGENT magis adhuc confirmatum eſt, ſuis etiam obſeruationibus, ab anno 1747. collectis, illuſtret: deinde vt illud ipſum quoque contra cenſuram nonnullorum defendat. Maxima vero experimentorum et obſeruationum pars, quae hic publicantur, in brutis, canibus ſcilicet, ſuibus et equis, pauca tantum in hominibus inſtituta ſunt. Inter animalia illa p. 10. canis fuit iam rabidus, qui ope quatuor doſium, quarum quaeuis ſedecim moſchi grana continebat, in ſanitatem reſtituebatur. In reliquis animalibus hoc remedium praeſeruatiue tantum datum fuit, ſaepius tamen Noſter obſeruauit, quanta illius hac in re ſit efficacia. Quodſi enim plura animalia morſu canis rabidi vulnerata eſſent, ea in quibus hocce remedium adhibebatur, vt plurimum ab hydrophobia libera manebant, reliquis, in quibus alia curatio tentabatur, morbo illo affectis. Quae enim vulgo

proponuntur medicamenta et methodi, eae omnes,
vti plura tentamina Noſtrum docuerunt, omni vi de-
p. 13. ſtitutae fuerunt. Quod etiam de ipſa vulneris caute-
riſatione et ſubmerſione in aqua marina valere, exem-
p. 17. plis pluribus confirmatur. In ipſa tamen huius re-
medii applicatione duplici cautione opus eſt: pri-
mum vt illud, ſi fieri poteſt, ſtatim poſt vulnus ac-
ceptum porrigatur, deinde vt illius vſus ſaepius per
quatuor vel quinque ſeptimanas repetatur. Cum
vero moſchi pretium nimis magnum ſit, quam vt
hoc remedio in medicina veterinaria commode ad-
hiberi poſſit, varia conſilia Cl. Auctor dat, quo mo-
do moſchi pretium minui et adulteratio eius impe-
diri queat.

p. 21. Accedit tandem ad refutationem epiſtolae cuius-
dam, a Cl. BRAKEN in nouellis publicis publicatae,
in qua Cl. NUGENT eiusque remedium impugnan-
tur, et ſcarificatio vulneris atque inunctio partis vul-
neratae cum pinguedine anſerina commendantur.
Licet vero Noſter iuſto acrius in refellendo illo ad-
uerſario verſetur, tamen concedit, dilatationem
vulneris et pinguedinis applicationem ſuo vſu non
p. 41. deſtitui. In ſupplemento adnexo docetur, ab HIP-
POCRATE nullam hydrophobiae mentionem factam
eſſe, ſed illum vocabulo *βραχυπόται* tales aegros
inſigniuiſſe, qui in phrenitide ſpecie aliqua delirii
affecti eſſent, in quo rarius, nec niſi per plura in-
terualla bibunt. Confirmat quoque, veram hydro-
phobiam non vt ſymptoma alios morbos auctos co-
mitari, ſed eſſe huic morbo propriam. Licet enim
alii aegri nonnunquam potum omnem auerſentur,
tamen hoc vel delirii ſpecies eſt, vel ex aliis cauſſis
pendere poteſt, vti hic exemplo hyſtericae cuiusdam
foeminae probatur.

XIV. Fau-

XIV.

Fauna Inſectorum Fridrichsdalina, ſiue methodica deſcriptio inſectorum agri Fridrichsdalenſis, cum characteribus genericis et ſpecificis, nominibus triuialibus, locis natalibus, iconibus allegatis, nouisque pluribus ſpeciebus additis. Hafniae et Lipſiae, in officina libraria Io. Frid. Gleditſchii, 1764. 8. pl 7½.

Libelli huius Auctor, vti ex dedicatione praefixa apparet, eſt Vir Clar. OTTO FRIDERICVS MÜLLER, qui Ill. Comitis DE SCHVLIN ſtudia conſiliis ſuis direxit. Is, cum in villa *Fridrichsdahl*, quae duos tantum lapides ab Hafnia diſtat, plantarum hiſtoriae operam daret, eo ipſo tempore ſimul inſectorum cognitioni vocauit, et omni ſtudio quascunque ſpecies, in agro Fridrichsdaliano obuias, collegit, atque collectas cum deſcriptionibus Ill. LINNAEI comparauit. Horum itaque inſectorum catalogum, ſecundum methodum Ill. LINNAEI diſpoſitum, hoc libello publicauit, ſingulisque generibus et ordinibus characteres praepoſuit, vt inſectorum disquiſitio tironibus eo facilior redderetur. Praeſtantiores quoque icones ex optimis auctoribus commemorauit, nouasque ſpecies aſteriſci ope diſtinxit. Continentur vero in hac Fauna ſpecies 858, inter quas fere centum et viginti ſunt, quas Cl. MÜLLER vt nouas propoſuit. Vniuerſo operi quoque tabulam praepoſuit Noſter, in qua methodica diuiſio inſectorum Linnaeana cum ea, quam Cl. GEOFFROY in *Hiſtoria Inſectorum agri Pariſini* *) dedit, comparatur, nouaque genera Cl. GEOFFROY ad Linnaeana genera reducuntur.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XI. P. IV. p. 612.

XV.

Conſultations ſur la pluſpart des maladies, qui ſont du reſſort de la Chirurgie. Par HENRY-FRANCOIS LEDRAN, Maitre en Chirurgie, Ancien Directeur de l'Académie Royale de Chirurgie à Paris, de la Société de Londres, ci-devant Chirurgien en Chef de l'Hôpital de la Charitè, et Ancien Conſultant des Armées du Roy. à Paris, chez P. Fr. Didot, 1765. 8. 1 Alph. 5 pl.

i. e.

Conſultationes de plurimis morbis chirurgicis. Auctore HENR. FRANC. LE DRAN.

Vt in vniuerſa arte medica, ita praecipue in ea parte, quae manu medetur, regularum generalium, quas theoria tradit, applicationem ad morbos ſpeciales difficillimam eſſe, atque hac ipſa re potiſſimum medicum rationalem ab empirico diſtingui poſſe, neminem fugere arbitramur. Laude itaque omnino dignum eſt Cl. LE DRAN, tot egregiis ſcriptis et longa felicique praxi illuſtris, conſilium, quo hasce conſultationes exarare, et publici iuris facere conſtituit, potiſſimum in eorum chirurgorum vſum, quibus occaſio deficit, plures morbos examinandi, et ingenium frequentiore ſymptomatum diiudicatione acuendi. Ea autem in hoc libro vſus eſt Cl. Auctor ſcribendi forma, vt fingeret, chirurgum tironem conſulere veteranum de morbis, quorum hiſtorias ad eum per epiſtolas mittit, cui deinde tironi reſponſio datur a veterano. Adiecta quoque ſaepe eſt relatio de morbi exitu, conſiliorumque datorum euentu. Intelleximus autem duplex Cl. Auctoris fuiſſe

in

in publicandis hiſce conſultationibus, in quibus, etſi ficta videbatur narratio, tamen vera morborum, in praxi ſua antea notatorum, exempla ſubſunt, conſilium. Primum eſt, vt tirones doceat, quomodo hiſtoria morbi formanda, diuerſaque ſymptomata explicanda et diiudicanda ſint; alterum, vt iis viam in praxi chirurgica monſtret, inſtruatque eos, quo modo interdum a regulis communibus recedendum ſit, et exceptio quaedam locum habeat, vel etiam nonnunquam quid addendum ſit. Morbi autem chirurgici, de quibus hic agitur, alphabetico, non ſyſtematico, ordine diſpoſiti ſunt, quod melius fuiſſet, cum hiſtorias ſimiles diuerſo loco poſitas eſſe, aut eandem hiſtoriam bis occurrere vidimus. In p. 13.
vniuerſum autem hic liber egregias pathologicas et 233.
therapeuticas obſeruationes continet, ita vt lectio illius tironibus omnino commendanda ſit. Quum vero nonnullae ex iis ſpeciminis loco adducendae ſint, ſequentes adnotaſſe ſufficiat.

Ad corpus peregrinum paruum, in vulnere reli p. 45.
ctum, ſine ſectione educendum, Cl. Auctor lapide 105.
infernali ita vſus eſt, vt paruum eius fruſtulum in vulnus immiſerit, vnde eſchara molliore, quam in cute nata, digito vel ſpecillo, ſine irritatione aut dolore, corpus peregrinum educere potuit. Vlna p. 63.
et radio enſe ita diſciſſis, vt, muſculis inferioribus 94.
exceptis, totum brachium a corpore abſciſſum eſſet, tamen vulnus ſine ſutura cruenta, ſola deligatione curatiore adhibita ſanatum eſt. Iniectiones in vul- p. 78.
neribus pectoris, ſi pulmones laeſi ſunt, plane reiicit, cum illae tuſſim excitent, et dilacerationi partium anſam praebeant. Cranii pars, per dedolatio- p. 91.
nem a reliqua calua ſeparata, vulneri recenti immiſſa, oſſi, a quo ſeparata erat, iterum agglutinata fuit. Globulus, e ſclopeto emiſſus, per os frontis in cere- p. 127.
brum penetrauit, ibique per annum latuit ſine vlla

noxa,

noxa, donec, aegro morbo alio exſtincto, ad latus
p. 140. ſellae equinae reperiretur. Digiti pars, in articulatione fere tota a reliquo digito reſecta, ſolius faſciae et ſuturae ſiccae ope cum illo iterum concreuit.
p. 147. Ad vitandam lithotomiam in calculis minoribus veſicae, Cl. Auctor ope bacillorum, ex linteo cerato conuoluto formatorum, vrethram ſenſim ita dilatauit, vt calculus piſi maioris magnitudinem habens, cum
p. 170. vrina, diu retenta, exierit. Notatu porro digna eſt obſeruatio, de exſtirpatione excreſcentiae fungoſae ex orbita, in angulo minore propullulantis, ope cauterii actualis.
p. 201. Fiſtulas ani diu toleratas non exſcindendas eſſe
213. Cl. Auctor monet, cum aegri ob habitualem, quae per fiſtulam fiebat, euacuationem ſuppreſſam, poſt operationem alio morbo vt plurimum pereant.
p. 206. Paruae vrethrae fiſtulae, quae ſaepius oriuntur, ſi via vrinae per callos anguſtata fuerit, vrethra per bacillos, ex linteo cerato factos, dilatata ſponte ſa-
p. 214. nantur. Sectione tamen quoque vſus eſt Noſter in vrethrae fiſtula complicata, cuius operationis vni-
p. 230. uerſa hiſtoria attentionem meretur. Quanta cautione opus ſit, ne ob vulnera, quae ab alio inſtrumento facta ſunt, ſimplicem oſſis fracturam pro complicata habeamus, hiſtoria docet puellae, quae eodem temporis momento, quo femoris os in ea diffractum fuerat a forfice, quam appenſam habuerat, quoque in fractura laedebatur, vt chirurgus complicatam hanc fracturam eſſe exiſtimans, totum
p. 245. membrum iam reſecare vellet. Ligamentum patellae diſciſſum ſine ſutura ſolius ſitus et faſciarum
p. 314. ope ſanatum fuit. Vrethram adeo contractam, vt catheter nullo modo in veſicam penetraret, Cl. Auctor ope chordarum, ex inteſtinis confectarum, quales in inſtrumentis muſicis adhibentur,
p. 332. ſenſim ſenſimque dilatauit. In fractura patellae

male

male curata, vbi genu perpetuo flectitur, pes per tres vel quatuor menſes in perpetua extenſione ſeruandus eſt, quo totum membrum rigidum fiat. Deinde ſenſim ſenſimque flexio eius tentanda eſt, quae res nonnunquam tam bene ſuccedit, vt aegri poſtea pede ſatis commode in extenſione et flexione vti poſſint. Poſt laeſionem vaginae vteri in partu laborioſo, in ea concrementum aliquod calculoſum natum eſt, ad quod cum parua tantum via pateret, neque Cl. Auctor ſectionem inſtituere vellet, anguſtum hoc iter ille ſenſim ſenſimque chordis, ex inteſtinis fabrefactis, dilatauit, ita vt, via tandem ſatis ampla reddita, concrementum hoc in parua fruſtula diſſolutum exire poſſet. Illos tumores, qui cum carie oſſis remoti coniuncti, pure ichoroſo repleti ſunt, et poſt febres ex metaſtaſi oriuntur, Noſter non aperit, ſed ſolam palliatiuam curam adhibet, qua aegri nonnunquam per ſatis longum tempus conſeruantur, qui alias citius periiſſent. In aegris paroxyſmo hyſterico correptis applicatio cucurbitularum ſiccarum ad pedes, egregium vſum habuit. Adnexae ſunt tandem duae epiſtolae, in quarum prima hiſtoria enarratur viri, qui inſectum, quod forte ſcolopendra fuit, vomitu reiecit, et deinde vomitum cruentum expertus eſt, in cuius tandem ventriculo vlcus carcinomaticum repertum fuit. Altera continet caſum viri, qui furcam deglutiuit, quae poſt annum demum, quo tempore grauiſſima ſymptomata excitauit, per anum exiit, aegro in integram ſanitatem reſtituto.

p. 337. p. 396. p. 409. p. 413. p. 420.

XVI.

XVI.

Philoſophical Transactions giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. LIV. for the Year 1764. London, printed for L. Davis and C. Reymers, 1765. 4. Alph. 2. pl. 12½. tab. aen. 26.

i. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LIV. ad annum 1764.

Pauciores profecto ex hoc Volumine articuli propius ad nos pertinere videntur.

p. 1. 1) *Relatio de Mumia examinata Londini* 1763, ex litteris Cl. IOAN HADLEY, ad Cl. HEBERDEN *). Quamquam plures ſunt auctores, qui mumiarum diſſectionem et examen ſuſceperunt, quam Auctor huius commentarii nominauit, tamen multa inſunt, quae partim ab aliis antea propoſita confirmant, partim noua et Auctori propria eſſe videntur. In vniuerſum autem ex hac diſquiſitione, omni ſtudio a Cl. HADLEY aliisque medicis Londinenſibus ſuſcepta, patet: ante cadauerum balſamationem oſſa carnibus plane nudata fuiſſe, ſi inferiorem pedum partem exceperis: ſceleton deinde per aliquod tempus in pice, igne liquefacta, ſeruatum, caua corporis eiusmodi pice repleta, totamque mumiam linteis aliquo modo inuolutam iterum in picem immiſſam fuiſſe, ita vt pix non ſolum interiora

*) lect. d. 12. Ian. 1764.

riora faſciarum ſtrata, ſed et oſſa ipſa penetrauerit. Sub pedum planta in hac mumia reperta fuit radix aliqua bulboſa, quae recens et incorrupta adhuc erat; aderant quoque in pedum digitis vngues, et ipſa cuticula carnisque veſtigia, quae tamen omnia pix penetrauerat, vt probabile ſit, pedes ante immiſſionem corporis in maſſam piceam linteis fuiſſe inuolutos. Huius vero ipſius maſſae chemica disquiſitio Cl. HADLEY docuit, conſtare illam ex vegetabili ſubſtantia, non vero, vti varii veteres tradiderunt, aſphaltum eſſe. Aliquo modo cum myrrha conueniebat, ita vt certum ſit, Aegyptios reſinae cedri, qua forte vſi ſunt, alias quoque aromaticas reſinas admiſcuiſſe.

2) *Continuatio hiſtoriae morbi* Cl. BUTLERI *) p. 15. ex litteris Cl. MOUNSEY ad Cl. HENR. BAKER **). Singularem huius morbi hiſtoriam, quo vir ille Moſcouiae degens, papyro coloribus tingendo victum ſibi parans, eo tempore affectus eſt, quo viride aeris et lamellas auri ſpurii cum aqua forti miſcebat, iam alio tempore Cl. MOUNSEY cum Societate communicauit. Non tamen aeger ille, vti ibi traditum eſt, poſt primum morbi impetum plane in ſanitatem reſtitutus fuit, ſed poſtea quoque, non ſolum ab odore colorum ex metallis paratorum, ſed etiam ab attactu ſolo metallicorum corporum, quae nullum plane odorem habebant, ſemper anxietatibus, artuum tremore, lipothymia et variis aliis grauiſſimis ſymptomatibus corripiebatur, quod de vitriolo, viridi aeris, cupro, ferro, et ceruſſa variis exemplis probatur. Ipſa medicamenta martialia, licet in valde

*) vid. Phil. Transact. Vol. L. p. 19. Commentar. noſtr. Vol. IX. Part. IV. p. 668.

**) lecta d. 19. Ian. a. 1764.

valde exigua doſi data, aegrum ſemper peſſime affecerunt.

p. 24. 3) *Deſcriptio noui ac tuto mouendi tolenonis ſeu machinae, qua onera in altum tolli poſſunt, inuentae* a Cl. IACOBO FERGUSON.

p. 29. 4) *De lunae diſtantia et parallaxi*, epiſtola Cl. P. MURDOCH ad Cl. A. REIS.

p. 38. 5) *Tentamen explicationis originis et formationis belemnitarum.* Auct. Cl. IOSHUA PLATT *). Deſcribit Cl. Auctor inprimis duas ſpecies in Anglia maxime frequentes, *vulgarem* et *fuſiformem*, ſignaque, quibus ab aculeis echinorum ſiue lapidibus iudaicis differunt, explicat. Belemnites enim in perpendiculari directione ad axin ſuam frangitur, lapides iudaici vero in obliqua. Porro diffracti belemnitae ſuperficies radios, qui ex centro progrediuntur oſtendit, e contrario lapidum iudaicorum diffractorum ſuperficies glabra eſt et quodammodo ſplendeſcit. Radii vero, quibus belemnitarum ſuperficies diſtincta eſt, oriuntur ex tenuitate laminarum, ex quibus belemnitae ſubſtantia compoſita eſt. Illae enim, ſi belemnites diffringitur, omnes ſimul eodem tempore a ſe inuicem ita ſecedunt, vt ſuperficies fracturae plana fiat, quod phaenomenon in aliis quoque teſtaceis, quae ex trichitarum claſſe ſunt, v. c. in pinna marina obſeruari ſolet. His praemiſſis Cl. Auctor pluribus argumentis oſtendit, belemnitas ad teſtacea pertinere, laminasque diuerſas, e quibus earum teſta compoſita eſt, ſenſim ſenſimque formari ab animali intus habitante, ea ratione, vt illud interiores primum, exteriores vero vltimo exſtruat. Similis eſt cellularum, in quibus alueoli ſic dicti belemni-

*) lecta d. 26. Ian. 1764.

belemnitarum reperiri ſolent, mechanismus, quarum maximae poſt minores demum vltimo loco ab animale fabricantur. Hinc patet, belemnitas, licet in ipſo mari nondum repertae ſint, tamen animalis marini eſſe exuuias, atque ad eandem fere claſſem cum nautilis eſſe referendas. Alia vero animalia marina, quae haud raro belemnitarum teſtae adnata deprehenduntur, vt pholades etc. ſedem ſuam ibi poſt mortem animalis tantum fixerunt.

6) *Relatio de peculiari quadam Veſpae et Cicadae ſpecie*, ex litteris Cl. SAM. FELTON ad Cl. HENR. BAKER *) Duo haec inſecta, ex inſula Iamaica allata, nondum antea deſcripta ſunt. Primum eſt: *Veſpa crinita ſetis colli, thoracis, abdominisque radiantibus corpore longioribus.* Alterum: *Cicada rhombea, thorace compreſſo membranaceo foliaceo ſubrhombeo, poſtico latiore,* quae ſpecies cum *Cicada foliacea* LINNAEI quodammodo conuenit. p. 53.

7) *Relatio de Armadillo Americano*, Auct. Cl. WILH. WATSON **). Cum Cl. WATSON accuratam huius animalis figuram apud nullum auctorem inueniret, illam hic communicauit, factam ad viuum animal, quod in Anglia nunc ſeruatur. Eſt vero hoc animal *Tatue Braſilienſium* MARCGRAVII ſeu *Daſypus cingulis nouem, palmis tetradactylis, plantis pentadactylis* LINN. Fructus horaeos reſpuit et ſola carne et lacte veſcitur. p. 57.

8) *Ratio quantitatis pluuiae in Sinu Cornubiae* Mountsbay *menſibus iunio et iulio* 1763. *determinata, vna cum obſeruationibus tempeſtatis eiusdem anni*, ex litteris p. 59.

*) lecta d. 2. Febr. 1764.
**) lecta d. 9. Febr. a. 1764.

litteris Reu. W. BORLASE ad CAROLVM Epiſcop. Carlislenſem.

p. 61. 9) *Relatio de hernia veſicae vrinariae calculum continente.* Auct. Cl. PERCIVAL POTT *). Puer ſex annorum ſubito acutum dolorem in inferiore abdominis parte ſentiebat, neque eo durante vrinam excernere poterat. Poſt aliquot dies in ſuperiore funiculi ſpermatici parte tumor durus, piſi magnitudine, indolens detegebatur, qui poſtea ita erat auctus, vt, aegro decimum tertium aetatis annum agente, caſtaneam fere aequaret, ſenſim ſenſimque vlterius deſcendebat. Nullo dolore, leui tantum ſtranguria aeger afficiebatur. Cum vero Cl. POTT nullum in latere affecto teſticulum tactu inueniret, atque de natura huius tumoris dubius haereret, operatio tamen ob incommoda, a magnitudine tumoris metuenda, ſuſcipienda eſſet: eam diligenter ita inſtituit, vt primo integumenta et celluloſam telam caute diſcinderet quo facto cyſtis aliqua firma et quaſi tendinoſa in conſpectum veniebat, quae ſuperius in anguſtum terminabatur finem, qui ex fune tenuiſſimo, calami ſtraminei magnitudinem aequante, pendebat. Intrabat autem ille funiculus vna cum faſciculo vaſorum ſpermaticorum abdomen per annulum abdominalem. Cyſtide vero illa aperta duae circiter vnciae vrinae limpidae effluebant, atque in cyſtide ipſa calculus reperiebatur, iis, qui in veſica vrinaria reperiri ſolent, ſimillimus. Effluebat quoque poſt operationem ex vulnere per quatuordecim vel viginti dies lotium, quod hanc cyſtidem veſicae vrinariae partem eſſe confirmabat; hoc vero tempore praeterlapſo vulnereque ſenſim clauſo, vrina naturalem

*) lecta d. 16. Febr. a. 1764.

lem ſequi coepit viam, aegerque intra menſem plane reſtitutus eſt.

10) *Obſeruationes de Cicada Americae ſeptentrionalis* collectae a Cl. P. COLLINSON *). Licet hoc inſectum in Penſyluania quouis anno inuenitur, tamen non niſi poſt quodque quatuordecim vel quindecim annorum interuallum maiore in copia apparere ſolet. Prorepit vero ex cuniculis, ad radices arborum ſitis, ſub forma hexapodii, mox autem, disrupto externo integumento, alas nanciſcitur, et ſequenti iam die perfectam maturitatem adquirit. Atque ab hoc tempore hae cicadae per omnem regionem disperguntur tanta copia, vt per aliquot dies omnes fere aues, multa quadrupeda et Indiani ipſi iis pro cibo vtantur. Mas fortem ſonum edit ope duarum veſicularum, ſub alis poſitarum, eoque foeminam ad coitum inuitat, quo peracto foeminae circa finem maii oua ponunt. In hoc vero negotio ita verſantur, vt ope aculei, ſemipollicem longi, intra collum et thoracem ſiti, ſumma cum celeritate extremos arborum ramos multis foraminibus perfodiant, ſingulisque ouum immittant, ex quibus circa medium iulii vermes prorepunt, qui mox in terram deſcendunt, ſeque, quo transformationem modo deſcriptam ſubeant, in ea condunt. p. 65.

11) *Relatio de peſte Conſtantinopolitana* ex litteris Cl. MORDACH MAKENZIE ad Cl. IAC. PORTER **). Communicat Cl. Auctor obſeruationes, quas per triginta annos, quibus in orientalibus hiſce regionibus commoratus eſt, de peſte collegit, ea ratione, vt tantummodo, quae ipſe vidit, aperte indicet, neque alios ſcriptores, quorum obſeruationes p. 69.

 a ſuis

*) lecta d. 23. Febr. 1764.

**) lecta d. 23. Febr. 1764.

a ſuis differunt, refutet, cum peruaſus ſit, peſtem non ſolum in variis regionibus, ſed et in vna eademque regione diuerſis temporibus diuerſa quoque in progreſſu oſtendere ſymptomata. Ex obſeruationibus vero, a Cl. MAKENZIE collectis, ſequentes potiſſimum notatu dignae nobis viſae ſunt. Impoſſibile eſt, aegrum quendam ex improuiſo aut ipſo die, quo contagium accepit, mori, cum ante mortem ſemper euolutio aliqua contagii in corpore aegroti praecedere debeat. Quae vero vulgo adducuntur exempla hominum, qui per vrbem ambulantes conſuetaque vitae officia ſubeuntes ſubito, ſine vllo praegreſſo morbo, mortui conciderint, ea oriuntur ex eo, quod, qui peſte laborant, morbum illum, quantum fieri poteſt, ne ab aliis deſerantur, diſſimulant, et ita vehementiae morbi reſiſtentes tandem victi ſubito pereunt. Similiter falſum eſt: nullum hominem per omnem vitam ſuam bis peſte affici, cum Cl. Auctor plures cognouerit, qui hoc morbo aliquoties tentati fuerunt, et Graecus quidam, qui noſocomii cuiusdam curam habebat, decima quarta vice peſte laborans tandem mortuus eſt. Aliquoties Conſtantinopoli lues bouina peſtem praeceſſit, magnaeque caternae variorum inſectorum apparuerunt, ita vt nonnulli, ad ea ſigna attenti, ex iis violentam peſtem praedixerint. Ipſum vero contagium in partiali atmoſphaera tantum aegroti vel alius cuiuscunque corporis continetur, non vniuerſalem inficit, ita vt Cl. Auctor ſaepe ſine vllo periculi metu domos intrauerit, in quibus aegri peſte laborabant, modo ii in conclaui aliquo incluſi eſſent. Concedit tamen, epidemicam aëris conſtitutionem, pro diuerſa ſua indole contagii vim et efficaciam multum intendere vel infringere poſſe. Sub initio huius morbi
p. 74. ſymptomata ſimilia ſunt iis, quae paroxysmum tertianae febris comitari ſolent. Accedit enim horror, nauſea,

nauſea, vomitus materiae biliosae, anxietas praecordiorum et tuſſis ſicca. Mox tamen ſubſequitur dolor capitis, vertigo, leniores motus conuulſiui, reſpiratio difficilis; anima et ſudor foetent, oculi rubent, facies pallet, nec raro haemorrhagiae narium oriuntur. Interea ſitis quoque vehementer intenditur, lingua flaua fit et in margine rubet, appetitusque et ſomnus plane pereunt. Maxime vero internus calor aegrum excruciat, qui multo maior eſt, quam febris violentia, quae tamen ſemper verſus veſperam exacerbatur. Eruptio cutanea carbunculorum vel petechiarum ſemper morbum leuat. In nonnullis febris vehementia inſignis eſt et deliria accedunt, alii ſomnolenti fiunt et ſtupidi. Ex his ii, qui ſtupidi iacent, diutius morbo reſiſtunt, ſed difficilius ſanantur, quam qui delirant, quippe qui haud raro, ſi exanthemata acceſſerint, euadunt. Orientales populi ex vana aliqua ſuperſtitione putant, peſtis violentiam per aeſtiuum calorem minui, quod falſum eſſe Cl. Auctor experientia et rationibus probat. Iure quoque improbat medendi methodum in his regionibus in peſte vſitatam. Venaeſectionem enim omni modo reformidant, cuius tamen in principio morbi omnino aliquis vſus eſſe poſſet, atque theriacam potius et aquam calidam adhibent. Corticis peruuiani et ab initio quoque ipecacuanhae vim aliquam contra peſtem eſſe, Cl. Auctorem experientia docuit. Ignis ope corpora a contagio praecaueri poſſe, falſa quoque eſt opinio, cum coqui magis, quam alii peſtis vi expoſiti eſſe ſoleant.

12) *Narratio de aeſtu maris notabili Briſtoliae obſeruato*, ex litteris Reu. IOSIAH TVCKER ad Reu. THOM. BIRCH. p. 83.

p. 84. 13) *Litterae* Cl. TORBERN BERGMANN ad Cl. WILSON *nonnulla experimenta electrica exponentes* *). Experimenta cum ligamentis ſericeis varii coloris, vnum ſuecicum pollicem latis, inſtituta, ſub conditionibus a Cl. Auctore deſcriptis, extra dubium ponunt negatiuam et poſitiuam electricitatem, ac docent: ſi fricatum ligamentum et fricans eiusdem fuerit telae, adeoque textura, color, ſuperficies ceteraque fuerint ſimilia, ac fricatio inſtituatur transuerſa, fricans poſitiuam, fricatum negatiuam contrahere electricitatem: in fricatione ſecundum longitudinem fricans fieri negatiuum, et fricatum poſitiuum: ſi fricans alius ſit coloris, eundem eſſe euentum: nigra vero id habere praecipui, vt ſemper fiant negatiua, excepto vnico caſu, quo nimirum fricans quoque nigrum fuerit. In fine epiſtolae notatur Cl. WILCKIVM inueniſſe inſtrumentum, quo in campo absque linea meridiana acus magneticae declinatio, quae praeterlapſa aeſtate 11°. 50′ occidentem verſus Holmiae obſeruata eſt, facile inueniri poſſit.

p. 89. 14) *Relatio de Iaculatore, piſce, ex India orientali allato*, ex litteris Cl. I. A. SCHLOSSER ad Cl. P. COLLINSON **). Eſt hic piſcis *Chaetodon roſtratum* LINNAEI, *pinna dorſali poſtice maculata fuſca*, cuius figura et deſcriptio in Muſaeo Adolpho-Fridericiano tab. XXXIII. exſtat. Noua autem plane eſt obſeruatio rationis, qua piſcis ille, qui in littore habitat, victum ſibi parare ſolet. Quodſi enim in plantis, quae ad littora creſcunt, muſcam vel aliud inſectum conſpicit, tunc ad diſtantiam quatuor vel ſex pedum ex ore ſuo roſtriformi guttulam vnam aquae eiicit, eaque inſectum, foliis plantae inſidens, in

*) lecta d. 23. Febr. 1764.
**) lecta d. 15. Mart. 1764.

in mare deiicit, vbi ſtatim illud deuorat. Huius rei veritas vlterius confirmatur experimentis, quae Cl. HOMMEL Batauii cum eiusmodi piſcibus captis et in domo ſua ſeruatis inſtituit.

15) *Relatio de Cocco Polonico* ex litteris Cl. WOLFE ad Cl. HENR. BAKER *). Notum eſt Coccum polonicum ſiſtere oua inſecti, nondum ſatis deſcripti, quod radicibus variarum plantarum vt *Scleranthi perennis calycibus fructus clauſis* LINN. *Secalis*, variarumque ſpecierum *Fragariae*, *Quinquefolii* etc. adhaeret, atque verſus finem iulii ab euulſis radicibus colligitur. Auguſto demum menſe ouum ſuum relinquit et in planta tarde decurrit illud inſectum, cuius formam Cl. Auctor exacte deſcribit et addita figura explicat. Cocculi autem collecti in ollam immittuntur et ſupra ignem torrentur. Ad tingendam vero lanam Poloni coccum in aheno cupreo cum liquore acido *Kwas* dicto coquunt pinguemque ſpumam ſollicite auferunt, vsque dum ea non amplius appareat. Lanam vero puram in alio aheno cum eodem liquore et alumine coquunt, et exſiccatum liquori ſanguineo immittunt et in eo per aliquot minuta coquunt, vbi in momento omnis color lanae adhaeret ac liquorem limpidum relinquit. Narratum quoque eſt Noſtro, rubrum colorem, quo Turci lanam inficiunt, parari ex baccis, quae ad radicem plantae cuiusdam Armeniacae, quam *Romam* appellant, creſcunt, quam Cl. Auctor forte eandem eſſe cum *Potentilla alba*, et pulchritudinem coloris ab artificio tinctoris pendere, autumat. p. 91.

Vlteriora tentamina, quae Cl. Auctor cum eiusmodi inſectis, in domum ſuam deportatis, inſtituit, eum docuerunt, prorepere illa ex coccis ab initio p. 95.

 men-

*) lecta d. 29. Mart. et d. 12. Apr. 1764.

menſis iunii vsque ad medium auguſti. Eadem omnibus figura eſt, ſed magnitudine inter ſe differunt, cum nonnulla ter illam, qua reliqua gaudent, ſuperent. Sexum in illis Cl. Auctor non dignoſcere potuit, neque eos coire aut cibum capere vidit. Poſt aliquot ſeptimanas cylindricum foramen in arena faciunt, cuius fundum lana aliqua ſericea, quae ex vniuerſo eorum corpore propullulat, tegunt, ibidemque oua ſua ponunt et moriuntur. Alia ex filis illis ſericeis inuolucrum rotundum parant atque in illo oua ſua condunt. Ipſa vero ouula pellucida ſunt, quae vero intra ſeptimanam ex illis prorepunt iuniora inſecta, ea parentibus ſimilia ſunt ſeque paullo poſt in terra abſcondunt. Muſcam, quae pro mare haberi poſſet, Cl. Auctor non vidit, licet enim aliquam muſcam inter trecenta alia inſecta obſeruauerit, tamen eius forma a coccis adeo differt, vt ad eandem illarum claſſem referri nequeant.

p. 99. 16) *Obſeruationes ſuper nummis duobus Etruſcis, nunquam antea explicatis*, ex litteris Reu. IOH. SWINTON ad Reu. TH. BIRCH.

p. 101. 17) *Obſeruatio eclipſis ſolis d.* 1. *Apr.* 1764. *Londini facta*, a Cl. IAC. SHORT.

p. 105. 18) *Eiusd. eclipſis obſeruatio ex litteris* Cl. IOH. BEVIS ad Cl. IOS. SALVADOR.

p. 108. 19) *Eiusd. eclipſis obſeruatio Liuerpoolii facta*, ex litteris Cl. IAC. FERGUSON ad Reu. TH. BIRCH.

p. 114. 20) *Eiusd. eclipſis obſeruatio* Brompton-Park *inſtituta*, a Cl. SAM. DUNN.

21) *Gra-*

21) *Gradus frigoris in Bedfordia obſeruati recenſio*, ex litteris Cl. IOH. HOWARD ad Cl. CANTON, die 22. Nou. 1763. paulo ante ſolis ortum thermometrum Farenheitianum $10\frac{1}{2}^{\circ}$ indicauit. p. 118.

22) *Adnotationes nonnullae in primam partem Commentarii* Cl. BARTHELEMY *de litteris Punicis.* Ex litteris Reu. SWINTON ad Reu. BIRCH. p. 119.

23) *Catalogus* 50 *plantarum horti Chelſeani, Societati Regiae exhibitarum a Societate Pharmacopoeorum per* I. WILMER. p. 137.

24) *Obſeruatio eclipſis* d. 1. Apr. 1764. *Grenouici inſtituta*, ex litteris Cl. BLISS ad Illuſtr. Comit. MORTON. p. 141.

25) *Eiusd. eclipſis obſeruatio Oxonii facta*, ex litteris Reuer. TH. HORNSBY ad Illuſtr. Com. MORTON. p. 145.

26) *Eiusd. eclipſis obſeruatio* facta a Cl. MATH. RAPER. p. 150.

27) *Tabula locorum Cometae d.* 3. *Ianuarii circa octauam horam veſpertinam in Dracone in Obſeruatorio Collegii Pariſini excolendae arti nauticae deſtinati*, a Cl. CAROLO MESSIER *delecti et obſeruati.* p. 151.

28) *Supplementum ad Commentarium* Cl. PINGRÉ *de parallaxi ſolis*, ex litteris EIVSD. ad Societatem Regiam. p. 152.

29) *Relatio de tranſitu Veneris, Schwezingae obſeruato*, ex litteris Reu. CHRIST. MEYER ad Cl. MORTON. p. 161.

p. 165. 30) EIVSD. *Obſeruationes variae aſtronomicae.*

p. 171. 31) *Obſeruatio eclipſis d.* 1. *Apr.* 1764. *Chathami* a Cl. MURRAY *facta*, ex litteris Cl. BEVIS ad Cl. SALVADORE.

p. 172. 32) *Obſeruationes et experimenta cum diuerſis extractis cicutae facta*; Auctore Cl. MICHAEL MORRIS *). Cum extractum *cicutae*, Coimbrae in Luſitania paratum, ad drachmam vnam, vel ſesquialteram ſine omni noxa et cum egregio effectu, quem Londinenſes Medici ab vſu Viennenſis vel Londinenſis extracti fruſtra exſpectarant, exhibitum fuerit: Cl. Auctor cum Coimbrenſi illo extracto varia experimenta chemica inſtituit, illudque cum extracto Vlyſſipponenſi, Viennenſi et Londinenſi comparauit. Ex his autem omnibus apparet, Coimbrenſe extractum longe maiorem copiam continere ſalis oleoſi et reſinae, quam reliqua modo dicta extracta, cum in eo ſcilicet ſit $\frac{1}{5}$ pars in ſpiritu vini ſolubilis, cuius $\frac{3}{5}$ ſal oleoſum eſſentiale, $\frac{2}{5}$ vero reſinoſae partes conſtituunt. Cum autem forte ex hac maiore ratione partium ſalino-oleoſarum et reſinoſarum egregii huius Coimbrenſis extracti effectus explicandi ſint, dictae vero hae partes conſtitutiuae ope ſpiritus vini ſolui poſſint: Cl. Auctor medicis commendat, vt tentamina inſtituant, quibus cognoſci poſſit, vtrum medicamentoſae vires in omni extracto, an in ſaponacea tantum eius parte, ſpiritu vini ſolubili, lateant? quo in caſu loco extracti adeo nauſeoſi tincturam potius cicutae ſpirituoſam adhibere ſuadet.

33) Ten-

*) lecta d. 24. Maii 1764.

33) *Tentamen de vſu gangliorum in neruis.* Auctore Cl. IAC. IOHNSTON *). Refutat Cl. Auctor primo Lanciſianam hypotheſin, qui muſculoſam ganglii fabricam aſſumens, eorum impulſu motum fluidi neruei pro neceſſitate et lubitu dominantis animae accelerari, motumque in muſculis voluntati ſubiectis produci ſtatuit. Nam neque ganglia muſculoſa ſunt, neque illa in neruis, qui muſculos, voluntati ſubiectos, adeunt, reperiuntur, ſed potiſſimum in iis, qui ad partes tendunt, quarum motus eſt inuoluntarius. Cum vero ex omnibus neruis ganglia frequentiſſima ſint atque ex eo cor et inteſtina, quarum partium motus non a noſtro arbitrio pendet, neruos ſuos accipiant; cum porro ſanguinis, bilis et ciborum ſtimulus non ſolae efficientes cauſſae motus harum partium eſſe poſſint; denique harum partium mechaniſmus a mechaniſmo reliquorum muſculorum ſolis gangliis differat: Cl. Auctor concludit, gangliorum ope motum inuoluntarium harum partium produci. Rationem vero, qua illa ipſa ganglia inuoluntarios hoſce motus efficiunt, explicare Cl. IOHNSTON non audet. Confirmat autem hypotheſin ſuam ex analogia, quae eſt motum cordis et inteſtinorum inter et motum vueae inuoluntarium, quae etiam ex ganglio lenticulari, ad fundum orbitae ſito, neruos accipit. Omnes quoque nerui, qui immediate vel ſenſum perceptum cum anima communicant, vel ad eius arbitrium motum in aliis partibus producunt, gangliis plane deſtituuntur, vt optici, acuſtici, olfactorii etc. Hinc Cl. Auctor quoque coniicit, ramum octaui paris, qui ad ventriculum tendit, acuti ſenſus huius organi cauſſam eſſe phrenicumque efficere, vt motus diaphragmatis etiam ex parte ab arbitrio animae pendeat,

p. 177.

p. 181.

*) lecta d. 31. Maii 1764.

deat, cum, ſi motus ille inuoluntarius eſſe debuiſſet, phrenico plane carere potuiſſemus.

p. 185. 34) *Variorum meteororum ignitorum in America Boreali obſeruatorum recenſio*, ex litteris Cl. IOH. WINTHORP ad Cl. PRINGLE *). D. 3. Iunii 1739. circa horam 10. veſpertinam, cum Auctor Cantabrigiis per forum tranſiret, ſubito inexſpectata lux oculos eius ter quaterque perſtrinxit, quam primum ex fulgure ortam eſſe putabat, ſed conuerſis in coelum oculis, non ſine terrore conſpexit maſſam igneam, ex auſtro verſus boream in ipſo meridiano procedentem, ac ſcintillas vel potius globos lucentes propellentem. Cum eam primum obſeruaſſet, non procul a Zenith aberat, inde progreſſa in altitudine 30° euanuit, ſubſequente ingenti fragore, intra 80. milliaria exaudito. Alterum phaenomenon erat globus ignitus die 24. Nou. 1742. in auſtralibus nouae Angliae regionibus viſus, ac cum tanto fragore diſſolutus, vt intra 200. milliaria non ſine terrore perceptus fuerit. Tertium d. 4. April. 1760. circa mediam noctem in noua Anglia apparuit, inſtar parui globuli ignei, ſed progrediendo a borea auſtrum verſus ac continuo propius ad terram accedendo, non ſolum ille ingentem magnitudinem conſecutus eſt, ſed etiam tantam vim ignis continuo eiaculauit, vt calor aëris auctus videretur, tandem vero non ſine ingenti fragore diſſolutus eſt.

p. 193. 35) *Nonnullae nouae ſectionum conicarum proprietates, detectae* a Cl. EDW. WARING *et ad* Cl. MORTON *perſcriptae.*

36) *Effe-*

*) lecta d. 7. Iun. 1764.

39) *Effectus fulguris Southwealdiae in Eſſexia obſeruati*, a Cl. W. HEBERDEN *). Cum 18. Iunii 1764. circa meridiem turris, ibidem in altiſſimo loco exſtructa, fulmine percuſſa eſſet, ex veſtigiis in locis, per quos fulmen tranſiit, examinatis apparuit, materiam electricam per indicem tempeſtatum verſatilem metallicum, qui in apice huius turris conſtitutus erat, collectam, per trabem ferream illaeſam defluxiſſe, donec, cum coaceruata ob murum ſolidum, cui virga ferrea innitebatur, vlterius expandi non poſſet, exploderetur. Muros deinde obuios omniaque ex ligno conſtructa vaſtauit, per trabes vero ferreas ac res metallicas ſine noxa tranſiiſſe viſa eſt **). p. 198.

40) *Obſeruationes effectus fulguris concernentes, vna cum conſiderationibus inſtrumentorum, ad auertenda damna a domibus et in ſpecie reconditoriis pulueris pyrii, ex fulgure orta excogitatorum. reſponſionis loco ad quaeſtiones* a Cl. CALANDRINI *propoſitas* a Cl. WILH. WATSON *perſcriptae* ***). Meditationes Cl. WATSON, de fulminis ictibus per certa inſtrumenta auertendis, alio loco ****) propoſitae, Cl. CALANDRINO dignae viſae ſunt, quae, cum publicam ſalutem concernant, vlterius declarentur. Hinc octo quaeſtiones circa eam rem ad Cl. WATSON transmiſit, earumque ſolutionem ab eo petiit. His quaeſtionibus ſatisfacturus multa lectu digniſſima proponit Noſter, quae non ſolum omnem electricitatis theoriam illuſtrant, ſed eius etiam inſignem vſum declarant. p. 201.

41) Re-

*) lecta d. 28. Iun. 1764.

**) Numeri 37. 38. et 39. plane deficiunt.

***) lecta d. 28. Iun. 1764.

****) vid. Phil. Tranſact. Vol. LII. p. 629. Comment. hor. Vol. XIII. P. I. p. 20.

p. 227. 41) *Recenſio effectuum fulminis, quo aedes ſanctae Brigittae in platea* Fleetſtreet *ſitae d.* 18. *Iunii* 1764. *percuſſae ſunt*, in litteris Cl. EDW. DELAVAL ad Cl. WILSON. Primum Auctor monet, ſupremam turris, a fulmine tactae, partem caſu eſſe ita conſtructam, vt ſimilis ſit iis inſtrumentis, quae ad deducendam ex nubibus electricitatem adhiberi ſolent. A lata enim baſi ſenſim ſenſimque anguſtior in tenuem virgam ex metallo auro obducto fabrefactam ac cruce ornatam abit. Examen veſtigiorum, quae fulminis vis ſatis expreſſa reliquit, non potuit non Cl. Auctorem in eam deducere coniecturam: materiam fulguris a virga illa ferrea attractam, et in ea ita accumulatam, libere defluxiſſe vsque ad murum, cui ferrea trabs illa innitebatur, qui cum impediret, quo minus ſe vlterius expandere ac verſus terram progredi poſſet, non poterat non tandem explodi, ac disrupto muro per latera turris a pluuia ante madefacta ſine noxa tranſire, donec trabibus iterum ferreis occurreret, in quibus denuo congregabatur, ac, cum propter muros, in quibus trabes haerebant, de nouo accumularetur, noua diſploſione facta, vlterius verſus terram progrediebatur. In fine huius deſcriptionis Cl. Auctor naturalem in fulmine ſaeuientem electricitatem cum artificiali comparat, methodumque aedificia ita exſtruendi proponit, vt magis a fulminis vi tuta ſint.

p. 235. 42) *Effectus fulminis in platea* Eſſexſtreet *ſaeuientis*, ex litteris Cl. THOM. LAWRENCE ad Cl. HEBERDEN *). Cl. Auctor fulguris in media platea Eſſexſtreet primum in fumibula duarum domuum proſternentis veſtigia ex ſono, ſplendore, vaſtatione locorum, per quae tranſiit, proſequens colligit, illud

*) lecta d. 5. Iul. 1764.

illud ex vno in alium locum per plumbeos canales, tectis domuum impoſitos, tranſiiſſe, tandemque per trabes ferreas in domum procul ab iis, quas primum tetigerat, deductum deſaeuiiſſe.

43) *Obſeruationes in ſectione aſthmatici factae*, p. 239. Auctore Cl. W. WATSON *). Vir 28. annorum poſt vomitum violentum in aſthma incidit, in quo neque venaeſectio neque reſoluentia vllum habebant vſum. Pulſus erat celer et debilis, aeger frequente tuſſi pituitoſam materiam reiiciebat ſine omni pure aut ſanguine; decubitus in dorſo et dextro latere moleſtiſſimus erat, aeger tandem poſt duos menſes, reſpiratione in dies difficilliore reddita, vitam cum morte commutabat. Diſſecto cadauere Cl. WATSON, qui aegri curam habuerat, inuenit pulmones aëre vehementer diſtentos et emphyſemate affectos. Disrupta ſcilicet interna bronchiorum membrana, aër in celluloſam pulmonum ſubſtantiam extrauaſatus erat neque ex his in bronchia vel externa preſſione adhibita regrediebatur. Hinc inde quoque ſatis magnae veſiculae, aëre effuſo repletae, apparebant. Ipſa quoque vena pulmonalis varicoſa, et in dextro lobo veſicula ichore plena erat. Praeter ea quoque dexter lobus pleurae adhaerebat, pulmones valde rubicundi et hinc inde gangraenoſi, cor compreſſum eiusque ventriculi grumoſo ſanguine diſtenti erant. Has vero omnes praeternaturales adfectiones a vomitu violento ortas fuiſſe, neque in eo morbo vllius medelae locum fuiſſe, Cl. Auctor fuſe explicat.

44) *Litterae* Cl. BENIAMIN. WILSON ad Ill. p. 246. ROCKINGHAM *quasdam de effectu fulminis obſeruationes*

*) lect. d. 12. Iul. 1764.

tiones continentes *). Cum experientia theoriam FRANKLINI Vir. Cl. de fulmine ſatis ſuperque confirmauerit, omnium philoſophorum conſenſu conſtitutum eſt: fulmen aeque ac materiam electricam liberius tranſire per ferrum, cuprum ac alia metalla, quam per ſiccum lignum lapidesque: nec non ferreas aut metallicas virgas, ſi tenuiores fuerint, quam vt vim fulminis ſuſtinere illiusque conductores fieri poſſint, disrumpi ac deſtrui: tandemque fulmen ſeu electricam materiam non ſemper ex nubibus irruere in aedificia, ſed ſaepe e contrario ex terra, aedificiis ac locis eminentioribus verſus nubes tendere. Haec, cum extra omnem dubitationem poſita ſint, Cl. Auctor primum conſtituit methodum aliquam aedificia ita conſtruendi, vt, quantum humana arte caueri poſſit, ſint a vi fulminis tuta: deinde apparatum praeſcribit aedificiis adaptandum, quo electricitas nubium ab aedificiis in loca, vbi eius exploſio ſine vllo damno fieri poteſt, deduci queat: tandemque horum praeceptorum rationes ex nouis obſeruationibus confirmatas reddit.

p. 254. 45) *Solis defectus obſeruatus in Collegio Romano a Patribus Societatis Ieſu*, d. 1. April. 1764.

p. 259. 46) *Deſcriptio noui hygrometri*, a Cl. IAC. FERGUSON *inuenti*.

p. 261. 47) *Experimenta ac obſeruationes de compreſſibilitate aquae aliorumque fluidorum*, Auctore Cl. IOH. CANTON **). Alio loco ***) relata ſunt experimenta, ex quibus Cl. CANTON contra ſententiam vulgo

*) lecta d. 28. Iul. 1764.

**) lecta d. 8. Nou. 1764.

***) Vol. LII. p. 640. Comment. hor. Vol. XIII. p. 22.

vulgo receptam docuit, comprimi poſſe aquam, et quantum dato tempore in temperato caloris gradu comprimatur. Poſthaec ſimilia experimenta eum edocuerunt, aquam hyberno tempore in minus ſpatium, quam aeſtiuo, redigi poſſe, contrariam vero huic proprietatem in ſpiritu vini ac oleo oliuarum obtinere. Hinc probat, ſpiritum vini, aquam pluuialem, marinam, et mercurium, non ſolum comprimi poſſe, ſed etiam elaſtica eſſe.

48. *Concinnae regulae effectus refractionis atque parallaxis in variis apparentibus diſtantiis lunae a ſole vel ſtella, vna cum canone ex datis longitudinibus et latitudinibus lunae ac ſtellae diſtantiam lunae a ſtella quam proxime determinandi*, demonſtratae a Cl. NEVIL MASKELYNE. p. 263.

49) *Excerpta ex litteris* Cl. I. WINTHROP ad Cl. SHORT. Spectant ad tranſitum Veneris in America obſeruatum. p. 277.

50) EIVSD. *Obſeruatio tranſitus Veneris* d. 6. Iun. 1761. p. 279.

51) *Recenſio effectuum fulminis in tres naues in India orientali.* Ex litteris Cl. ROBERT. VEIGHT, communicata a Cl. LEWIS. p. 284.

52) *Demonſtratio ſecundae regulae, in tentamine* ſolutionis problematis computum probabilium concernentis Vol. LIII. Transact. Phil. publicati conſtitutae, communicata in litteris RICH. PRICE ad IOAN. CANTON. p. 296.

63) *Deſcriptio Meteori* d. 5. Mart. 1764. *Oxonii viſi*, in litteris Cl. IO. SWINTON ad Cl. p. 326.

BIRCH *). Circa 7. h. 30′ Cl. Auctor in aëre ſplendorem paullo maiorem eo obſeruauit, quem luna plena ſpargere ſolet. Oriebatur vero ille ex columna lata et alta in auſtrali regione ſplendeſcente, quae verſus Zenith ſe mouebat, et ſenſim imminuto lumine poſt horam vndecimam diſparebat. Quodſi illud phaenomenon idem eſſe cum aurora boreali, eodem die Olyſſipone per quatuor horas viſa, demonſtrari poſſet, multa, altitudinem et velocitatem eius concernentia, inde deduci poſſent.

p. 329. 54) *Excerpta ex litteris* Cl. I. HORSLEY ad Cl. NEVIL MASKELYNE *in quibus obſeruationes ſuas, in mari determinandae per lunam longitudinis gratia inſtitutas, recenſet.*

p. 332. 55) *Deſcriptio memorabilis meteori d. 23. Apr. 1764. Oxonii viſi*, ex litteris Cl. I. SWINTON ad Cl. BIRCH **). Meteoron hoc circa 55′ poſt octauam horam obſeruatum, erat arcus in coeli parte zephyro-boreali, iridi, qua figuram, ſimilis, ſed ſolo albo lumine fulgens. Nullus in eo motus localis obſeruari poterat, ſed luminis fluctuationes perpetuae percipiebantur. Crura inferiora primum diſparebant, ſuprema pars hora 9. 27′. Arcum hunc inter rariora phaenomena referendum eſſe, ex eo colligit Noſter, quia in nullo ſcriptorum meteorologicorum eius mentio fit, et arcus lucidi, in aliis transactionum locis deſcripti, ab eo differunt.

p. 336. 56) *Nonnullae adnotationes in aequationem temporis, veramque rationem eam computandi.* Auct. Cl. NEVIL MASKELYNE.

57) EIVSD.

*) lecta d. 6. Dec. 1764.

**) lecta d. 13. Dec. 1764.

57) EIVSD. *Obſeruationes aſtronomicae in inſula* Sanctae Helenae *factae.* p. 348.

58) *Narratio morbi extraordinarii inter Indianos in inſulis* Nantucket et St. Marthu's Vineyard in Noua Anglia *ſitis habitantes, graſſantis* *). Ex litteris Cl. ANDREAE OLIVER ad Cl. MAUDUIT. Morbus erat putridus et inflammatorius, atque contagioſus, quarto vel quinto die lethalis. Ex 258. aegris 36. tantum, et in alia inſula ex 52. tantum 12. ſanati fuerunt. Tempeſtas erat frigida et humida, annonaeque penuria inter Indianos praeceſſerat. Quod vero maxime notabile nobis videtur, eſt, hoc morbo nullum Anglorum, licet inter Indianos verſarentur, affectum fuiſſe. p. 386.

59) Cl. MASKELYNE *Obſeruationes aſtronomicae in Inſula Barbados.* p. 389.

60) *Continuatio animaduerſionum* Cl. SWINTON *in* Cl. BARTHELEMY *Commentarium de litteris Punicis.* p. 393.

*) lecta d. 20. Dec. 1764.

XVII.

Practical Obſervations concerning the Cure of the Venereal Diſeaſe by Mercurials. To which is added a letter to PETER COLLINSON Esq. F. R. S. containing an Account of an Ear of Dog's Graſs, that was ſwallowed by a Child and afterwards discharged on its Back. By IONATHAN WATHEN, Surgeon. London, printed for J. Rivington and C. Henderſon. 1765. 8. pl. 6.

i. e.

Obſeruationes practicae de cura luis venereae per mercurialia. Additae ſunt litterae ad Cl. P. COLLINSON, in quibus hiſtoria continetur ſpicae graminis canini, a puero deglutitae et deinde ex dorſo eius extractae. Auctore IONATHAN WATHEN, Chirurgo.

Cum mercurius eiusque praeparata non modo praeſtantiſſimum, ſed vnicum fere remedium ſint, quo, ſaltem in noſtris terris, lues venerea curari poſſit, Cl. Auctor operae pretium facturum ſe eſſe putauit, ſi ſuas de effectu mercurialium obſer-
p. 1. uationes publici iuris faceret. Oſtendit vero primum, naturam contagii venerei plane eſſe incognitam, atque illud noſtris temporibus non differre quoad eſſentiam a natura morbi, quam eo tempore obtinuit, quo primum in Europam introductus fuit, licet alia nunc ſymptomata oſtendat. Deinde demonſtrat, hunc morbum, ſi contagium nuper ſusceptum fuerit, quibusdam modo partibus inhaerere poſſe, vniuerſum vero corpus et oſſa ipſa temporis

poris demum ſucceſſu afficere. Tertiam tamen claſſem ſymptomatum venereorum Auctor conſtituit, quae inter duas priores media quaſi eſt, ad quam bubones, teſtium tumores ſimiliaque mala refert, licet illa ad particularem morbum adhuc quodammodo referri poſſint. Haud raro autem leuioris luis ſymptomata v. c. gonorrhoea etc. a confirmata iam et per ſatis longum tempus in corpore deliteſcente lue produci poſſunt, attamen in gonorrhoea, quae luis inueteratae ſymptoma eſt, nulla inflammatio adeſt, eaque nonnunquam ſponte diſparet, licet contagium per illam propagatum lentum quidem ſit, ſed valde quoque malignum. In vniuerſum autem Cl. Auctor contendit, luem veneream, ſiue recens, ſiue chronica fuerit, nullo alio vnquam remedio radicaliter, vti dicunt, curari poſſe aut vnquam curatam eſſe, quam mercurii ope. Hinc mercurialium praeparatorum, inprimis vero vnguenti mercurialis, pillularum mercurialium Edinburgenſium, et mercurii dulcis vires examinat oſtenditque, mercurium, in iis contentum, ſimiles quidem effectus praeſtare, ſed mutari, infringi vel augeri vim eius a variis corporibus, mercurio in his praeparatis adiectis. Iam ad modum tranſit, vt mercurius in corpore humano operatur, qui, ſiue externe adplicatus fuerit, ſiue interne ſumtus, non modo ſolidorum rigiditatem relaxat, ſed et fluida potenter reſoluit eorumque volumen auget, vt ſpuriae quaſi plethorae ſpecies in corpore naſcatur, quae tamen vt plurimum excretione aliqua naturali multum aucta v. c. ſaliuae, iterum ſoluitur. Quodſi vero talis euacuatio critica ob vim vitae debilem nimiamque reſiſtentiam ductuum excretoriorum contingere non poteſt, tunc omnino metuendum eſt, ne apoplexia, ſi nulla accedat haemorrhagia, oriatur. Eſt autem ad curationem luis ex voto abſol-

p. 6.
p. 16.

uendam opus, vt omne corporis viſcidum, ſiue ſanum ſit, ſiue morboſum, per mercurium ſoluatur, neque partes morboſae tantum, ſed et mercurius iis admiſtus ex corpore eiiciantur. Hinc ſola ſaliuatio, ſi poſt paucas mercurii doſes oritur, nec dum ſufficiens mercurii copia in corpus introducta eſt, licet vehemens ſit et per ſatis longum tempus protrahatur, morbum tamen haud ſoluit, quippe cuius curatio a quantitate mercurii, atque reſolutione et euacuatione per illum producta oritur. Si morbus vero recens eſt, et in parte aliqua tantum exiſtat, adplicatio vnguenti mercurialis et euacuatio aluina, ope pillularum mercurialium excitata, poſt
p. 30. inunctionem omnem curationem abſoluit. Quodſi vero oſſa iam adfecta ſint, ſola ſaliuatio, per ſufficientem quantitatem mercurii producta, ſanitatem reſtaurat. Si a parua mercurii copia iam ſaliuatio excitata fuerit, illum vlterius exhibere nocet, quippe tunc totum malum nunquam tollitur. Hinc Cl. Auctor ſuadet, vt medicus in hoc caſu mercurii vſum plane ſuſpendat, nec illum prius et in parua doſi, quam viribus corporis iterum perfecte reſtauratis, exhibeat. Porro de vſu decoctorum diluentium monet, ea non, vti plerumque fieri ſolet, ante ſaliuationem excitatam exhibenda eſſe, cum hoc tempore noceant, apoplexiam variaque mala producant. In lue autem non adeo inueterata vſus mercurii in refracta doſi et purgantia interpoſita ſaepe morbum ſine ſaliuatione ſanant. Si vero ſuſpicio adſit, aegrum accuratioris diaetae fore impatientem, ſaliuatio omnino praeferenda erit. Illa autem methodus malo venereo medendi, quam Galli *extinctionem* vocant, qua ſine notabili euacuatione malum tollere ſtudent, in calidioribus tantum regionibus, vbi corpora multum perſpirant, adhibenda eſt. Notari tamen conuenit, raro hac ratione luem perfecte tolli,

tolli, ſed vt plurimum eam poſt curam adhuc in corpore deliteſcere et malum fieri haereditarium. De vſu tandem ſolutionis Swietenianae Noſter monet, eam in gonorrhoea recenti inflammationem et ſymptomata vehementer augere, vtiliſſimam vero eſſe in teſtium tumoribus, ſuppreſſasque gonorrhoeas iterum excitare. In ſummo luis gradu nullum ſalutarem effectum Cl. Auctor inde vidit, neque in medio huius morbi gradu, niſi in iis aegris, qui a quouis mercuriali medicamento facile afficiebantur. Concedit tamen Noſter illud remedium dolores nocturnos et exoſtoſes, nec non eruptiones cutaneas multum imminuere, licet haec ſymptomata breui poſt iterum redeant.

Epiſtola huic libello adnexa continet caſum pueri trium annorum, qui poſt ſpicam hordei ſpurii deglutitam tuſſi vehementi, ſuffocationis metu, febre aliisque ſymptomatibus afficiebatur. Illa vero mala omnia poſt quatuordecim dies penitus diſparebant, atque in dorſo ad latus ſpinae inter coſtam 4. et 6. tumor naſcebatur durus ſine inflammatione, duos pollices longus, ex quo, cataplaſmatum vſu emollito, Cl. Auctor ſpicam illam extraxit. Qua occaſione Cl. WATHEN non ſolum ſimilia exempla ex aliis auctoribus colligit, ſed et contra Cl. HEVIN oſtendit, talia corpora deglutita et per abſceſſum in confiniis thoracis natum iterum excreta, non ex oeſophago in membranam celluloſam, ei circumpoſitam, penetrare ibidemque abſceſſum formare; ſed vt plurimum tracheam ingredi et, cum non recedere poſſint, vicinarum partium motu ad pulmones deferri ibidemque inflammationem et abſceſſum producere, tandemque abſceſſu, ad exteriora penetrante, ibidem exire. Adnexa eſt hiſtoria viri, in quo ex ſimili cauſſa vomica quidem nata, ſed et curata iterum fuit, particula ſpicae deglutitae tuſſi reiecta. p. 57.

XVIII.

Embryologia ſacra ſiue de officio ſacerdotum, medicorum et aliorum circa aeternam paruulorum in vtero exiſtentium ſalutem. Libri quatuor. Auctore ac interprete FRANCISCO EMMANUELE CANGIAMILA, S. T. et I. V. D. Panormitanae Eccleſiae Canonico Theologo et in toto Siciliae Regno contra haereticam prauitatem inquiſitore prouinciali. Venetiis, 1763. fol. Alph. 3.

Ipſa iam libri inſcriptio ſatis docet, ad medicos totum hoc opus non ſpectare, illud autem intactum praetermittere noluimus, quod non teſtatur ſolum, Cl. Auctorem, in re explicanda verſantem, quae ad medicos proprie pertinet, eorum argumenta diligenter perquiſiuiſſe et in ſui vſum adhibuiſſe, ſed etiam in paucorum manus quod peruenit, qui plura, quam inſunt, ibidem forſan quaerant aut expectent. Occurrunt autem hic varia, quae ad abortum praecauendum et ad auxilia nondum nato infanti praeſtanda, demortua tamen prius matre, pertinent. Editus eſt hic liber italico primum ſermone, deinde in latinum conuerſus, cuius nunc alteram ſignificamus editionem. Diuiditur in quatuor libros, quorum priores medicas ſimul continent adnotationes, dabimus autem hic eorum inſcriptiones. *Liber primus* de parochi aliorumque ſacerdotum ſollicitudine pro mulieribus praegnantibus deque induſtriis ad abortus impediendos et de baptiſmo abortiuorum agit. *Secundus* de auxilio infanti non nato praeſtando, matre defuncta, differit. *Tertius* parochorum officium ac vigilantiam pro infantibus in partu difficili et deſperato conſiderat.

Quar-

Quartus tandem de Dei caritate erga non natos deque auxiliis, quae illis a parentibus, parochis, epiſcopis et principibus praeſtanda ſunt. In appendice orationes et edicta continentur, atque ad calcem libri vberrimus rerum index additur. Nos ea tantum hic adducemus, quae ſcopo noſtro accommodata habentur.

De abortu itaque diſſerens Cl. Auctor, eum in inuoluntarium atque voluntarium dispeſcit, prior a variis externis rationibus oritur, alter per varias minus honeſtas artes excitatur. Prioris cauſſas varias recenſet, coniugum diſcordiam, mulierum neglectam in ſe animaduerſionem, ciborum appetitorum denegationem, ieiunia immoderata, veſtium nimis arctorum applicationem, ſaltationem, quibus, medicus ſi eſſet, alias v. c. vteri imbecillitatem, addere potuiſſet. Recte autem iudicat, medicorum potiſſimum officium in praecauendo abortu ſpectari; ſanguinis miſſionem, alui ductionem quidem concedendam eſſe arbitratur; vbi autem ad partum deuenerit, nunquam ad ſeruandam matrem trucidandum, qui naſci aliter nequit, foetum eſſe coniicit, niſi forte viuus adhuc forcipe, PALFINI autem laudat, poſſit extrahi. In difficili caſu, vbi grauida, morbo decumbens periculoſo, qui et foetui poſſet funeſtus euadere, remedio poſſet ſeruari, ſed embryo perdi, dubitat de medicina exhibenda et Dei prouidentiae rem committendam eſſe putat. Natum autem infantem vult ab ipſa matre lacte nutriri, quippe quod ipſis maxime ſit conueniens, magna autem nutricum intemperantia et ſocordia noceat. Porro in omni abortu diſpiciendum eſſe, an viuat, ea propter cenſet, quo ille ſacro lauacro poſſit ablui; ſed quoniam multum disputatur, de puncto animationis foetus, eam in conceptione fieri ſimul, parum abeſt, quin concedat, concludendo, abortus

p. 9.

p. 12.

cuiuscunque demum aetatis ſedulo eſſe inueſtigan-
p. 18. dos. Hac occaſione de animalculis ſpermaticis diſ-
ſerit eademque reiicit, nec non varia in contrarium monet. Vtitur autem his argumentis, quod illa animalcula non in ſpermate virili tantum, ſed aeque in muliebri lympha, ſanguine et aliis liquoribus inueniantur; quod infoecundum ſemen eadem contineat, et foecundum iis quandoque deſtituatur; quod in vtero debeant creſcere tantum, nec, vt fit, ſenſim euolui; quod homo per varias generationes fiat, primo vermis, deinde hominis; quod tamen nunquam reperiantur chryſalides hominum; quod ſint in omnibus animalibus, tam diuerſae magnitudinis, eiusdem molis; quod imaginationis maternae in foetum nulla tunc actio exiſtat; quod partus eſſe debeant numeroſi, id, quod contra experientiam eſt; quod ob diuerſitatem ſexus, qui in his animalculis eſt, facilis eſſet futura eorum confuſio. Hinc ex ouo naſci hominem mauult, atque longe de animatione foetus, perpenſis variis auctorum opinionibus, disputat, quod vero iam praeterimus.

p. 44. Inter auxilia, foetui non nato, matre defuncta, praeſtanda, praecipuum eſt ſectio caeſarea, quam non differendam eſſe cenſet, quo vel viuus extrahi foetus poſſit, vel etiam baptiſmo initiari. Refert itaque cautiones, vt proſpere ſuccedat operatio. Hinc eam a perito chirurgo, vel a barbitonſore, vel ab obſtetrice inſtituendam eſſe praecipit. Quo vero antea certus ſit, qui operationem ſuſcipit, de morte matris, nec in errorem inducatur, recte ad morbos reſpiciendum eſſe iubet praegreſſos, chronicos, acutos ac repentinos, et ſigna ex motu cor-
p. 50. dis, ſenſibus et reſpiratione colligenda eſſe, eaque ſimul adducit omnia, quae a Cl. LOUIS et BRUHIER tradita ſunt atque deſcripta. Nec praetermittit modum ſectionis caeſareae inſtituendae, ſimulque

tempus

tempus definit, quod optimum mox poſt mortem, non negligendum eſſe cenſet, etſi vno alteroque die poſt mortem matris adhuc ſuperfuiſſe viuum foetum relatum legatur. Nec non, quod tenerrimi p. 62. etiam foetus viuunt, hanc ſectionem nunquam intermittendam eſſe arbitratur, dummodo de grauiditate conſtet. Sunt quidem, qui obiiciant, foe- p. 68. tum morbo matris ante illius obitum iam extingui eaque propter ſectionem inutiliter ſuſcipi: ſed hoc, non niſi in humorum morbis fieri adſerit Cl. Auctor, nec minus neceſſariam reddi ſectionem, quod foetus in vtero non reſpiret. Hinc deridet, et iure quidem, eorum morem, qui fiſtulam arundinaceam, reſciſſis nodis, ori matris mortuae immittunt, ne reſpiratio foetus intercipiatur, qua etiam foetum non egere ex anatomicis fundamentis comprobat, ſimulque per totum foetus corpus ſanguinis progreſſum deſcribit. Nihilo tamen minus, etſi his argu- p. 71. mentis validis contra reſpirationem foetus in vtero vtitur, fingit ſibi foetum modulo ſuo reſpirare, vt adſueſcat aeri, in lucem proditurus, quod ex vtero liquorem amnii ſugit, quod vterus et membranae vteri aeri peruiae ſunt, quod vagitus foetus auditus eſt, quod pullus in ouo reſpirat. Pulmones ergo foetus minori cum dilatatione et rarefactione reſpirationis munere fungi ſimulque cum pulmonibus inſtitutum experimentum, ſecundum quod de vita foetus iudicium ferri ſolet, fallax nec ſufficiens eſſe, ex praeſuppoſita, nec demonſtrata hacce ſua opinione, coniicit. Quum itaque multa contra hanc poſſint obiici, in eo tantum cum Cl. Auctore conſentimus, nunquam omittendam eſſe matris inciſionem, etſi ſpes ſeruandi foetus non affulgeat.

Accedimus ad partum difficilem, cuius naturam p. 93. explicat Cl. Auctor, dubitamus autem, an pro cauſſa difficilioris partus luxatio femoris, introrſum facta

et

et vterum premens, adſumenda ſit, aeque ac de
forcipis Gregoriani ad extrahendum foetum viuum,
prae aliis recentioribus praeſtantia. Omnem tan-
dem difficultatem partus tollit ſectio caeſarea, quam
multis Cl. Auctor commendat. Eius inuentionem
aut ſaltim reſtitutionem tribuit cuidam IACOBO NU-
FERO, in oppido Stergeshenſon in Turgrauia caſtra-
tori, qui imperitiſſimus chirurgiae, ad ſeruandam
iam morti proximam feminam, eam ſuſcepiſſe fertur.
Subiungit breuem huius operationis hiſtoriam, et
refellit BIANCHI, qui ſectionem hanc, non niſi in
eo ſolum caſu, vbi foetus extra vteri cancellos con-
tinetur, admittendam eſſe ſtatuebat. Diligenter
etiam omnia definit momenta, quando ventris et
p. 105. vteri ſectio ſit inſtituenda, nec ne. Quum etiam
foetus quandoque poſt partum mortuus videatur,
talisque iudicetur, immo in tali diu remaneat ſtatu,
non autem deſint exempla reuiuiſcentium, in vitam
eorum ſtudioſe indagandam eſſe oſtendit, nec non
p. 146. modos foetum eiusmodi in vitam reuocandi ex-
ponit: inflando nimirum halitum calidum in os,
mammillarum in paruulis ſuctionem, plantae pedis
cum penicillo frictionem, balnei aromatici ſeu ſtimu-
lantis vſum, placentae et ſecundinarum, funiculo
cohaerente adhuc dum, combuſtionem, lotionis ta-
bacinae in aluum immiſſionem, ſpirituum applicatio-
nem cet. et omnium eorum remediorum vſum, quae
in aquae ſubmerſis ſunt adhibenda. Haec autem
in ſecunda hac noſtra editione adducta noua ſunt.
Sufficient etiam ad demonſtrandam Cl. Auctoris in
perſequendo ſibi praefixo ſcopo induſtriam.

XIX.

IOH. CHRISTIANI DANIELIS SCHREBERI, Med. Doct. Acad. Imp. Nat. Cur. et Societ. Oecon. Lipſienſ. Sod. huiusque Secretarii, Acad. R. Sc. Holm. Correſp. Icones et deſcriptiones plantarum minus cognitarum Decas I. Halae, typis et ſumtibus Ioan. Iacobi Curt. 1766. fol. pl. 7. cum dedicatione et praefat. tab. aen. 10.

Etiamſi non vnicuique botanico contingat, nouis plantis detectis et vegetabili regno amplificato, aliorum ſibi conciliare praeconia: non deſunt tamen, qui ſingulari ſtudio, plantas iamdum, ſed obſcure deſcriptas, accuratius disquirant, ſufficienter determinent, additisque nouis iconibus, magis illuſtrent. Similem et nos in praeſenti indicamus laborem, de Cl. SCHREBERI deſcriptionibus plantarum minus cognitarum ſtrictim ad lectores relaturi. Ille enim cum Berolini degeret, inter alia ab Academia regia aſſeruata, herbarium quoque viuum reperit, a Cel. TOURNEFORTIO, et qui ei in itinere comes fuit, Cl. GUNDELSCHEIMERO, in oriente collectum. Plurimas quidem in eodem contentas plantas accuratius iam determinauerat, iconibus illuſtrauerat, et edendo ab obliuione vindicare voluerat Cel. GLEDITSCHIVS; aliis tamen laboribus detentus, ab incepto hoc opere deſiſtere, et Auctori noſtro herbarium hoc tradere coactus eſt. Hic ergo lubenter laborem in ſe ſuſcipiens, plantas elegantiores ipſi viſas examinare, propriaque manu delineare ſtuduit. Siſtit nobis primo hoc faſciculo decem plantas, ſine ſyſtematis ordine deſcriptas,

ſcriptas enumeratasque, et totidem tabulis depictas. Reliquas ſuo tempore nobiscum communicare promiſit. Indicemus earum nomina, quaeque forſan in deſcriptionibus notari nobis videntur, additari.

Staehelina arborea, in Cretae ſcopulis, fiſſurisque ſaxorum ſponte prouenien s, quoad calycem, pappum ſeminum praelongum, paleas multifidas baſi connatas, immo et habitum, aliquam cum Staehelina dubia LINNAEI affinitatem habet, nec differt, niſi foliis oualibus integerrimis, ſquamis calycinis aliquantum longioribus, et pappo non ſimpliciſſime piloſo, ſed ramoſo, et breuiſſimis pilis plumoſo. *Campanulae tridentatae*, Cappadociae incolae, folia radicalia, ſimillima ſunt Globulariae vulgaris, varietatem huius ſpeciei dari, in omnibus partibus breuiorem, et foliis plerumque integris diuerſam, Auctor commemorat. *Phaca veſicaria*, nitida in Armenia ſponte creſcens planta, ita dicitur, quoniam calyx, veſicae ad inſtar inflatus et globoſus, legumina continet atque includit. *Androſace odoratiſſima* in alpinis Cappadociae locis prouenien s, foliis triquetris ciliatis, perianthiisque hirſutis a congeneribus ſuis differt. *Cucubalus ſaxifragus*, petala gerit bifida, calyces ſtriatos, ſquamis duabus auctos, pedunculos oppoſitos, et in Armenia inuenitur. *Buphthalmum ſpecioſum* patriam Cappadociam habet, et calycibus folioſis, foliis alternis, petaſitidi quodammodo ſimilibus, floribusque maximis terminalibus flauis internoſcitur. *Daphne oleoides* in Cretae montibus legitur, flores profert ſemper geminos, ſeſſiles, apetalos; foliaque lanceolata glabra. *Rubus ſanctus* ita adpellatur, quoniam in Palaeſtina plerumque inuenitur, caulis petiolique aculeis obſeſſi ſunt recuruatis, folia ſumma et infima

ſunt

ſunt ſimplicia, reliqua vero ternata. *Teucrii ſalicisfolio* patria Armenia eſt, et calyce quadrifido nouam diſtinctamque huius generis ſpeciem exhibet, corolla denticulis iſtis in omnibus Chamaepityos TOURNEFORTII ſpeciebus deſtituitur. *Polygala ſupina* in Ponti Armeniaeque apricis glareoſis prouenit, et Polygalae vulgari non diſſimilis videtur; caules habet decumbentes, foliis oualibus obſeſſos, flores criſtatos racemoſos purpuraſcentes, caetera cum Polygala vulgari conueniunt. Omnes hae plantae nondum a LINNAEO, fido quondam SCHREBERI Praeceptore, annotatae deſcriptaeque ſunt, quapropter Auctori gloriam primae aut accuratioris ad minimum determinationis harum plantarum lubenter concedimus.

XX.

Experimental Eſſays on the following ſubjects: 1) On the fermentation of alimentary mixtures. 2) On the nature and properties of fixed air. 3) On the reſpective powers, and manner of acting, of the differend kinds of antiſeptics. 4) On the ſcurvy, with a propoſal for trying new methods to prevent or cure the ſame at ſea. 5) On the diſſolvent power of Quick-Lime. Illuſtrated with Copper-Plates. By DAVID MACBRIDE, Surgeon. London. Printed for a Millar, 1764. 8. pl. 17. tab. aen. 4.

i. e.

Experimenta 1) de fermentatione alimentorum inter ſe inuicem mixtorum; 2) de natura et proprietatibus aeris fixi; 3) de relatiua diuerſorum antiſepticorum virtute et modo agendi; 4) de ſcorbuto vnacum noua methodo illius in mare praecauendi vel curandi, 5) de ſoluente calcis viuae virtute. Auctore Cl. MACBRIDE etc.

Summa rerum pertractandarum ex fronte huius libri patet. Omnis autem res eo redit, vt oſtendere annitatur Cl. Auctor, quodnam ſit principium cohaeſionis, quoue modo iſtud in corpore animali produci, conſeruari et reſtitui poſſit. Quapropter varia hunc in finem inſtituit experimenta cum alimentis inter ſe inuicem mixtis, ita tamen, vt ad fermentationem et inde ſuboriunda phaenomena praecipue attenderet. Notat enim, digeſtionem,

ſtionem, in ventriculo et inteſtinis perficiendam, nihil niſi fermentationem eſſe, cuius ope principium iſtud cohaeſionis producatur. Experimenta itaque p. 12.
inſtituens, per fermentationem vaporem actiuum et ſubtilem produci, huncque ſubſtantiam potentiſſimam eſſe, qua liquores animalium aduerſus putredinem praeſeruentur, eundemque acrimoniam temperare et praecipuum nutritionis inſtrumentum ſiſtere, atque etiam ad calorem animalem quidquam conferre, autumat. Cum autem iſte vapor, qui p. 27.
per fermentationem ex commixtis rebus productus vel ſeparatus chyli mixtionem intrat, cumque ea ad ſanguinem translatus, hunc a diatheſi putredinoſa praecauet, vel eam ipſam corrigit, praecipue alimentorum aer fixus eſſe videatur, de eo nunc eiusque indole et proprietatibus agit, atque varia hunc in finem communicat experimenta. Statim autem notat, Cl. HALESIVM primum eſſe, qui docuerit, aerem eſſe principium iſtud, quo mediante diuerſae particulae corporum conſtitutiuae inter ſe inuicem vniantur, neminemque neque vllum chemicum, neque phyſiologum quemquam, praeter Ill. HALLERVM, HALESIVM ſecutum eſſe, perhibet. Hunc vero, dicit Noſter, oſtendiſſe, aerem eſſe vinculum, cuius ope terreſtres particulae inter ſe inuicem connectantur. Itaque de huius rei certitudine Noſter perſuaſus docet, principium iſtud, a quo immediate pendeat cohaeſio, debere eſſe naturae volatilis, neque fixae et indeſtructibilis, vt terra; quod quidem, ex Noſtri ſententia, adſcribendum eſt aeri fixo, qui detentus in corporibus firmitatem et p. 31.
bonam indolem iis conciliat, extricatus autem et elaſticus rurſum factus efficit, vt reliquae partes conſtituentes, terreſtres, ſalinae, oleoſae et aquoſae, in motum ab eo ductae, vires ſuas attrahentes et repellentes exſerant, nouam vnionem ineant, atque

 priſti-

priſtinam ſubſtantiae texturam deſtruant, dummodo ſubſtantia iſta ſufficientem aquae copiam ad producendum motum inteſtinum foueat.

p. 32. Sed difficulter explicari poteſt, qua ratione aer ex ſtatu repellente, elaſtico, in ſtatum non elaſticum et fortiter attrahentem, et ex hoc rurſus in illum tranſeat. Id per fermentationem fieri, Noſter per experimenta crebrius inſtituta ſe didiciſſe perhibet. Commixtis enim ſubſtantiis vegetabilibus cum animalibus aerem elaſticum produci, eius ope minimarum partium vnionem deſtrui, motum inteſtinum ſuboriri, naturam corporum penitus mutari, et ad nouam vnionem, a priſtina diuerſam, disponi, tuncque aerem elaſticum ſenſim abſorberi, et in fixum ſtatum rurſus mutatum partes mutatas
p. 49. vnire, animaduertit. Notat porro, aerem fixum, per fermentationem expulſum, inque elaſticum mutatum, in fixum illico ſtatum redire, quam primum corpus, aeris fixi cupidum, repererit. Id ſequenti experimento, a Cl. BLACK inuentore inſtituto, probare putat. Phialae nimirum committitur ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua paratus, alii autem phialae, quae cum priore ope tubi vitrei, accurate inſerti, coniungitur, alcali fixum inditur. In hanc per infundibulum, quod in foramen, a latere inciſum, inſeritur, acidum quoddam infunditur, cuius ope cum alcali fixo efferueſcentia excitatur, qua concitata aerem fixum expulſum inque elaſticum mutatum per tubum vitreum in alteram illam phialam tranſire, ibidemque contentum ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce viua paratum ſubire, huncque ad efferueſcentiam
p. 61. rurſus ſubeundam diſponere, autumat. Licet autem aer, per efferueſcentiam liberatus, animalia ſuffocet, idem tamen per fermentationem aut efferueſcentiam in inteſtinis expulſus dictum effectum non praeſtat, ſiquidem per totum canalem inteſtinorum ſe

diſtri-

diſtribuit, ibidemque facile in fixum ſtatum tranſire poteſt. Vix itaque nocet, niſi acrimonia quadam aut alio ſtimulo inteſtina ad conſtrictionem ſpaſmodicam ſollicitentur, immo maximam in iisdem praeſtat vtilitatem. Membranas enim irritat ac motum periſtalticum promouet et vaſa lactea ad reſorbendum apta reddit. Is autem aer, qui non reſorptus relinquitur, chyli compoſitionem intrat, tuncque vaſa irritat et eo disponit, vt breuiori tempore maſſam ſanguini tradant.

Aerem elaſticum repellentem in liquoribus animalium et vegetabilium deprehendi, immo eundem abſolute neceſſarium eſſe, Cl. Auctor aſſerit. Motum enim inteſtinum absque eo intelligi non poſſe, neque meabilitatem vaſorum concipi, putat. Liquorum porro animalium aerem neutiquam per pulmones, ſed per chylum aduenire et per vias vrinarias, praecipue autem per tranſpirationem exire, Noſter ſtatuit, aeremque vrinae per experimenta oſtendi, aerem autem materiae perſpirabilis non quidem per experimenta patere, ſed propterea, quod materies iſta maxime leuis ſit, probabilem reddi, arbitratur. Aerem fixum ex ſubſtantia animali putrefacta in alcali volatile cauſticum ſe recipere, hoc mite reddere et ad ſubeundam efferueſcentiam disponere, ſequenti experimento illuſtrat Noſter: ſumſit duas phialas, quas ope tubi vitrei curui, bene adglutinati, coniunxit. Alteri commiſit ſpiritum ſalis ammoniaci, cum calce viua paratum, alteri indidit carnem veruecinam recentem, cum aqua commixtam. Hac putrefacta ſpiritum alcalinum, cauſtica indole priuatum, mitem cumque acidis efferueſcentem reperit. Hocce experimento materiem volatilem ex ſubſtantia putrida effugere, hancque aerem eſſe ex fixo in elaſticum mutatum, oſtendit; eodemque experimento putrefactionem absque

p. 67.
p. 71.
p. 73.

acceſſu aeris atmoſphaerici producendam probari et, amiſſo tantum aere fixo, ſuboriri, autumat, immo per experimenta, hunc in finem inſtituta, confirmari perhibet; ſiquidem carnem ſub antlia pneumatica, educto aere, maiorem putredinem, quam carnem in liberiori aere, concepiſſe, deprehendit.

p. 88. Per alia experimenta oſtendit, putredinem etiam in corporibus viuis oriri, quando magna portio aeris fixi amiſſa fuit, nullam autem obſeruari, ſed diſſolui tantum corpora, omni aere amiſſo. Sic ex commiſtione calcis viuae, aquae communis et carnis nulla putredo, ſed diſſolutio perfecta orta eſt, cuius cauſſa exinde ducitur, quod calx viua omnem aerem abſorbuerit. Ex his igitur obſeruatis et ſcorbuti aliorumque morborum putridorum ſymptomatibus perpenſis colligitur, aerem ſeparatum eſſe cauſſam horum malorum. Cur autem in aere nimis humido diſpoſitio putredinoſa ſubnaſcatur, ea Noſtro videtur eſſe cauſſa, quod per eiusmodi aerem aqua, ſal et phlogiſton in corpore retineantur, nullus autem aer exeat, inde motu inteſtino ſuborto, putredo generetur. Quicquid itaque aerem ſuppeditet atque efficiat, vt intra corpus retineatur, cumque liquoribus miſceatur, id ex Noſtri ſententia putredinem arcet, ſiquidem acrimoniam putridam optime ab aere corrigi, ſtatuit.

p. 111. Ad tertium itaque tentamen nunc accedit Cl. Auctor, vbi de relatiua actione antiſepticorum, eorumque modo agendi agit. Anteceſſorem hac in re habuit Cl. PRINGLE, qui ſalia cuiuscunque generis et acida et alcalina et neutra, fixa et volatilia, ſubſtantias adſtringentes et gummoſo-reſinoſas putredini reſiſtere, eandemque corrigere, expertus eſt. Ipſe itaque Noſter experimenta inſtituit cum iisdem ſubſtantiis et carne putrida, atque acida et alcalina et neutra ſalia, putredini aduerſa, deprehendit.

hendit. Cum autem Cl. PRINGLE aſſeruerit, aquam calcis viuae parum reſiſtere putredini, Noſter experimentum cum hac aqua et carne putrida inſtituit, hancque correctam eſſe, aquam calcis vero vt verum antiſepticum ſe praebere, narrat. Haec virtus, vt Noſter opinatur, ita explicanda eſt: terrae calcareae in primo ſtatu aeris fixi magnam partem ex animalibus ſubſtantiis attrahunt, nec in tali ſtatu ſubſtantias animales penetrant, ſed tantum circumdant; ſin vero calcinantur, inque calcem viuam conuertuntur, ex parte in aqua ſolubiles euadunt, ita demum aptae, vt texturam animalium et vegetabilium penetrent, ſeque aeri fixo applicent et impediant, quo minus iſte effugiat; hinc, inteſtino motu impedito, putredo nullum locum habet. Eadem ratione ſalia et reſinoſa corpora putre- p. 121.
dinem impedire, Noſter autumat, ſiquidem ea ipſa ob inſignem diuiſibilitatem corpora profunde penetrant, cum aere ſe coniungunt, et euaporationem aeque ac motum inteſtinum putredinemque impediunt. Cur adſtringentia antiputredinoſam vim ha- p. 124.
beant, ex eo declaratur, quod non ſolum aquam abſorbent, ſed etiam fibras conſtringunt, et adeo firmas reddunt, vt nullus motus inteſtinus, ideoque nulla putredo in iisdem ſubnaſci poſſit.

Sed haec ad corpora, quae putredinem impe- p. 125.
diunt, nunc alia experimenta communicat Noſter, quae docent, quomodo putridum, iam natum, a ſubſtantiis quibusdam corrigi ſeu deſtrui poſſit. Inſtituit nimirum experimenta cum carne putrida, acido vitrioli et ſalis, aceto et ſucco citri, et reperit, acida haec putredinem omnino quidem corrigere, interim tamen eadem, quando putredo in primis viis latet, non ſufficere. Inſtituit deinde alia experimenta cum alcali volatili, et alia cum fixo, quibus quidem odorem putridum correctum, ſed carnem

 his

his ſalibus adeo impraegnatam reperit, vt odorem tum volatilis tum lixiuioſi alcali de ſe ſpargeret. Liquores ſalinos mediae indolis putridum nullo modo
p. 132. corrigere; a liquore vero fermentante ſyrupi ſaccharini, *Melaſſes*, immo a ſolo huius fermentantis liquoris vapore carnem putridam correctam eſſe, deprehendit. Ex quibus omnibus colligit, alcalia inſipidum carnis ſtatum non reſtituere, ſed id tantum praeſtare, vt alcali debilius expellant huiusque locum occupent, acida autem alcali putridum ſaturare et figere, terram tamen elementarem diſſoluere ideoque texturam deſtruere, cum contra liquores fermentantes non ſolum ſtatum inſipidum producant, ſed etiam ſolidis firmitatem rurſus concilient.

p. 139. Per alia experimenta, quae cum cortice peruuiano inſtituit Cl. Auctor, didicit, hoc remedium egregium eſſe antiputridum. Rem ita explicat: cum obſeruauerit, corticem peruuianum fermentationem ſubiiſſe, eum putat per huncce motum materiem ſubtilem ſuppeditare, quae acrimoniam putridam corrigat et ſanguini conſiſtentiam naturalem reddat; cum praeterea ſyſtema muſculoſum roboret, corpus eo diſponi cenſet, vt materiem morbificam coquere et per colatoria varia expellere poſſit, qua expulſa, demum ſolida, per acrimoniam relaxata, denuo ab eodem remedio roborentur. Cum autem hic cortex nullam aquam multumque aeris cum ſanguine communicet atque ſolida conſtringat, eundem in morbis inflammatoriis nullum locum habere, con-
p. 144. iicit. Commiſcuit etiam alcali et acidum, et inter efferueſcendum carnem putridam adiecit, et obſeruauit, putridum inde correctum eſſe. Ex quibus cunctis colligit, miſturas fermentantes et efferueſcentes omnium antiputridorum efficaciſſima eſſe remedia; ea enim corporibus putridis principium deſtru-

deſtructum ſeu deperditum, aerem nempe fixum, reddere. Sed quaeritur, an in corpore viuo humores tanta quantitate aeris ſaturari poſſint, vt eorum acrimonia corrigatur eorumque conſiſtentia et blanda indoles reſtituatur? Videtur vero Noſtro, id non ſolum fieri poſſe, ſed forte vnicum eſſe auxilium, quod hanc mutationem producere queat. Quicquid itaque ex Noſtri ſententia in corpore animali fermentationem ſubit multumque aerem praebet, id optimum antiputridum eſt. Cum autem vegetabilia multum aeris contineant, eorum ope optime putridum impediri et deſtrui, putandum eſt. Id experientia confirmat Noſter ſcorbuti exemplo vtens, qui oritur, vbi vegetabilia recentia deficiunt. Attendi etiam iubet ad regimen climatum calidiorum, in quibus ſanitas bene conſeruatur, ſi vegetabilia recentia et ea tantummodo in vſum vocentur, quae multum aeris largiuntur, quo aer, qui per largam tranſpirationem diſſipetur, reſtituatur, ii e contrario putridis morbis corripiuntur, qui multam carnem ſimulque copioſum ſpiritum vini ingurgitant, ſiquidem ex eius ſententia e carnibus parum aeris extricatur, et ſpiritus vini impedit, quo minus aer tempore digeſtionis ex alimentis ſeparari poſſit.

Virtutem antiputridorum generalem ex eo deducit Noſter, quod eorum ope chylus aceſcens producatur; verum eandem virtutem a vegetabilibus alcaleſcentibus et putreſcentibus aeque ac ab aceſcentibus expectandam eſſe, monet; hanc igitur virtutem a cauſſa generali omnibusque vegetabilibus communi pendere, eamque in vapore ſubtili, actiuo et penetrante, per primum gradum fermentationis producto, in aere nimirum conſiſtere, ſtatuit. Eo enim fluida animalia non ſolum a corruptione praecaueri, verum etiam, licet aliqua ex parte putredi- p. 161.

nem iam ſubierint, reſtitui, id quod ex curatione ſcorbuti maritimi clarius apparere aſſerit. Hic enim morbus, in quo vniuerſa fluidorum maſſa diſſoluta et corrupta eſt, nulla alia ratione, vt Noſter putat, curari poteſt, quam, vt magna quantitas noui aeris in ea fluida introducatur; id autem per nutrimentum fieri debet, quod a rebus petitur, quae ad libras, non vncias, nec drachmas, ingeri poſſint. *Patet* itaque, inquit Cl. Auctor, *potentiſſimum antiſcorbuticum dare vegetabilia, quippe quae maxima in quantitate absque vllo ſuperueniente incommodo ingerere valet aeger.* In ſcorbuto enim credit organa digeſtionis optime valere, ſubſtantias fermentantes in vſum ſuum conuertere, et ſcorbutum, dummodo materiae ſalutares adſint, curationem ſemper admittere; verum in morbis acutis, per putredinem productis, rem aliter ſe habere, totumque corpus ita perturbatum eſſe, vt potentiſſima antiputrida virtutem amittant. Cum itaque ſcorbuti curatio, ex Noſtri ſententia, a qualitate fermentante remediorum pendeat, patet, alias etiam ſubſtantias praeter vegetabilia recentia eſſe poſſe, quibus iſte finis attingatur. Quapropter, quum vegetabilia recentia in mare ſaepe deſint, nouam methodum ſcorbuto maritimo medendi communicat, quam etiam optimo cum ſucceſſu in febre illa putrida icterica Indiae occidentalis tentari poſſe, aſſerit. Conſiſtit vero in eo, vt aegri doſes repetitas ſalium alcalinorum cum ſucco citri recenter expreſſo commixtorum adhuc, dum efferueſcant, ingerant et potum fermentantem ſuperbibant. Sic enim aerem copioſum in corpus introduci autumat, qui acrimoniam putridam, quae ab initio in ſyſtemate biliario habitauit, corrigat. Eadem ex cauſſa ſuadet etiam vſum malti, quod facile, etiam in nauibus, incorruptum ſeruatur, et ex quo, vrgente neceſſitate, infu-

infuſum parari poteſt, lenioribus ſuccis vegetabilium recentibus ſimile, quod confeſtim fermentat et blanda ſaponacea et aperiente indole eundem effectum praeſtat, ac ipſa vegetabilia recentia; magna etiam illius copia aegri ſine incommodo vti poſſunt. Vſum huius infuſi ita definit, vt panatella, ex pane bis cocto vel fructibus exſiccatis parata, bis per diem vſurpetur, ſimul autem intra viginti quatuor horas librae duae aut plus, ſi requiratur, infuſi malti ingerantur et a parua doſi ſenſim ad maiorem vsque aſcendant aegri. Effectum huius remedii in laxando ventre conſiſtere, Noſtro probabile videtur; talem autem effectum in ſcorbuticis, quorum ſymptoma praecipuum conſtipatio alui ſit, optimum eſſe, putat. Si vero ab hocce remedio tormina et hypercatharſes ſuperueniant, doſis eiusdem imminuatur, et aliquae guttae elixirii acidi vitrioli adiungantur. Eandem curationem in morbis acutis putridis, vbi nullum peſtis ſignum ſubſit, vtilem fore, autumat. Cum enim plurimos horum morborum Cl. Auctor a materia in primis viis collecta et corrupta repetat, remedia, quae diluunt, obtundunt, inprimis fermentant, et hoc modo vaporem antiſepticum producunt, optima Noſtro videntur. Hoc in caſu panatellam pro victu et infuſum malti cum ſucco citri vel aurantiorum, vel in eius defectu, cum ſpiritu vitrioli ingeri iubet. Infuſum autem malti ita parare praecipit, vt duabus libris malti ſex librae aquae ebullientis infundantur, mixta bene agitentur, perque tres aut quatuor horas probe tecta reponantur, demum colentur, et colatum infuſum, poſtquam refriguit, per diem vſurpetur. Cauendum vero eſt, ne aceſcat infuſum, alias iſtud inutile eſſe, ſaporem eius ingratum fieri, neque facile fermentare notat.

p. 213. Vltima ſectione de ſoluente calcis viuae virtute Noſter agit. Varia etiam hic experimenta deprehendimus, quorum nonnulla ad demonſtrandum vinculum, quo mediante corpora animalia cohaerent, ſpectant. Disquirit nimirum Cl. Auctor, num aer fixus, a quo cohaeſionem corporum vegetabilium et animalium immediate pendere, ſibi perſuadet, in minerali quoque regno idem iſtud principium conſtituat. Hunc ad finem vero calcem viuam valde aptam inuenit, ideoque cum ea experimenta inſtituit, quam magnam affinitatem cum aere fixo habere, et ante calcinationem eo repletam, calcinatam vero eodem priuatam, ſicque cauſticam et in aqua ſolubilem factam eſſe, putat. Indidit nimirum in phialam aquam calcis viuae bene percolatam valdeque limpidam, hancque ope tubi vitrei cum alia phiala, in qua mixtura efferueſcens fuit, probe coniunxit. Hoc facto particulas calcis, in aqua inuiſibiles antea haerentes, a vapore elaſtico, per efferueſcentiam alcali et acidi producto inque alteram phialam propulſo, ſtatim viſibiles factas, fundum petiiſſe, inque primum inſolubilitatis ſtatum rediiſſe, deprehendit. Alia poſthac quam plurima cum aqua calcis viuae aliisque ſubſtantiis admixtis inſtituit experimenta, ex quibus colligit, aquam calcis viuae aerem ex corporibus validiſſime in ſe ſuſcipere, haecque, aere amiſſo, eo disponi, vt in aqua ſolubilia euadant; in vniuerſum autem aquam calcis viuae ceu lapidem lydium conſiderari poſſe, cuius ope copia aeris, in
p. 229. corporibus latentis, detegi poſſit. Sic ex commiſtione aquae calcis viuae cum ſpiritu cornu cerui terra calcarea praecipitata fuit; idem obſeruauit, ſi hanc aquam vel cum ſale cornu cerui, vel ſale tartari, vel ſalibus alcalinis cauſticis, vel ſaccharo oleoſo, parum depurato, *Caſſonade* dicto, vel ſuccis vege-

tabilium

tabilium recentibus, vel etiam cum vrina, ſaliua, bile, ſudore, ſanguine coagulato, vel etiam ſanguine recenter e vena educto, vel demum lacte commiſcuit. Ex commiſta autem aqua calcis viuae cum liquoribus fermentatis et ſpiritu vini valde parum praecipitatum eſt, nec quidquam prorſus ex commiſtione calcis viuae cum lixiuiis alcalinis cauſticis, vel cum ſpiritu ſalis ammoniaci cauſtico vel cum ſero ſanguinis obtinuit. Ex his colligit, ſubſtantias, quae effecerunt, vt ex aqua calcis viuae terra praecipitaretur, aerem continere, eas autem, quae nullum praecipitatum dederunt, nullum aerem recludere. Cum autem variantem terrae praecipitatae copiam deprehenderit, maiorem etiam minoremue copiam aeris contenti inde patefieri, concludit. Sic in ſaccharo et ſuccis vegetabilium propterea, quod terrae praecipitatae portio maior obtineatur, multum aeris contineri, putat. Cum contra liquores fermentati et inprimis ſpiritus vini valde paruam copiam terrae calcareae ex aqua calcis deiecerint, in his pauciſſimum aerem contineri, aſſerit. In vrina et ſudore multum aeris recludi, minorem autem copiam in bile, et multo minorem in ſaliua deprehendi, ex eadem ratione oſtendere Noſter annititur. At vero ex his alia ſequuntur conſectaria, quae in praxi medica nullius non vtilitatis eſſe videntur. Cum viderit Noſter, aquam calcis ex vrina aerem potenter educere, hanc aquam aeque ac alcali cauſticum, quod ex Noſtri ſententia pari ratione aerem potentiſſime abſorbet, medicamenta lithontriptica praeſtantiſſima praebere, quorum ope aer fixus ex calculis educatur, ſicque, vinculo amiſſo, faciliori negotio nunc comminuendi cum vrina egrediantur. Monet tamen Noſter, aquam calcis viuae, cum in primis viis ab alimentis et in viis vrinariis ab vrina aerem in ſe ſuſcipiat, vim p. 233.

aeris

aeris ex calculis educendi, amittere; quapropter alcali cauſticum commendat, atque, ne hoc ob cauſticitatem partibus noceat, integris vero viribus ad vias vrinarias perueniat, iſtud cum iuſculo gelatinoſo v. g. iuſculo carnis vitulinae, aut iuſculo mucilaginoſo e. g. decocto radicis althaeae commiſceri, ſicque ſat magna in copia ingeri, et aquam calcis viuae ſuperbibi, iubet. Quod ad ſaliuam et bilem attinet, notatum iam fuit, in his paruam aeris copiam reſidere, et quidem in ſaliua minorem, quam in bile: inde autem Noſter concludit, horum liquorum animalium et inprimis ſaliuae ope, aerem ex oleoſis et pinguedinoſis corporibus educi, haecque tunc aquae miſcibilia reddi, et facile in inteſtinis digeri poſſe: coniicit porro, dictis liquoribus morboſis factis, id eſt, aere copioſiori praeter naturam iſtis immixto, digeſtionem laedi et varia incommoda, cardialgiam, flatulentiam, rancorem etc. produci. Cum autem ſaliua aerem tam potenter abſorbeat, eam ob hanc cauſſam miaſmata contagioſa facillime in ſe ſuſcipere, hinc crebrius eo tempore
p. 254. exſpuendam eſſe, putat. Notat porro, podagram generari, quod humores nimia copia aeris fixi abundent, inde autem fluida digerentia laedi et terreas ſalinasue ſanguinis partes ad concretiones, minima vaſa obſtruentes et dilacerantes, diſponi. Sic autem aquam calcis viuae, cum aerem abſorbeat, praeſtantiſſimum antarthriticum eſſe, digeſtionem podagricorum corrigi, et concretiones ſubortas ex parte diſſolui. His itaque aliisque pluribus experimentis ſe demonſtraſſe, putat Cl. Auctor, aerem fixum eſſe principium conglutinans et cauſſam immediatam perfectae corporum, inprimis vegetabilium et animalium, cohaeſionis. Semel tamen iterumque innuit, inter aerem fixum et aerem atmoſphaericum magnam eſſe differentiam, huncque ad reſpiratio-
nem

nem maxime neceſſarium, ſi in vaſa admittatur, ſubito animalia interficere, illum in humores intime ſuſceptum ad ſuſtentandam vitam et ſanitatem abſolute neceſſarium eſſe, licet non negandum ſit, eum ipſum elaſticum factum nociuum omnino fore. Caeterum aerem fixum partem eſſe aeris atmoſphaerici, ope alius principii adiuncti, mutati, aſſerit. Tandem quoque notat, aerem fixum praecipue in partibus vegetabilium elaboratiſſimis, in gummatibus nimirum et reſinis reſidere; hinc eadem, cohaeſione partium deſtructa, in aqua ſolubilia euadere. Hunc itaque in finem calcem viuam et aquam calcis viuae adhibendam eſſe, ſuadet: ſic camphoram, moſchum, reſinam ialappae et ſcammoneum, cum ſaccharo trita, denique cum aqua calcis viuae mixta praeſtantiſſimas ſolutiones, optimo cum ſucceſſu in praxi medica vſurpandas praebere, dicit, dummodo tripla adhibeatur harum reſinarum portio, cum partes earum adeo diuiſae ſint, vt leuiſſimam tantum in inteſtinis excitent irritationem. Si virtus corporum reſinorum per ipſam calcem aucta requiratur, eiusmodi corpora cum calce viua triturari et ſenſim inter terendum aquam calcis viuae affundi, dein per aliquot horas digeri, demum percolari iubet. Sic ex cortice peruuiano, rhabarbari radice, aloe, praeſtantiſſimas potiones parari, et ex aloe, myrrha et croco, egregium elixir obtineri, et ex gummi guaiaco et caſtoreo laudatiſſimas ſolutiones fieri, perhibet. At enim vero, licet ſententiae Cl. Auctoris de aere fixo, tanquam principio conglutinante praecipuo, omni ex parte ſuffragari nequeamus, tamen in inſtituendis experimentis accuratiſſimum et ſolertiſſimum ſe praebuiſſe aliisque in chemia verſantibus, noua experimenta inſtituendi optimam occaſionem dediſſe, agnoſcimus: quapropter,

p. 260.

ſi

ſi et in poſterum plura eiusmodi inſtituerit experimenta, id gratiſſimum nobis et omnibus, qui ſolidas doctrinas amant, omnino fore, profitemur.

XXI.

Traité des Maladies des Femmes, ou l'on a taché de joindre a une Theorie ſolide la Pratique la plus ſure et la mieux eprouvée. Avec deux Diſſertations, pour ſervir d'éclairciſſement à quelques endroits du Traité des Maladies des Femmes. Par I. ASTRUC, Profeſſeur Royal de Médecine et Médecin Conſultant du Roi. à Paris, chez P. Guill. Cavelier, 1765. 12 mai. T. V. 1 Alph. tab. aen. 3. Tom. VI. pl. 15.

i. e.

Tractatus de morbis mulierum cet. Auctore Cl. I. ASTRUC.

Cum iam alio loco de quatuor prioribus voluminibus huius operis ad Lectores noſtros retulerimus *), ſupereſt, vt nunc duo poſteriora volumina, quintum ſcilicet ſextumque indicemus. Licet enim tractatio *de arte obſtetricia*, quam Cl. ASTRUC eodem fere tempore edidit, continuatio quaſi ſit huius *de morbis mulierum* operis, illam tamen, cum alius eidem praefixus ſit titulus, ad alium locum reſeruabimus. Continet vero quintum, de quo iam agimus, volumen tertium totius operis librum, quo Cl. Auctor de grauiditate grauidarumque morbis agit, cum quartum tandem volumen, praeter librum quar-

*) Comment. h. Vol. XI. Part. II. p. 213 ſq.

quartum de mammarum morbis et lactis vitiis, com-
prehendat etiam duas diſſertationes, in quibus Cl.
Auctor ad quaedam dubia reſpondet, quae ab aliis
contra varia priorum voluminum loca propoſita
fuerunt.

Exponit vero Cl. Auctor primum de partibus, p. 1.
quae in foeminis generationi inſeruiunt. Ex eius
ſententia orificium vteri clauditur peculiari quodam
ſphinctere, excepto tempore conceptionis et par-
tus, quo tonica actione fibrarum muſculoſarum ape-
ritur, quae circa hoc orificium et ſphincterem ra-
diorum inſtar diſpoſitae ſunt. Similem quoque fa-
bricam orificia tubarum Fallopianarum habent, qua
eae ad vterum pertinent. Repetit etiam Cl. Auctor
hoc loco illa, quae iam alio loco de *appendicibus ve-
noſis coecalibus* et vaſis vermicularibus vteri propo-
ſuit *). Ligamenta lata nullo modo vterum in ſitu
retinere poſſe autumat, cum nimis laxa ſint, putat
tamen omnino rotunda vteri ligamenta id praeſtare
poſſe, ſi vterus vacuus ſit. Capite 2. de foetus in- p. 30.
uolucris et placenta exponit et, quae de ratione
adhaeſionis placentae ad vterum alio loco propoſuit,
magis confirmat. Liquorem amnii oriri putat ex p. 46.
vaſis placentae lymphaticis, quippe quae ad funicu-
lum vmbilicalem non progrediuntur. Capite 3. p. 47.
quod de conceptione inſcribitur, varias tum vete-
rum tum recentiorum hac de re hypotheſes Noſter
recenſet, ſuamque tandem de generationis nego-
tio ſententiam ita explicat, vt doceat, in coitu foe- p. 61.
cundo vteri orificium aperiri, ſemenque vteri et tu-
barum contractione ad ouaria deferri: vnum ex ani-
malculis, in ſpermate reperiundis, quae ſtamen fu-
turi hominis continent, per rimam, in externa oua-
rii membrana fabrefactam, ingredi ouum, in ouario
conſti-

*) Mal. des fem. T. I. p. 9. et 11.

conſtitutum: ouum vero hac ratione foecundatum celerrimum incrementum capere eadem ratione, qua incolae variarum inſularum Archipelagi caprificationis ope, ſcilicet per inſecta, ficuum incrementum promouere ſolent: oſcillatorio ſcilicet motu a viuo animalculo in ouo excitato humores magis allici: ouum porro foecundatum per rimam membranae ouarii et ex fouea, in qua continetur, propelli ab increſcente corpore luteo, quod fundum cellulae occupat, ſicque per tubam ad vterum deſcendere. In-
p. 69. terea in vtero ipſo ope contractionis fibrarum muſculoſarum tum ex vaſis vermicularibus lymphaticis aliquis ſuccus in cauitatem vteri exprimitur, tum orificia appendicum venoſarum perfecte clauduntur, vt men-
p. 74. ſtrua non amplius procedere poſſint. Capite 4. Cl. ASTRUC nonnullas difficultates, quae in hoc generationis modo explicato occurrunt, diluere tentat. Animalcula ſpermatica non nobiliora ſunt aliis inſectis, cum embryo in ipſa conceptione tantum animam
p. 78. rationalem accipiat. Placenta ad matrem pertinet, atque in conceptione tantum eo vermiculi loco, qui in futuro homine vmbilicus fit, adaptatur. Alia, quae de origine chorii et amnii, de cauſſis ſimilitudinis quae inter foetus et parentes intercedit, et ſimilibus Cl. Auctor profert, ſicco pede tranſeamus. Sunt enim mere hypotheſes, nunquam facile experimentis comprobandae, teſtanturque tantum eſſe Cl. Auctoris ingenium, vt nihil in toto generationis negotio tam obſcurum ſit et intricatum, quod non facili negotio explicet. Atque huc pertinere quoque videntur ea, quae de differentia ſexus, animalculorum ſpermaticorum, de cauſſis, cur foeminae nonnullae pueros vel puellas tantum pariant, et ſimilibus argumentis habet. Omnia omnium hominum animalcula ſpermatica iam in Adami animalculis ſpermati-
p. 98. cis latuiſſe putat. Capite 5. quod de conceptione

ſpuria

ſpuria inſcribitur Cl. Auctori de foetibus agit, qui in ouariis, tubis, et abdomine reperti fuerunt, et lithopaediis. Etiam ſteatomata et tumores tunicatos, qui in tubis et ouariis reperiuntur, ex foetibus ibidem demortuis Cl. Auctor oriri putat. Capite 6. p. 127.
de ſterilitate exponit, cauſſasque eius abſolutas et relatiuas enarrat. Ad poſteriores exempli loco refert acrimoniam humorum foeminae, quae animalcula ſpermatica maris interficit, nimiam anguſtiam fiſſurarum membranae ouarium cingentis, quae impedit, quo minus animalcula ſpermatica maris nimis magna ad oua foeminae penetrare poſſint, et ſimilia. In curatione ſterilitatis attendit potiſſimum ad illam ſterilitatis ſpeciem, quae ex vteri nimio calore, qui animalia ſpermatica maris enecat, oritur, atque ad illam, quae prouenit ex nimia vteri laxitate, quae impedit, quo minus ille ſe contrahat et ſemen ad ouaria propellat. In priore venaeſectionem, iuſcula refrigerantia, ſerum lactis, lac aſininum, balnea tepida etc. in poſteriore vero roborantia et aphrodiſiaca, caute tamen exhibenda, commendat. Capite 7. de grauiditate Noſter disputat. p. 163.
Placenta fundo vteri ideo vt plurimum adhaeret, quia leuiſſima oui pars eſt. Connectitur vero cum vtero mutua inſertione eminentiarum placentae in ſinus vteri, et huius appendicum venoſarum in ſinus placentae. Foetus autem in vtero eiusmodi ſitum per omnem fere grauiditatem habet, vt caput illius ſuperiora ſiue fundum vteri ſpectet, cum in aqua natet caputque ob cauitates, quae in cranio ſunt, et cerebri mollitiem, et in vniuerſum ſuperiores partes omnes, leuiſſimae tunc ſint. Circulum humorum iam in animalculo ſpermatico adeſſe Cl. Auctor putat, licet loco ſanguinis tenuiſſima tantum lympha ſit. Primis grauiditatis temporibus foetus tantum lympha, in qua natat, nutritur, deinde

placenta ad vterum adplicata, lympha, in vaſis vteri vermicularibus contenta, ad foetum tranſit, tandemque verus ſanguis ex venis coecalibus vteri ad foetus vaſa fluit. Rationem incrementi foetus in vtero ex comparatione magnitudinis animalculi ſpermatici ad foetum perfectum diiudicat Noſter, quam eſſe putat vti 138240000 ad 1. Vti vero incrementi ratio ſemper decreſcit, ita quoque placenta caeteris paribus primis menſibus longe maior eſt, quam vltimis geſtationis menſibus, quod magnitudinis decrementum placentae ab vtero ſeparationem, quae partus tempore fit, multum adiuuat, et inter praecipuas cauſſas, quae partus tempus definiunt,
p. 198. referri meretur. Caput 8. continet hiſtoriam praecipuorum inuentorum, quae circa formationem foetus facta ſunt. Additae ſunt nonnullae embryonum figurae, ex KERCKRINGIO, RUYSCHIO et BIAN-
p. 209. CHI ſumtae. Capite 9. Noſter varias de nutritione foetus in vtero opiniones examinat, et RUYSCHIUM refellit, qui omnem inter vteri et placentae vaſa coniunctionem negauit; probat etiam foetum minime per liquorem amnii et os nutriri, ſed omne nutrimentum ſuum funiculi ope accipere.
p. 242. Capite 10. de grauidarum regimine et cautione in exhibendis remediis emeticis et purgantibus, nec non ratione venaeſectionis in grauidis adhibenda Cl. Auctor agit. Vti vero in vniuerſum in hoc opere copia illarum rerum, quae ad theoriam ſpectant, longe maior eſt copia rerum, quae medicum practicum inſtruunt, ita potiſſimum hoc de tractatione de grauidarum morbis valet, quippe quae iuſto bre-
p. 284. uior eſſe videtur. Capite 11. de termino partus naturali Cl. Auctor diſputat, quem praefinitum eſſe aſſerit, ita tamen, vt latitudinem quandam in illo concedat, inprimis in hominibus, in quibus ob varietatem vſus rerum non naturalium ea maior,

quam

quam in brutis eſſe ſolet. Decimo vero menſe partum fieri, Noſter cum HIPPOCRATE aſſumit, obſeruationesque, quibus partus iuſto longius protracti poſſibilitas defendi ſolet, refellit. Capite 12. de abortu exponit eiusque cauſſas eleganter explicat. Multa tamen inter remedia contra abortum a Noſtro laudata plane inutilia et inefficacia ſunt. In haemorrhagia vteri poſt partum chirurgum aliquem optimo cum ſucceſſu iniectione ex aceto parata vſum fuiſſe, Cl. Auctoris eſt obſeruatio. Capite 13. de naturali partu diſſerit Auctor. Cauſſa partus, vti fuſius hic demonſtratur, non in magnitudine et pondere foetus, neque in motu illius a meconii vel vrinae ſtimulo excitato poſita eſt, ſed ex Noſtri mente in circumuolutione ſeu rotatione (*la culbute*) foetus. Capitis enim pondere in grauiditatis ſucceſſu aucto, illud, quod antea fundum vteri ſpectabat, nunc breui ante partum verſus anteriora et inferiora deſcendit, ita vt partem vteri circa orificium nunc irritet, quae valde ſenſilis eſt, ex qua irritatione vterus omnis ad contractionem ſtimulatur, doloresque ad partum producuntur. Ipſe quoque foetus in partu ipſo hoc negotium, dum ſe mouet et extendit, multum adiuuat, vterum ſcilicet irritando et laceſſendo, quoinde is ad nouas contractiones disponitur. Extra omnem dubitationem poſitum Noſter eſſe aſſerit, in partu difficili pubis oſſa in ſymphyſi ſua a ſe inuicem diduci. Capite 14. exponit de lochiis, nimio eorum fluxu et ſuppreſſione, quae vel a refrigerio, vel a ſpaſmo, vel ab inflammatione pendet. Haec ſuppreſſio, quo citius poſt partum accidit, eo maius periculum affert. Venaeſectionem vero, quae tunc temporis inſtitui ſolet, Cl. ASTRUC monet, ſi lochia non penitus, ſed ex parte tantum, ſuppreſſa ſint, in pede, omni vero fluxu ſublato, in brachio fieri debere. In diar-

p. 312.
p. 351.
p. 384.
p. 414.

p. 419. diarrhoea puerperarum ipecacuanha vtitur. Caput 15. tractationem de febre lactea continet, ad quam veteres plane non attenti fuerunt, cum REINERVS SOLENANDER circa annum 1596. et poſt eum
p. 450. WILLISIVS primum de ea ſcripſerint. Capite 16. Auctor agit de lactea metaſtaſi ſiue tumoribus lacteis (*lait repandu*, *dépots de lait*). Hi tumores oedematoſi quidem ſunt, ſed magis renitentes et dolentes. Vt plurimum in partibus externis, rarius in internis deprehenduntur, noſtrisque temporibus, ob varias cauſſas, potiſſimum vero, quia multae foeminae non lactant, atque alimentis nimium nutrientibus abutuntur, maxime inter ditiores frequentius, quam olim, obſeruantur, cum veteres nullam earum fecerint mentionem. Attamen hic morbus non adeo frequens eſt, vti mulieres putant, quae in Gallia omnia poſt puerperium ſymptomata lactis metaſtaſi adſcribunt. In vniuerſum autem de origine horum tumorum Cl. Auctor docet: in foeminis, quae non lactant, vel quae nimiam lactis copiam alunt, illud ad ſanguinem regredi quidem, non tamen cruori, ſed lymphae tantum admiſceri; hinc copiam eius nimium auctam vel lympham iuſto ſpiſſiorem redditam, ſi refrigerium aut preſſio partis cuiusdam glanduloſae vel alia ſimilis cauſſa accedit, in glandula vel circa eam ſtaſin oriri, quae, ſi lente increſcit, nullum dolorem excitat, ſi vero ſubito augetur, inflammationem et abſceſſum generat. Ad hanc itaque metaſtaſis ſpeciem medicus in omni morbo aut dolore, poſt puerperium oborto, attentus ſit, remediaque huic malo debellando apta adhibeat, quippe quae, licet inutiliter adminiſtrentur, tamen non noceant. Vt plurimum hi tumores aptis remediis adhibitis diſcutiuntur, quae vero ex abſceſſibus lacteis oriuntur vlcera, difficulter ſanantur. In curatione potiſſimum medicus lympham diluere eius-

que

que copiam venaeſectione et purgantibus minuere, et reſoluentium vel pro re nata ſuppurantium quoque vſum externum non negligere debet. Vltimo p. 468. tandem capite de mola Noſter exponit, quae vel ex foetu demortuo, vel ex parte placentae, in vtero relicta et in hydatides conuerſa, vel tandem ex ſimilibus fruſtulis, vtero non adhaerentibus, ſed libere in eo fluctuantibus, oritur.

Liber quartus, qui de mammarum morbis et lactis vitiis inſcribitur, primo breuem de ſtructura et T. VI. vſu mammarum tractationem comprehendit. In- p. 1. uolucrum mammarum ex Cl. Auctoris ſententia muſculoſis fibris inſtructum eſt, quarum contractione in nutricibus lac ſaepe ſponte proſilit. Papillas quoque rigeſcere et intumeſcere putat contractione fibrarum muſculoſarum, circuli in modum papillas ambientium. Capite 2. Auctor de mammarum in lactantibus intumeſcentia cum dolore exponit, qui p. 29. morbus Gallis *le Poil*, Latinis *coloſtratio*, Graecis τυρῶσις dicitur. Vt plurimum in eo corpus vnius tantum mammae ſubito intumeſcit, cum vel ſine dolore, illeque tumor intra duos vel tres dies reſoluitur, aut, ſi diutius durat, in abſceſſum abit. Oritur ille morbus ab obſtructione mammae, quae vel a lacte nimis ſpiſſo, vel a refrigerio, vel a vi externa, vel ex lactis abundantia aut nimis longa in mammis mora, vel alimentis iurulentis, lacte non bene praeparato et animi affectibus pendet. In hoc morbo lactis copia ſuctione et remediis diminuenda, nec non diaeta ordinanda, et cataplaſmata externe adhibenda ſunt. Capite 3. de inflammatione mam- p. 49. marum, ſiue ea in puerperis, ſiue in lactantibus, ſiue extra hoc tempus accidat, Auctor diſſerit. Multae omnino cauſſae ſunt, quae huic morbo generando anſam dare poſſunt, inprimis vero ex laeſione ab ictu, lochiorum aut menſium ſuppreſſione, vel morbo

le Poil dicto nimium protracto oritur. Nunquam in gangraenam terminatur. Venaeſectionem, ſi lochia penitus ſuppreſſa ſunt, in brachio inſtituendam exigit, alias in pede. Interne leuiora infuſa diaphoretica, purgantia vero non prius adhibet, quam lochiis penitus ſuppreſſis. Semper ex altera mamma
p. 69. lac ſuctione extrahendum eſt. Capite 4. de abſceſ-
p. 88. ſu et 5. de vlceribus mammarum Cl. Auctor agit, quorum curam, ſi ſuperficialia tantum ſint, nutricibus ipſis permittit, cum illae, licet lentius curationem abſoluant, tamen meliorem, quam chirurgi, ci-
p. 125. catricem producant. Capite 6. de cancro, 7. vero
p. 154. de papillarum morbis Noſter diſputat. Cancri ſpe-
p. 145. ciem deſcribit minus vulgarem, quae ex vlcere fiſtuloſo, ſub papilla ſito et in cancrum degenerante, oritur, in cuius morbi initio ſinus inciſione aperiendi ſunt, licet Cl. Auctor ipſe hac methodo non vſus
p. 144. ſit. Cicutae extractum plane inutile eſſe aſſerit, ſimileque de terra aliqua, ex Luſitania allata, qua ante aliquot annos in Gallia, ni fallimur, Cl. SANCHEZ
p. 166. aduerſus cancrum vſus eſt, iudicium fert. Capite 9. tandem de lactis defectu in nutricibus, in cuius morbi curatione ſemper ad cauſſas reſpiciendum eſt, et 10. de lactis vitiis exponit.

p. 182. Adiectae ſunt huic volumini duae diſſertationes, in quarum priore ad obiectiones Cel. SWIETEN reſpondet, quae ille in quarto Commentariorum volumine *) contra deſcriptionem propoſuit, quam Noſter de vteri fabrica et venis coecalibus dedit. Probat vero, ſe has appendices in foemina nouem menſes grauida vidiſſe, atque ex variis ſcriptoribus loca adducit, quae, illos ſimilia fere obſeruaſſe, probant. Inter hos praecipuus HIGHMORUS eſt, qui illas in foemina menſtruata vidit. Poſſunt quoque conſpici

*) T. IV. p. 404.

ſpici adhuc paucis poſt puerperium diebus praeterlapſis. Nemo vero diſſectorum ante Cl. ASTRUC harum appendicum ex venis originem declarauit. In brutis non exiſtunt. Secunda diſſertatio ad varia p. 260 dubia leuiora pertinet, quae in diario eruditorum a. 1762. contra Cl. ASTRUC librum propoſita fuerunt, et tantum ad hiſtoriam litterariam medicinae ſpectant.

XXII.

Abhandlung vom Schalle, wie er entſtehet, fortgehet, ins Ohr wirket, und wie der Empfang des Schalles, kraft der innerlichen Structur des Ohrs hervor gebracht wird, und wie das Hören geſchiehet, von URBAN NATHANAEL BELTZ. *D. Med. in Neuſtadt-Eberswalde. Berlin, bey Haude und Spener,* 1764. 4. pl. 18.

i. e.

Diſſertatio de ſono, eius ortu, propagatione et actione in aurem, atque quomodo ſonus ob internam auris ſtructuram percipitur et auditus fit: auctore VRB. NATHAN. BELTZ. Berolini etc.

Elegantis huius diſſertationis, quam Illuſtris Regia Academia Berolinenſis praemio ad annum 1762 propoſito ornauit *), Auctor Cl. experientias, obſeruationes ac ſententias de ſono et auditu, a philoſophis ac medicis inuentas et demonſtratas, inſigni ingenii acie collegit, ac propriis meditationibus

 auctas

*) Prodiit etiam ſub titulo Gallico: *Diſſertation ſur le ſon et ſur l' ouie, qui a remporté le Prix* etc.

auctas in eum redegit ordinem, vt quaeſtioni, de
auditus mechaniſmo, ad illuſtrandum propoſitae,
egregia lux affunderetur. En breuem eius conſpe-
p. 4-7. ctum. Ex obſeruationibus docet Cl. Auctor: ae-
rem compreſſum, ſublata vi comprimente, ſe ex-
pandere: iteratis eius compreſſionibus et expanſio-
nibus oriri concuſſiones particularum aerearum ac
vibrationes, quae, ſublato in aeris columnis aequi-
p. 9. librio, quam longiſſime propagantur. Quodſi eius-
modi vibrationes vel ipſae celerrime in arctius ſpa-
tium cogantur, vel ab aliis corporibus coarctentur,
ac denuo debita celeritate expandantur, non poſſunt
non inde ſibili, clangores, murmura, ſonique varii
generis formari. Generalis haec ſoni ex aeris ela-
ſtici vibrationibus geneſis ex fragoribus coeli to-
p. 12. nantis, exploſionibus tormentorum ac ſclopetorum
13. 16. pneumaticorum, ac ex ipſius aeris interiore natura
vberius declaratur, ſoni vero ex vno in alia loca pro-
pagatio ex elaterum tremoribus ac vndulis circulari-
p. 18. bus, ab iniecto lapide in aquae placide ſtagnantis
20. ſuperficie exortis, copioſe illuſtratur. Sonus ea
p. 43. ratione excitatus in progreſſu vel per aerem diſſipa-
tur, ac debilitatus tandem euaneſcit, vel in corpora
inſtrumentaque variae formae, ſtructurae ac mate-
riae colligitur, collectus intenditur ac augetur, ex
quo immenſa ſonorum varietas ortum trahit, quae
in tympanis, fornicibus ellypticis, organis pneu-
maticis, tubis phonicis obſeruatur, vel tandem a
corporibus, in quae impingit, ſi fuerint elaſtica ea-
que vi nimia, repercutitur, repercuſſus multiplica-
tur, ac, vti in chordis tenſis aliisque caſibus ſimili-
p. 61. bus fit, reſonat varieque modulatur: a corporibus
vero remotis ſonus reflexus echo varii generis pro-
p. 67. ducit. Ad recipiendos vero, augendos ac promo-
uendos acceptos ſonos, ſupra quam dici poteſt, mi-
rifica arte a ſupremo conditore aptam eſſe con-

ſtructam

ſtructam aurem humanam, demonſtrat Auctor Cl. ex muſices arte, ac inprimis ex accuratiori ſingularium partium, aurem conſtituentium, totiusque eius fabricae conſideratione. Cum vero partes illae notiores ſint et adnotationes, de ſingulis allatae, ad enarrandum longiores, quam vt hic tranſcribantur, hic adnotaſſe ſufficiat: exteriorem partem auris eſſe p. 80.
ſubſtantiam cartilaginoſam et elaſticam, vt eo facilius ab aere tremulo in ſimiles concitetur motus. Porro Cl. Auctor oſtendit muſculi temporalis ob ſitum ſuum multum ad auditum conferre, licet nemo anatomicorum vel phyſiologorum ad hunc vsque diem hunc eius vſum intellexerit. Cum enim hic muſculus validiſſimus tendine ſuo in acutum maxillae inferioris proceſſum iuxta anteriorem meatus auditorii partem, quae ex membrana elaſtica conſtat, inſeratur, non ſolum illo muſculo, in manducatione valide contracto, ſemper tinnitus quidam aurium percipitur, ſed et illo rheumatiſmo affecto aut inflammato auditus maxime laeditur. Hinc ſi in iis, qui ſurdaſtri ſunt, muſculus temporalis ſuper apophyſin zygomaticam digito comprimitur, ſemper dolor ſatis magnus oritur, quod eum muſculum in ſurditate laeſum et hanc laeſionem maxime frequentem ſurditatis cauſſam eſſe oſtendit; ſtrepitum vero, qui in deglutitione nonnunquam in aure obſeruatur, ex mallei ad incudem alliſu oriri, motus porro ſonoros collectos poſthac in meatum auris deferri, ſonique intenſitatem in illo ob ellipticam eius figuram mirifice augeri. Tympani caui- p. 82.
tatis vſum ex comparatione illius cum tympanis artificialibus Noſter declarat, atque qua ratione motus ſonori, demum cum labyrintho communicati, ad neruum auditorium et cerebrum pertingant, oſtendit. In vniuerſum vero ex ſingulari auris fa- p. 94.
brica Cl. Auctor concludit, ſonoros motus ab ea

non paſſiue, ſed potius actiue recipi, atque hinc apparere, cur interdum, licet ſonus ad aurem quidem deferatur, tamen ab anima ob varia in aure impedimenta, vel, quia ad alia attendit, non ſentiatur; deficere enim actiuam ſonus receptionem. Auditus vero laeditur ex conſenſu, ſi aliae vicinae partes v. c. oculi, aut temporalis muſculus, laeſae ſunt. Tinnitum quoque aurium perpetuum ex morbo ſpaſmodico ventriculi, poſt venenum aſſumptum orto, productum Cl. Auctor obſeruauit. Alii morbi huius organi ab acrimonia, neruos vellicante, cerumine aurium indurato, membranae tympani vel oſſiculorum auditus laeſione, aliisque cauſſis oriuntur, atque hic fuſius a Noſtro declarantur. Quamuis vero ex ſoni theoria, ex auris anatome, iisque, quae de ſingularum eius partium fabrica et vſu, ac audiendi impedimentis fuſe tradita ſunt, facile quisquam perſpicere poſſet, quomodo auditus peragatur; tamen Cl. Auctor ex his omnibus, atque morboſo ſtatu etiam in ſubſidium vocato, eius mechaniſmum ſe-
p. 112. quente ratione adhuc luculentius exponit: Sonus in aere externo excitatus aurem interiorem, quae fornicis inſtar conſiderari poteſt, cui auricula tanquam extenſum exterius conchoideum concauum annexa eſt, ingreditur, ingreſſus colligitur, collectus perducitur ad tympani cauitatem, labyrinthum et neruum acuſticum, ita vt anima motus huius conſcia de ſono externo tandem iudicare poſſit. Temporalis muſculus ianitor quaſi eſt auris exterioris. Eo enim inflammato et intumeſcente membranae meatus auditorii, muſculus mallei externus, et per eum membrana chordaque tympani aliaeque vicinae partes tenduntur, auriumque tinnitus oritur. Fuſius quoque hic oſſiculorum auditus vis, quam in tenſione et relaxatione membranae tympani exercent, explicatur. Muſculum mallei externum ia-

nitorem

nitorem cauitatis tympani eſſe, praecipueque membranam tympani tendere, hinc ſphincteris officium habere Noſter contendit, atque inprimis ratione ſtatus morboſi harum partium multa profert attentione digna. Atque haec eſt diſſertationis huius ſumma, quae, ſelectis obſeruationibus interſperſis, inſigni ex iis argumentandi ratione ac meditationibus, partim examine dignis, qualis eſt ea, qua Cl. Auctor ad augendos coeli tonantis fragores aquam in ſubſidium vocat, partim ingenioſis, cum formationem ſonorum, ab hominibus productorum, cum organo pneumatico, et ipſum ſonum cum curſore alato ac mercurio volante comparat, aliisque boni frugis adnotationibus cuiuis ſe commendabit.

p. 134. p. 153.

XXIII.

CHRISTOPHORI WEBER, Medicinae Doctoris et Phyſici Walsrodae Regii, Obſeruationum medicarum Faſciculus primus. Cellis, typis Schulzianis, 1764. 8. pl. 4½.

Obſeruationes, quas Cl. Auctor intra quinquennium Walsrodae collegit, hic cum artis peritis communicat. Prima obſeruatio morbi eſt, qui p. 1. Walsrodae anno huius ſeculi 58. autumnali tempore graſſabatur, a Noſtro *febris ex quotidiana continua putrida* dictus, quod quarto ſcilicet morbi die febris haec in continuam mutaretur. Ipecacuanhae in eo debellando vires maximae fuerunt, venaeſectionem vero ſemper maior imbecillitas ſequuta eſt. Laudatur itaque illa in eo tantum caſu, vbi inflammatio adeſt, quod tamen rariſſime fit, cum ſymptomata, quae nos inducere poſſent, vt inflammationem adeſſe crederemus, saepius poſt purgationem prima-

rum

p. 13. rum viarum euaneſcant. Secunda obſeruatio eſt
ſarcomatis uteri poſt maximam narium vterique hae-
morrhagiam a virgine quatuordecim annorum ex-
p. 17. creti. Tertia obſeruatio *hiſtoriam morbi varioloſi* la-
ctantis puellae tradit, in qua decimo octauo morbi
die, variolis prioribus exſiccatis et noua quaſi febre
accedente, aliae iterum eruperunt variolae. Va-
riolas tamen has, in exſiccatione denuo prouenientes,
Ill. WERLHOF, quocum Noſter hanc obſeruatio-
nem communicauit, vt varioloſi morbi anomaliam
conſiderauit, Cl. WEBERO fidem ſuam dedit, ſe
in ſua plus, quam quadragenaria praxi, nullum vn-
quam exemplum ſecundarum variolarum vidiſſe.
p. 22. Quarta hiſtoria *catalepſeos particularis* eſt, quae alias
rariſſime obſeruatur, erat autem illa praecipue in
p. 26. dextro latere. *Maniam* Noſter quotidiana ſubmer-
ſione in aquam, febre tertiana in fine curationis ac-
p. 29. cedente, ſanauit. Sexta obſeruatio methodum, qua
Cl. WEBER *tuſſim conuulſiuam infantum* emeticis,
ſulphure antimonii aurato, cortice peruuiano, nec
p. 32. non veſicatoriis curari ſolet, deſcribit. Septima
nonnulla de *taenia* adnotantur, narraturque eam a
BRENDELIO in abortus ſeptimeſtris coeco ileoque
repertam eſſe. Taeniae ferruginoſi coloris ab ae-
gris, a febre acuta et variolis reſtitutis, eiectae
p. 36. ſunt. De *dyſenteria* Noſter obſeruatione octaua mo-
net, eam tunc tantum contagioſam fieri, quando lo-
p. 43. tium in putridum ichorem diſſolutum eſt. Nona
obſeruatione, quae de *epilepſia* inſcribitur, breuiter
quoque partus gemellorum connatorum deſcribi-
p. 46. tur. Poſt *febrem tertianam* intermittentem in qua-
p. 54. tuor aegris apoplexiam accedere Noſter vidit. *Ar-
thritis* ſponte vlcere, ſub ſcapulis exorto, ſublata eſt.
Duodecima obſeruatio *vomitum hyſtericum* cum ſubſe-
quente ptyaliſmo, decimaque tertia *cordis palpita-
tionem*, cum vertigine conuulſionibusque coniunctam,
deſcri-

deſcribit. Leuiorem *diabetis* ſpeciem, ex ſcabie retropulſa ortam, Noſter rhei, reſoluentium et roborantium vſu ſanauit. Vltima tandem obſeruatione historia *variolarum lymphaticarum cum morbillis* combinatarum traditur. p. 64.

XXIV.

Noua phyſico-medica.

Ex iis praemiis, quae Academia Scientiarum Theodoro-Palatina iam anno 1764 conſtituerat, vnum ſupererat, ei promiſſum, qui naturam eorum inſectorum quam dilucidiſſime enuclearet, quae vernali tempore gemmis et palmitibus vitium ſaepius maximam adferre ſolent noxam. De eo igitur die 27 menſis aprilis h. a. in publico conuentu Academia decreuit. Acceperat quidem ſex commentarios, in quibus de propoſito problemate expoſitum erat, quum eorum vero nullus exſpectationem Academiae expleuiſſet, Ea promiſſam monetam retinuit. Ne tamen ſtudium fruſtrata ſpe langueſceret, et, vt ii, qui tradiderant commentarios, laborum aliquod ſaltim haberent praemium, ac denique ad hanc rem vlterius inueſtigandam inuitarentur, conſultum duxit Academia, ternos horum commentariorum moneta aurea, ſingula duodecim ducatorum pondere, cohoneſtare. Solutis vero ſigillis earum ſchedularum, quae horum commentariorum auctores celabant, apparuit, haec praemia reportaſſe PHILIPPUM IACOB. BREUCHEL, Notarium Publ. Caeſ. *Gimmeldingae* habitantem, ISRAELEM WALTHERUM, Miniſtrum rerum ſacrarum reformatae religionis *Weſthouiae* in Palatinatu inferiori, et ANDREAM BRAUERUM, religionis a LU-

THERO repurgatae ſacerdotem *Hanaweyer* in Alſatia ſuperiori.

Quum vero propoſita res magni ſit momenti, multumque vtilitatis publicae referat, Academia idem problema eruditis denuo proponere atque commendare decreuit; cui vero disquirendo et explicando concedit ſpatium bienne, praemio ſimul promiſſo duplici. Singulum autem eſſe monetam auream pondere quinque et viginti numorum aureorum Hollandicorum, ex ſuperioribus conſtat. Superfluum etiam nobis videtur, integram quaeſtionem repetere, quam ſat luculenter alio loco *) expoſuimus.

Binae nouae in *Italia* hoc tempore conditae ſunt Academiae, quarum altera incrementum agriculturae, altera vero ſcientiarum quarumque ſibi propoſuit. Illa, quae nomen gerit vernaculum *Georgofili*, orta eſt *Florentiae* et leges illius, quarum exemplum Ill. Comes DE GUASCO exarauerat, nuper die 31 menſis iulii Sereniſſimus Magnus Etruriae Dux, ſubſcripto nomine confirmauit et ita ſanxit, vt in poſterum iis Academia perpetuo teneatur. Tantam ſimul conſtituit pecuniam, vt quotannis inde colligeretur praemium viginti quinque numorum aureorum Hollandicorum, quod in vnius monetae forma ſoluetur ei, qui ad quaeſtionem ab Academia ſingulis annis propoſitam optime ſit reſponſurus. Primus conuentus huius Academiae fuit die 5 menſis auguſti, et Praeſidis munere fungitur Ill. Comes DE ROSENBERG. Vtrum vero haec Academia, mutato forſan nomine, exorta ſit ex ea ſocietate, quam ibidem anno 1753 Reu. Abbas MONTELACCI conflauerat, et quae *Academie degl' agri-*

*) Comment. hor. Vol. XII. Part. I. p. 164.

agriculture appellabatur; an omnino noua ſit? adhuc dum neſcimus.

Altera vero *Mantuana* Academia ortum duxit ex priuata ſocietate eorum virorum, qui iam dudum hoc loco in eo elaborarunt, vt omnibus harum terrarum incolis, inprimis autem nobili ſtirpe progenitis, quarumlibet ſcientiarum amor ſtudiumque inſtillaretur, et qui hactenus vernacula lingua appellati ſunt *Timidi di Mantova*. Hanc Academiam nuperrime Potent. et Aug. Romanorum Imperator IOSEPHUS II. Auguſtiſſimaque Mater, MARIA THERESIA non ſolum nomine *Regiae Academiae ſcientiarum artiumque bonarum* ornauerunt, ſed etiam eius patrocinium ſuſcipere dignati ſunt, conceſſis ſimul ei certis reditibus, vt ſumtui neceſſario ſufficere poſſit. Diſtributa vero eſt haec Academia in quatuor claſſes: in politicam et oeconomico-philoſophicam, in mathematicam, phyſicam et medicam. Singulae claſſes quolibet anno propoſiturae ſunt problema, cuius explanationem praemio ſunt ornaturae. Praemium autem erit moneta aurea, cuius facies altera oſtendet imagines Augg. Imperatoris Matrisque cum eorum nominibus, altera vero Mineruam, quae manu oleaginam tenet coronam, his verbis circumſcriptis: *Deus nobis haec otia fecit. Bonae artes, Scientiae reſtitutae. Academia Mantuae inſtaurata* CIↃ IↃ CCLXVII.

Veterinaria ars, antiquiſſimis temporibus a medicis aeque ac ſapientibus viris culta, poſtea vero medio aeuo vel penitus neglecta, vel omnino deſpectui habita, noſtro demum aeuo inſtaurari recolique incepit. Quod aetati noſtrae eſſe arbitramur eo glorioſius, quo maiores inde fructus non ſolum in rem ruſticam, ſed in omnem cultum domeſticum redun-

redundant. Hoc vero potiſſimum nomine inclaruit et bene de patriae incolis meruit Cl. BOURGELAT, qui non ſolum in commodum huius rei vſum varia edidit ſcripta, ſed etiam *Lugduni* ſcholam condidit, ab hac arte *veterinariam* appellatam. Quae quum felici cum ſucceſſu creuerit et adhuc dum floreat, Potentiſſ. Gallorum Rex commotus eſt, ſimilem ſcholam prope a *Lutetiis Pariſiorum* inſtituere, et hoc cuidam purpuratorum ſuorum demandauit, cuius cura nunc haec ſchola fundata eſt in arce *Alfont* propter *Charenton.* Cuncta, quae in hac ſchola docentur, ita ſunt ordinata, vt iis triennium impendere diſcipuli opus habeant. Primo enim anno inſtruuntur cognitione partium externarum animalium, in altero exponitur de partium internarum ſtructura, laeſione et morbis, traditurque herbarum aliorumque remediorum cognitio et modus vulnera deligandi; tertio demum, praemiſſis ſignis, ex quibus morbi et effectus coniici poſſunt, docetur methodus medendi tum morbis externis, cum internis. Vt quouis modo commodae diſcipulorum inſtitutioni proſpiceretur, proxime hoc aedificium hortus colitur plantis refertiſſimus, in ipſa vero domo pharmacopolium eſt medicamentis affatim inſtructum et egregium muſeum anatomicum. Praeterea ſtabula quoque ſpatioſa ſunt exſtructa, vt aegrotans pecus recipi ſanarique poſſit, quod incolis harum prouinciarum ad ea mittere licet, ſi pro alimento et curatione eorum quotidie triginta ſoluant numos argenteos, quos *Sols* appellant. Ad induſtriam et ſedulitatem diſcipulorum excitandam quotannis praemia diſtribuentur inter eos, qui propoſita themata optime explanaturi ſint.

Qui magna cum laude in inclyta Academia Iulio-Carolina, quae *Helmſtadii* floret, Profeſſoris Med. Publ.

Publ. Ord. munere functus eſt GOTTFR. CHRISTOPHORUS BEIREIS, eum die 6 menſis maii h. a. Sereniſſimus Dux Brunſuicenſis Conſiliarii Aulici dignitate ornauit.

Nuper in Academia Vpſalienſi Cl. viro M. THORBERN BERGMANN, Mathematum et Phyſices Adiuncti dignitate praedito, munus Chemiae et Metallurgiae docendae, quo hactenus IOAN. GOTTSCHALK WALLERIUS functus, ſeque nunc abdicauit, traditum eſſe accepimus.

Mortuo IOANNI FRIDERICO FASELIO, Phil. et Med. Doctori, Med. Theoret. Profeſſori Publ. Ord. nunc in Academia *Ienenſi* ſucceſſurum eſſe ERNESTUM GODOFR. BALDINGER, Med. Doctorem et circuli Langenſalzenſis Medicum Prouincialem, narratum nobis eſt.

Viennae Auſtriae nuper Archiatri Caeſarei conſeruatae vitae et reſtauratae ſanitatis Auguſtiſſimae Imperatricis, MARIAE THERESIAE, ampliſſimum et magnificum tulerunt praemium. Eodem enim die, quo pro ſeruata Auguſtiſſima vita, de qua omnis Germania angebatur, Deo decernebatur publica ſupplicatio, Ill. Liber Baro DE SWIETEN, Archiatrorum Caeſareorum Comes, receptus eſt in ſecundam equitum ſeriem Ordinis S. Stephani, qui *Commandeurs* appellantur. Idem quoque, praeter imaginem Auguſtiſſimae Imperatricis gemmatam pretii, vti narratur, viginti millenorum florenorum, ter mille aureorum Hungaricorum dono accepit. Reliquis autem, Ill. DE KESSLER, STOERCK, HUMMELAUER et Chirurgo WERNER, vna cum annulo gemmis ornato, milleni traditi ſunt numi aurei.

Manhemii nuper Cl. Vir FRANCISC. IOSEPHUS DE OVERKAMP, Med. Doctor eiusdemque in Academia Heidelbergenſi Profeſſor, Conſiliarius intimus et Archiater Sereniſſimae Ducis et Electoris Palatini, mortuus eſt, quum ex arce *Schwetzingen* reuerteretur, vbi aegrotantis Comitis Palatini Bipontini, FRIDERICI, habuerat curam. Aetatis annum attigit octauum et quinquageſimum.

Vpſaliae etiam, accepimus, menſe aprili huius anni graui angina correptum morte occubuiſſe SAMUELEM AURIVILLIUM, Med. Doct. Reg. Anatomiae et Med. Pract. in eadem Academ. Profeſſorem Reg. et Ord. S. R. S. Membrum.

Magnum Academia *Erfordienſis* damnum paſſa eſt morte CHRISTOPHORI ANDREAE MANGOLDI, Ordinis Med. et Philoſoph. atque Acad. Elect. Moguntinae ſcientiarum vtilium Aſſeſſoris Ordinarii, Anatom. Chem. et Philoſoph. Profeſſoris P. O. et Acad. R. Sc. Monspelienſis Socii, qui die 2 menſis iulii h. a. phthiſi confectus obiit aetatis annum agens quadrageſimum nonum. Natus enim erat in eadem vrbe die 5 menſis maii 1719, in qua Ei, poſtquam non ſolum patriam Academiam, ſed etiam Hallenſem Ienenſemque frequentauerat litterarumque collegerat copiam, primum a. 1745 Philoſoph. Profeſſoris Extraordin. prouincia, deinde, accepta a. 1751 Med. Doctoris dignitate, munus Profeſſoris Medicinae 1756 Extraordinarii, et 1757 Ordinarii demandatum fuit. Anno autem 1765 Ipſi ſecundus in eodem Ordine obtigit locus.

Si tandem vnquam nobis acerbum fuit, de morte virorum nominis fama et meritorum magnitudine inclytorum referre, ſane nunc nobis acerbiſſimum

mum eſt, lectores de morte Cl. PAULI GOTTLIEB WERLHOFII, Magnae Brit. Regis a conſiliis aulicis et Archiatri, viri, vt de omni litterarum genere, ſic potiſſimum de ſcientia medica meritiſſimi, certiores facere. Obiit ille *Hannouerae* die 26 m. iulii h. a. ſexageſimum octauum aetatis annum agens. Vt vero eximia et immenſa, qua pollebat, in arte ſalutari ſcientia Ei nomen magni medici, ſic morum integritas, comitas et ſuauitas earum φιλανθρώπου nomen conciliauit. Nobis vero haec ſingularis et propria eſt cauſſa, cur grauiter eius morte afflicti ſimus, quod iacturam fecimus amici integerrimi nobisque cariſſimi, cuius gratam memoriam nulla delebit temporis obliuio.

Vt Galli ingenio praeualent et nouitatis ſunt cupidiſſimi, ita hac mentis inconſtantia et mobilitate ducti ſaepius meliora negligunt atque minus bona amplectuntur, ſi modo noua ſint et ingenioſe inuenta. Hoc plura teſtantur exempla, quorum vnum idque recens, quum ad nos pertineat, narremus. Variolarum inſitioni hactenus eam potiſſimum ob cauſſam magnum ſtatutum eſt pretium, quod homines hac methodo grauem variolarum morbum longe facilius tutiusque ſuperent. Ad hoc vero multum confert, vt per vulnuſcula, externae cuti inflicta, quae quaſi fonticulorum vim habent, varioloſum miaſma retineatur, quo vel omnino non, vel ſaltim minori in copia ad internas partes, vt frequenter magno cum vitae periculo fieri ſolet, penetrare poſſit. Quamquam vero haec methodus rationi eſt maxime conſentanea, atque per largam experientiam confirmata, illius tamen nunc hos taedere videtur: aliam igitur excogitarunt, quae, noſtro certe iudicio, maiori cum periculo coniuncta eſſe videtur, quam vſitata hactenus infectio per le-

uem cutis inciſionem. Miasma enim varioloſum in puluere per nares corpori ingerere *Pariſiis* quidam tentarunt. Qui vero modus eo magis diſplicet, quo magis verendum eſt, ne eo in faucibus copioſiſſimae prouocentur variolae grauisque adferatur angina. Interim narratur, hanc rem *Pariſiis* multorum adſenſione comprobari. Nobis autem ſatius ſit, expectare, an experientia hanc methodum ſit confirmatura, quam feſtinanter et inconſulte eam imitari.

Itinere nunc conuerſo, ex Arabia felici redux Cl. NIEBUHR, per Conſtantinopolin, Varſouiam, Dresdam hoc ipſo die 25 m. ſeptembris Lipſiam venit. In animo nunc habet, poſtquam hic paululum commoratus fuerit, Gottingam petere et inde reuertere in patriam.

XXV.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1764 prodierunt.

Noui Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tomus IX, pro annis 1762 et 1763. Petropoli, 4 mai. c. tab. aen.

Auserleſene medicinische-chirurgiſch-anatomiſch-chymiſch und botaniſche Abhandlungen der Römiſch-Kaiſerlichen Akademie der Naturforſcher, 13*ter Theil, Nürnberg*, 4. *m. K.*

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année 1762. Avec les Memoires de Mathematique et de Phyſique pour la meme année. à Paris, 4. c. tab. aen.

Philo-

Philoſophical Tranſactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies ad Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. LIII. for the Year 1763. London, 4. c. tab. aen.

Kongl. Wetenſkaps Academiens Handlingar för År 1764. Vol. XXV. i Stockholm, 8. c. tab. aen.

Der Königl. Schwediſchen Akademie der Wiſſenſchaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik, auf das Iahr 1761. *Aus dem Schwediſchen überſezt, von* ABRAH. GOTTHELF KAESTNER, 23 *Band. Hamburg und Leipzig*, 8. *m. K.*

Abhandlungen der Churfürſtl. Bayeriſchen Akademie der Wiſſenſchaften, 2 *Bandes* 1 *und* 2 *Theil. München*, 4. *m. K.*

Mediciniſche Bemerkungen und Unterſuchungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London. 2 *Band. Aus dem Engliſchen, nach der* 2*ten verbeſſerten Ausgabe überſezt. Altenburg*, 8. *m. K.*

Obſervations et Recherches medicales par une Societé des Medecins de Londres; ouvrage ſervant de ſuite aux Eſſais d'Edimbourg, traduit de l'Angl. par M. BOURRU. Tome I. à Paris, 12. av. fig.

Nuova Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici. Tom. XI. in Venezia, 12.

La Gazette ſalutaire, compoſée de tout ce, que contiennent d'intereſſant pour l'humanité, les Livres nouveaux, les Journaux, et autres Ecrits publics, concernant la Medecine, la Chirurgie, la Botanique, la Chymie etc. Année 1764. à Bouillon, 4 mai.

Giornale di Medicina. Tom. II. in Venezia, 4. (Auctore D. PET. ORTESCHI).

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften, 39 *und* 40 *Stück. Närnberg,* 8.

The London Magazine for the Year 1764. Part. I--XII. London, 8.

The Gentleman's Magazine. Vol. XXXIV. for the Year 1764. Ian.--Dec. and Suppl. London, 8. c. tab. aen.

Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Zürch. 1 *Band. Zürch,* 8. *m. K.*

Berliniſches Magazin, oder geſammlete Schriften und Nachrichten für die Liebhaber der Arzneywiſſenſchaft, Naturgeſchichte und der angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 1 *Band. Berlin,* 8. *m. K.*

Memoires et Obſeruations recueillies par la Societé oeconomique de Berne. Partie I-IV. pour l'année 1764. à Berne, 8.

Muſeum ruſticum et commerciale, *oder auserleſene Schriften, den Ackerbau, die Handlung, die Künſte und die Manufacturen betreffend, aus der Erfahrung genommen, und von verſchiedenen in dieſer Verrichtung geübten Männern mitgetheilt, von einigen Mitgliedern der Geſellſchaft zu Aufmunterung der Künſte, Manufacturen und Handlung aber durchgeſehen und herausgegeben. Aus dem Engliſchen überſetzt und mit einigen Anmerkungen begleitet. Erſter Band. Leipzig,* 8. *m. K.* (Germanice reddidit I. I. S.)

Allgemeines ökonomiſches Forſtmagazin, in welchem allerhand nützliche Beobachtungen, Vorſchläge und Verſuche über die wirthſchaftliche Polizey- und Cameralgegenſtände des ſämtlichen Wald- Forſt- und Holzweſens enthalten ſind; geſammlet von einer Geſellſchaft, deren ordentliches Geſchäffte iſt, Waldungen zu gewinnen, zu benutzen und zu erhalten. 3

und

und 4 Band. Frankfurt und Leipzig, 8. (Auctore IOH. FRID. STAHL).

Gemeinnütziges Natur- und Kunſtmagazin, oder Abhandlungen zur Beförderung der Naturkunde, der Künſte, Manufacturen und Fabricken. 2 *Theil. Berlin*, 8.

Giornale d'Italia, ſpettante alla ſcienza naturale, e principalmente all' Agricoltura, alle Arti et al Commercio. In Venezia, 4.

Verhandlungen der Helvetiſchen Geſellſchaft in Schinznach, im Iahr 1764. *Zürch*, 8.

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und zu Lande: oder Sammlung aller Reiſebeſchreibungen, welche bis ietzo in verſchiedenen Sprachen von allen Völkern herausgegeben worden, durch eine Geſellſchaft gelehrter Männer in Engl. Sprache zuſammengetragen, und aus demſelben und aus dem Franzöſiſchen ins Deutſche überſetzt. 18 *Band. Leipzig*, 4. *m. K.*

Sammlung neuer und merkwürdiger Reiſen zu Waſſer und zu Lande. 11 *Theil. Göttingen*, 8. *m. K.* (Continetur in hoc volumine PETRI KALMII itineris in Americam orientalem Pars III.)

Sammlung der beſten und neueſten Reiſebeſchreibungen in einem ausführlichen Auszuge, worinnen eine genaue Nachricht von der Religion, Regierungsverfaſſung, Handlung, Sitten, natürlichen Geſchichten und andern merkwürdigen Dingen verſchiedener Länder und Völker gegeben wird. Aus dem Engl. überſetzt. 2 *Band. Berlin*, 8. *m. K.*

Allgemeine Geſchichte der Welt und Natur, der Völker, der Staaten, der Kirche, der Wiſſenſchaften und Künſte; aus den Quellen ſelbſt geſchöpft. 1 *Theil. Berlin*, 8 *mai.*

Verſuch einer Beſchreibung hiſtoriſcher und natürlicher Merkwürdigkeiten der Landſchaft Baſel. 22 *und* 23

 Stück.

Stück. Baſel, 8. *m. K.* (abſoluti nunc huius operis auctorem eſſe DAN. BRÜCKNERUM in vltima hac parte edocemur.)

The Hiſtory of Kamtſchatka, and the Kurilſki Islands, with the Countries adjacent; illuſtrated with Maps and Cuts. Publiſhed at Petersbourg in the Ruſſien Language, by Order of Her Imperial Majeſty and translated into Engliſh by JAMES GRIEVE. Gloceſter. 4 mai. c. tab. aen.

Hiſtoire moderne des Chinois, des Japponnois, des Indiens, des Perſens, des Turcs, des Ruſſiens, cet. pour ſervir de Suite à l'hiſtoire ancienne de M. ROLLIN. Tom. XI. et XII. à Paris. (*Plurima ex hiſtoria naturali continet.*)

Melanges intereſſans et curieux, ou Abregé d'Hiſtoire naturelle, morale, civile et politique de l'Aſie, l'Afrique, et des Terres Polaires. Tome III-VI. à Paris, 12.

Hiſtoire naturelle generale et particuliere, avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Tome XI. et XII. à Paris, 4 mai. av. fig.

Hiſtoire naturelle generale et particuliere, avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Tome XIV-XIX. à Paris, 12. av. fig.

Natuurlyke Hiſtorie of uitvoerige Beſchryving der Dieren, Planten, en Mineraalen, volgens het Zamenſtel van den Heer LINNAEUS, met naaukeurige Afbeeldingen. Eerſte Deels zesde Stuk, Dieren van beiderly Leven. Eerſte Deels zevende Stuk; de Viſſchen. t'Amſterdam, 8 mai. c. tab. aen.

Britiſh Zoologie etc. Part. II. London. fol. c. tab. aen. viv color. pictis, (a tab. XXVI-L.)

Abregé de l'Hiſtoire naturelle des Inſectes, dedié aux jeunes perſonnes, orné des figures en taille douce

douce, par l'Auteur du Cours d'Hiſtoire, d'Elevé de la Nature etc. Tom. I. II. à Paris, 12.

Fauna inſectorum Fridrichsdalina, ſiue methodica deſcriptio inſectorum agri Fridrichsdalenſis, cum characteribus genericis et ſpecificis, nominibus triuialibus, locis natalibus, iconibus allegatis, nouisque pluribus ſpeciebus additis. Hafniae et Lipſiae, 8. (*Auctor eſt* Cl. OTTO FRIDER. MÜLLER.)

Urſprung der Bergwerke in Sachſen, aus der Geſchichte mittler Zeiten unterſuchet. Chemnitz, 8. (Auctore IO. FRID. KLOTZSCH.)

Recueil des memoires les plus intereſſans de Chymie et d'Hiſtoire naturelle, contenus dans les Actes de l'Academie d'Upſal et dans les memoires de l'Academie Royale des Sciences de Stockholm, publies depuis 1720. jusqu'en 1760. traduit du Latin et de l'Allemand, par M. le B. d'O***. à Paris. Tome I. II. 12.

Florae Danicae iconum faſciculus tertius, a tabula CXXI-CLXXX. viuis coloribus pict. (*Germanice et Latine.*) Hafniae. fol. (*Hoc faſciculo finitur Volumen I. cuius integer titulus hic eſt*). Icones plantarum ſponte naſcentium in regnis Daniae et Noruegiae, in Ducatibus Slesuici et Holſatiae et in Comitatibus Oldenburgi et Delmenhorſtiae: Ad illuſtrandum opus de iisdem plantis, Regio iuſſu exarandum, Florae Danicae nomine inſcriptum; editae ab eius operis auctore GEORG. CHRIST. OEDER, M. D. Prof. Reg. Botan. Vol. I. continens Faſcic. I-III. ſeu Tabulas I-CLXXX. Hafniae, fol.

Ectypa vegetabilium, vſibus medicis praecipue deſtinatorum et in pharmacopoliis obuiorum variisque modis praeparatorum, ad naturae ſimilitudinem expreſſa cet. moderante D. CHRIST.

GOTTL. LUDWIG, impreſſit *Io. Godofr. Trampe. Nach der Natur verfertigte Abdrücke der Gewächſe, u. ſ. w.* Faſcic. VIII. Y-Aa. n. 176-200. Halae, fol.

Les delices de la Suiſſe, nouvelle Edition. Tome I-IV. à Basle, 12. av. fig.

Nouveaux amuſements des Eaux de Spaa. à Paris, 12. av. fig.

Brittiſches Muſeum, nebſt der Beſchreibung des berühmten Naturalien- und Antiquitätencabinets des Herrn Ritters SLOANE, *zum Unterrichte derer, welche ſolches mit Nutzen beſehen wollen. Aus dem Engliſchen nach der neueſten Ausgabe. Berlin,* 8.

Lehrbegrif ſämmtlicher ökonomiſcher und Cameralwiſſenſchaften. Des erſten Theils erſter Band. Stutgard, 8.

Eſſais on Husbandry. Eſſay I. a general Introduction, ſhewing that the Agriculture is the Baſis and ſupport of all flouriſhing Communities: the ancient and preſent State of that uſeful Art; Agriculture, Manufactures, Trade and Commerce juſtly harmonized; of the right Cultivation of our Colonies; together with the Defects, Omiſſions and poſſible Improvements in Engliſh Huſbandry. Eſſay II. an Account of ſome Experiments, tending to improve the Culture of Lucerne by Tranſplantation. Being the firſt Experiments of that Kind hitherto made and publiſhed in England: from whence it appears, that Lucerne is an Article of great Importance in Engliſh Huſbandry. The whole illuſtrated with Copper Plates and Repreſentations cut in Wood. London, 8.

Underrättelſe, om wilda Träds och Buſkars plantering, grundad på naturen och förfarenheten, på

Kongl.

Kongl. Maj:ts befallning utgifven af des Vetenſkaps-Academie. Stockholm, 8. (*Auctor eſt b.* LECHE, *Prof. Ab.*)

Philoſophie rurale, ou l'Economie generale et politique de l'Agriculture, reduite à l'ordre immuable dex Loix phyſiques et morales. Vol. I-III. à Amſterdam, 12.

Des Hausvaters erſtes Stück, mit darzu nöthigen Kupfern verſehen. Inhalt: 1) *der Pflug,* 2) *Anweiſung, wie unſere Saatfelder beackert und beſtellt werden ſollen. Hannover,* 8 mai.

Einleitung zu einer vernünftigen Sparſamkeit in allen Theilen der Landwirthſchaft. Breſslau, 4.

Allgemeine Haushaltungs- und Landwiſſenſchaft, aus den ſicherſten und neueſten Erfahrungen und Entdeckungen geprüft und in Ausübung gebracht, von einer ökonomiſchen Geſellſchaft in England. 4 *Theil. Hamburg und Leipzig,* 8 mai.

L'Agronome, Dictionnaire portatif du Cultivateur, contenant toutes les connoiſſances neceſſaires pour gouvernér les biens de Campagne, et les faire valoir utilement; pour ſoutenir ſes droits, conſervér ſa ſanté, et rendre la vie champetre gracieuſe, cet. avec un nombre conſiderable d'autres inſtructions utiles et curieuſes a tout homme, qui paſſe ſa vie à la Campagne. à Paris. Tome I. II. 8.

Nützliche Anweiſung zur Haushaltungskunſt auf dem Lande, in welcher die Mängel und Fehler des Ackerbaues und der Viehzucht gründlich unterſuchet, und die Mittel gezeiget werden, dieſelben zum Nutzen des Nahrungsſtandes zu verbeſſern und anzuwenden, 4.

Agli Studioſi e Cultori de tutte le parti della Scienza Naturale, e ſpecialemente dell' Agricoltura, della Arte ed del Commercio. in Venezia. 4.

Der

Der deutſche Baumgärtner, nach den Grund- und Lehrſätzen der berühmteſten Männer in der Gärtnerey, beſonders aber des Franzoſen Mr. QUINTINYE, *des Engländers Herr* MILLERS, *und des Deutſchen Herrn* REICHARTS. *Schleuſingen*, 8. *mit Holzſchnitten.*

Diſcorſo della Irritabilità d' alcuni Fiori nouvamente ſcoperta. Florent. 8.

L' Ecole du Jardinier Fleuriſte. à Paris, 12 mai.

Nouva maniera di ſeminare e coltivare di Grano. Opera utiliſſima e arrichetta di nouve tavole e d' altri Diſcorſi ed eſperimenti, fatti da vari Accademici Georgofili di Firenze. in Firenze, 4.

Dictionnaire domeſtique portatif, concernant toutes les connoiſſances relativs à l' Oeconomie domeſtique et rurale, ou l' on detaille les differentes branches de l' Agriculture; la maniere de ſoignér les Chevaux; celle de les nourrir, et de conſervér toutes ſortes des Beſtiaux; celle d' elevér les Abeilles, les Vers a ſoie, et dans laquel en trouve les inſtructions neceſſaires ſur la Chaſſe, la Peche, les Arts, le Commerce, la Procedure, l' Office, la Cuiſine, etc. par une Societé de Gens de Lettres. Tome troiſieme, à Paris, 8.

Der Rheingauer Weinbau, aus ſelbſt eigner Erfahrung und nach der Naturlehre ſyſtematiſch entworfen. Frankf. am Mayn, 8. *m. K.*

Nöthige, zuverläßige und kurze Nachricht von denenjenigen Stücken aus dem Pflanzenreich, welche in den Apotheken der meiſten Länder Europens aufbehalten werden müſſen, zum Gebrauch der Apotheken verfertigt. Frankf. 8.

Lettre de l' Auteur de la nouvelle Methode de cultiver la Vigne dans tout le Royaume à un Amateur d' Agriculture. à Paris, 12. (*Auctore Cl.* MAUPIN.)

Lettera

Lettera ſopra d'origine della Carta naturale di Cortona corredata di varie altre oſſervazioni relative agli uſi, e prerogative della conſerva PLINII, e di altre piante congeneri, indirizzata al S. D. LODOV. COLTELLINI, Segretario della Soc. Botan. in Cortona. in Piſa, 8. (*Auctore Cl.* STRANGE, *Anglo.*)

Candid and impartial Conſiderations on the Nature of the Sugar Trade, the comparative Importance of the Britiſh and French Islands in the Weſt Indies: with the valve and conſequence of St. Lucia and Granada truly ſtated. Illuſtrated with copper plates. London, 8.

Iſtoria dell' arbore della China China. in Livorno.

Vollſtändige Anleitung zu der Pflanzung, Erziehung und Wartung der Fruchtbäume. Bern, 8.

Kurzer Bericht von den vornehmſten Futterkräutern und dem welſchen Korne. Zürch, 8 mai.

Memoire ſur la culture du Sainfoin, et ſes avantages dans la Haute Champagne, par M***. à Amſterdam, 12.

Deſcription des Arts et Metiers par l'Academie Royale des Sciences: contenant. 1) L'Art du Tanneur, par M. DE LA LANDE. 2) L'Art de rafinér le Sucre, par M. DU HAMEL DU MONCEAU. 3) L'Art de convertir le cuivre rouge en Laiton ou cuivre iaune, par M. GALON. à Paris, fol. mai. c. tab. aen.

Schauplatz der Künſte und Handwerke, oder vollſtändige Beſchreibung derſelben, verfertiget und gebilliget von denen Herren der Akademie der Wiſſenſchaften zu Paris. Mit vielen Kupfertafeln. Dritter Band. In das Deutſche überſezt und mit Anmerkungen verſehen von IOH. HEINR. GOTTL. VON IUSTI. *Berlin, Stettin und Leipzig,* 4 mai.

Rela-

Relation abregée de l'origine, des progrès, et de l'Etat actuel de la Societé etablie à Londres en 1754, pour l'encouragement des Arts, des Manufactures et du Commerce; tirée des ecrits originaux des premiers Promoteurs de cet etabliſſement et d'autres Actes authentiques; par un Membre de la dite Societé: Ouvrage traduit de l'Anglois avec des Notes pour l'uſage et l'intelligence du texte. à Londres, 8.

Lettres ſur l'Encyclopedie, pour ſervir de ſupplement aux ſept Volumes de ce Dictionnaire. à Amſterdam et à Paris.

Verſuch bey angehender Frühlingszeit die Vergröſſerungswerkzeuge zum nützlichen und angenehmen Zeitvertreib anzuwenden. Von dem Verfaſſer der mikroſcopiſchen Gemüths - und Augenergötzung. Nürnberg, im Verlage bey A. L. WIRSING, *Kupferſtecher*, fol.

Phyſicaliſch - Mikroſcopiſche Beſchreibung eines beſondern phoſphoreſcirenden Steines, mit Vergleichung der Bononienſiſchen leuchtenden Steine; auch einiger anderer demſelben ähnlicher Mineralien und Foſſilien. Von dem Verfaſſer der Mikroſcopiſchen Gemüths- und Augenergötzung; nebſt 6 fein geſtochenen und nach der Natur mit Farben fleiſsig erleuchteten Kupfertafeln. Nürnberg, 4 mai. (Auctor eſt Cl. MARTIN FROBEN. LEDERMÜLLER.)

A Survey of the Wisdom of God in the Creation, or a Compendium of natural Philoſophy. In two Volumes. London, 12.

La Cuiſine Bourgeoiſe, ſuivie de l'Office, à l'uſage de tous ceux, qui ſe melent de depenſes des maiſons; contenant la maniere de connoitre, diſſequer et ſervir toutes ſortes de viandes; des avis intereſſans ſur leur bonté, et ſur le choix, qu'on

en

en doit faire; la façon de faire des menus pour les quatre Saiſons, et des ragouts des plus nouveaux; une explication de termes propres, et a l'uſage de la cuiſine et de l' Office; et une liſte alphabetique des uſtenſiles neceſſaires: nouvelle edition, augmentée des pluſieurs apprets, qui ſont marqués par une étoile. à Paris, 12. Voll. 2.

Calendarium medicum ad uſum ſaluberrimae facultatis Pariſienſis. Pariſiis, 24.

Medical Muſaeum. Ian. - Dec. 1764. Tom. III. IV. London, 8.

Der Arzt, eine mediciniſche Wochenſchrift, 11 *und* 12 *Theil. Hamburg und Leipzig*, 8.

Sammlung auserleſener Wahrnehmungen aus der Arzneywiſſenſchaft, Wundarzney und Apothekerkunſt. 8 *Band. Strasburg*, 8.

Ontleed en Heelkundige Verhandeling over den ontwrigten Voet, uitgegeven door een Gezeldſchap van Utrechtſe Heelmeeſters. t' Utrecht, 8 mai.

Der mediciniſche Hauptſchlüſſel. Breßlau, 4.

Von den Mitteln zur Fröhlichkeit, nach den Gründen der Arzneygelahrheit. Nürnberg, 8.

Etrennes ſalutaires, ou Precis de ce, qu' il eſt a propos d'eviter et de faire, pour ſe conſerver en bonne ſanté et prolonger ſa vie, avec des augmentations pour cette année 1764. à la Haye, 24.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, 1764 Vol. XXV. pag. 195
II. Florae Danicae, Vol. I. II. 217
III. HARTMANN'S *Nöthige Achtſamkeit bey Erforſchung der Gewitterelectricität etc.* 220
IV. Recherches ſur la manier d'agir de la Saignée: par Mr. DAVID 223
V. An Account of the Inoculation of Small-Pox in Scotland by MONRO 229
VI. Traité de l'œconomie animal 233
VII. ELLER'S *vollſtändige Chirurgie* 237
VIII. NICANDRI Theriaca et Alexipharmaca: curante BANDINIO 239
IX. IACQUIN ſtirpium agri Vindobonenſis 241
X. Eiusd. Obſeruationum botanicarum P. I. 245
XI. HALLERI Elementa Phyſiologiae c. h. Tom. VIII. 251
XII. SCHROEDER, experimentorum ad veriorem cyſticae bilis indolem declarand. Sect. I. 293
XIII. The virtues of Cinnaber and Muſk etc. by DALBY 295
XIV. Fauna Fridrichsdalina 297
XV. Conſultations ſur les maladies, qui ſont du reſſort de la Chirurgie, par S. LE DRAN 298
XVI. Philoſophical Transactions 1764. Vol. LIV. 302
XVII. WATHEN'S Obſervations concerning the Cure of the Venereal-Diſeaſe by Mercurials 324
XVIII. Embryologia Sacra: auctore F. E. CANGIAMILA 328
XIX. SCHREBERI icones et deſcript. plantarum minus cognit. Decas I. 333
XX. MACBRIDE'S Eperimental Eſſays 336
XXI. Traité des Maladies des Femmes, par Mr. ASTRUC. Tom. V. VI. 350
XXII. BELZ *Abhandlung vom Schalle* 359
XXIII. WEBERI obſeruationum med. Faſc. I. 363
XXIV. Noua phyſico-medica 365
XXV. Index ſcriptorum phyſico-medicor. quae 1764 prodierunt 372

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XIV. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud
Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par M. A. ROUX, Docteur Regent de la Faculté de Medecine de Paris, etc. Tome XXI. à Paris, 1764. chez Vincent. 8. Alph. 1. pl. 13. Tome XXII. 1765. Alph. 1. pl 13. tab. aen. 2.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, cet. pertinens. Auctore Cl. A. ROUX. Tomus XXI et XXII.

Menſe Iulio 1764 inprimis indicanda videntur. Tom. XXI. p. 48.

4. *Obſeruatio herniae inguinalis, gangraena curatae*, auctore Cl. DAUNOU. Vir 49 annorum hernia incarcerata laborauit, cum febre, ſingultu, vomitu foecum, dolore ac tenſione inſigni abdominis et ſcroti; aptis deinde applicatis remediis, hernia octauo die repoſita eſt et aeger per duos dies bene ſe habuit. Subito poſtea acceſſit gangraena ſcroti ac perinaei, vt pars oſſis pubis denudaretur et vrethra perfoderetur. Attamen ſenſim bona ſuppuratio orta eſt, caro optima propullulauit, vulnus coaluit et hernia intra ſpatium decem hebdoma-

dum plane eſt curata, vt ad priſtinos labores ſuſcipiendos ſatis aptus eſſet aeger.

Menſe Auguſto

p. 112. 2. *Obſeruatio* Cl. PLANCHON *de febre lactea, ex metaſtaſi lactis in abdomine, ſexta hebdomade poſt partum exorta.* Femina, cui poſt partum nec lac affluxit, nec lochia acceſſerunt, incidit in febrem lentam, dolores ventris et alui obſtructiones pertinaces. Dedit Cl. Auctor cum proſpero ſucceſſu clysmata, fomenta emollientia, potum diluentem et lenia purgantia, tandem corticem Peruuianum cum rhabarbaro, donec ſponte oriebatur febris lactea, atque copioſo lacte, in mammis ſecreto, aegra conualeſcebat.

p. 119. 3. *Obſeruatio* Cl. RENARD *de cholera morbo, qui vulgo dicitur* Trouſſe-galant. Hoc malum, quo affecta eſt quadragenaria, ſumtis per ſex dies diluentibus hauſtibus et clyſmatibus lenientibus, narcoticis, cardiacis, non ceſſit, aegra tandem ſumſit paregoricum SYDENHAMI, ac euomuit materiam viridem, glutinoſam, porraceam, corporibus albis ſebaceis refertam, atque, adhibito purgante, conualuit. Vſum copioſum olei in cholera morbo plane reiiciendum eſſe, Noſter monet.

p. 124. 4. Cl. BONNARD *Obſeruatio variorum ſymptomatum, ab hernia, cum incarceratione inteſtini ilei coniuncta, excitatorum.* Aeger 28 ann. hernia incarcerata, ſingultu, vomitu foecum et gangraena, ab inguine dextro vsque ad ſcrotum apparente, afflictus eſt. Suscepit Cl. Auctor operationem difficillimam et vidit ilei partem liuidam incarceratam, quam, dilatato annulo abdominali, repoſuit, vt ibi circulus humorum denuo reſtitueretur. Haec autem pars affecta ſexto die ſponte dirupta eſt, ac deinceps foeces per viginti dies e vulnere emanarunt, donec

tandem

tandem per anum eiiciebantur. Sed paulo poſt ex diaeta neglecta oriebantur tormina permagna, quibus inteſtinum denuo dilaceratum eſt, vt foeces inde effluerent; attamen potiones oleoſae clyſmataque colicam mitigabant, inteſtinum poſt ſex dies rurſus coaluit, vulnus cicatrice clauſum et aeger intra 45 dies plane ſanatus eſt.

5. *Epiſtola* Cl. ROZE *ſiſtens duas obſeruationes; 1) de puella quadrienni, per 30 iam menſes menſtruata; 2) de monachali, cui menſtrua in 72do aetatis anno redierunt.* Obſ. 1. Puella 4½ ann. iam per 30 menſes patitur menſtrua, quae, ſi minus ordinatim accedunt, furunculos faciei fluxusque catarrhales oculorum, euacuantibus lenibus ac veſicatoriis ceſſantes, ei excitant. Praecedit plerumque languor ac triſtitia, effluit deinde ſanguis per quinque dies, ſenſim magis purpuraſcens, redit poſtea hilaritas. p. 134.

Obſ. 2. In monachali ceſſauit fluxus menſtruus anno aetatis 50mo, rediit 72do et omni menſe conſueto more acceſſit, vsque ad 79num, in quo mortua eſt. Eiecit autem aegra hinc illinc portiones polypoſas e vagina, et accedentibus menſtruis, multa vteri et abdominis incommoda paſſa eſt. p. 139.

6. Cl. MARTIN *obſeruationes de cancro oculi ac morbo peculiari.* Obſ. 1. Puella quinquennis laborauit tumore oculi ſiniſtri enorme, ex orbita propendente, qui humore ſeroſo et ſanguinolento ſcatebat, aegra tamen prius, quam exſtirpatus eſt, periit. Hunc ſeparauit Cl. Auctor in cadaueris diſſectione, pondere 20 vncias aequantem, quo inciſo, exiit ſanguis ater et aliqua puris copia; bulbus oculi, eius muſculi et pinguedo, cum tumore ipſo vnum corpus conſtituebant durum, inaequale, in centro album, renitens, quod intra ſex menſes orbitam diſtenderat. p. 140.

p. 143. Obſ. 2. Tricenarii palpebra ſuperior ſiniſtra et bulbus oculi erat inflammatus, cornea et ſclerotica ex parte deſquamata, ex parte vlcerata, coniunctiua reflexa ex orbita prominebat et aeger a morbi incremento periit. Diſſecto cadauere, viſa eſt ſub inuolucro muſculi temporalis ſubſtantia filamentoſa, gypſea et ſimilis aderat extrauaſatio ſub perioſteo orbitae, cuius oſſa tenuia, apophyſis pterygoidea magnaque pars baſeos cranii vel deſtructa, vel carioſa erat. Cerebrum iuſto mollius, ventriculi ſero repleti, et inter duram matrem foſſamque mediam cranii apparuit ſubſtantia ſimilis ei, quae ſub crotaphite latebat. Quod quidem malum forte a percuſſione capitis ortum eſſe putatur.

p. 148. 7. *Epiſtola eiusdem, ſiſtens obſeruationem de vulnere colli.* Viro 26 ann. cultro horizontaliter diſſecta eſt cartilago thyroidea muſculique pharyngis, vt vix ſexta eius pars intacta relinqueretur. Vulneratus, per 4 dies in ſylua ſine auxilio relictus, tandem a chirurgo, ſutura nodoſa applicata, in noſocomium deductus eſt. Cl. Auctor ſoluit ſuturam, vulnus vino tepido cum melle depurauit, idque faſcia, quae caput deorſum premebat, et puluillis, vino tepido cum melle, deinde balſamo ARCAEI imbutis, ligauit, donec tandem coaluit. Attamen, cum aeger imprudens cibos duros comediſſet, hoc vulnus denuo quidem ruptum, ſed paulo poſt rurſus cicatrice clauſum eſt, ſaluo aegroto.

p. 151. 8. *Obſeruatio de vulnere faciei, cum corpore peregrino relicto*, auctore Cl. LE ROI. Viro 27 ann. ita vulneratum eſt os malae, vt cutis pars ibi iuxta palatum molle, ad linguae baſin, relinqueretur, qua tandem ope vectis caute extracta, vulnus breui tempore coaluit.

p. 159. 10. Cl. DESGENETS *obſeruatio de vlcere gangraenoſo veſicae.* Puer decennis, a plauſtro lapſus, ſibi

ſibi fregit ſiniſtram tibiam ac humerum et vulnere ad angulum oculi ſiniſtri externum ſcrotique contuſione afflictus eſt. Acceſſit iſchuria, intumuit abdomen et poſt aliquot dies gangraena ſcroti ac perinaei apparuit, vt vrina ex vlcere colli veſicae emanaret; adhibitis tamen digeſtiuis, vrina ſenſim conſuetam viam petiit, ſcroti cutis reſtituta, vlcus ſanatum et fracturae plane coalitae ſunt.

II. Cl. BAYLE *obſeruatio vulneris capitis, cum fracta ac depreſſa lamina interna oſſis bregmatis.* Quinquagenarius ab ictu lapidis in os parietale dextrum ſtupidus factus, poſt venaeſectionem refectus eſt. Aderat tinnitus aurium, et interdum ſomnolentia, ac inciſo pericranio viſa eſt oſſis fractura externa, ex cuius ſeparata diploe Cl. Auctor concluſit ad laminae internae oſſis depreſſionem. Cum vero trepanatio recuſaretur, acceſſerunt nono die ſigna extrauaſationis internae cum lethargo, et aeger periit 57mo die, cuius cranio aperto, conſpecta eſt fracta depreſſaque lamina oſſis parietalis interna, ac ſerum purulentum extrauaſatum. p. 165.

Menſe Septembri.

3. *Obſeruatio* Cl. SUMEIRE *de conuulſionibus periodicis, cortice Peruuiano curatis.* Puella ſeptennis, hoc malo creberrime affecta, ſumſit vncias duas infuſi corticis Peruv. cum pauco liquore anod. min. HOFFM. et conuulſiones ceſſarunt, tandemque diarrhoea copioſa critica aegram plane ſanauit. p. 224.

5. *Narratio anatomica, ab* HARVEIO *conſcripta, quam* I. BOTTUS *poſt eius mortem operi ſuo* (de ortu et natura ſanguinis), *anno* 1669 *adiecit.* Thomas Parr, Anglus, anno 1635 obiit aetatis anno 153tio. Facta ſectione cadaueris, viſum eſt corpus eius bene nutritum, pectus piloſum, genitalia integerrima, vt vix ante vltimos 12 annos a venere p. 231.

abſtinuiſſe diceretur, pulmones non fungoſi, coſtis adhaerentes ac ſanguine diſtenti, vt ſuffocatus periiſſe videretur, cor magnum in baſi multa pinguedine refertum, cartilagines ſterni ſatis flexiles, inteſtina optima; renes, alias validi, anterius hydatides oſtendebant, quarum vna ouo gallinaceo maior erat, meſenterium ac reliqua viſcera bona, vt cauſſa mortis in ſubito mutato vitae genere poſita putaretur. Cerebrum praeterea integrum, viſus abolitus, auditus acutus, memoria debiliſſima erat.

p. 243. 7. *Obſeruatio morbi verminoſi cum ſymptomatibus minus conſuetis*, a Cl. MUTEAU DE ROCQUEMONT. Foemina dolore omnium membrorum, et congeſtione in lingua et maxilla laborans, ſine febre, poſt venaeſectionem incidit in conuulſiones, qua tamen repetita et ſumto emetico, eiecit bilem porraceam cum vermibus longis plurimis, ſenſimque conualuit.

p. 245. 8. *Obſeruatio anatomica* Cl. PIETSCH, *de muſculo bicipite brachii, peculiaris ſtructurae.* Quinque capitibus inſtructus erat, quorum 1mum tendine largo apophyſi coracoideae ſcapulae adhaeſit, 2dum eius collo, iuxta cauitatem glenoideam, 3tium mediae parti lateris interni humeri, 4tum conſtituebat faſciculus fibrarum carnoſarum calami craſſitie, a primo capite deſcendens ſub eius coniunctione cum capite ſecundo; cui acceſſit faſciculus alius tenuior, ab inſertione capitis tertii productus et 5tum caput ſiſtens.

p. 248. 9. Cl. MONBALON *obſeruatio vulneris ſclopetorum, cum fractura ſcapulae et clauiculae, ac pulmonum laeſione.* Nauta vulneratus eſt ſclopeti globo plumbeo, qui, perfodiens mediam partem ſcapulae ſiniſtrae, ad mediam partem clauiculae ſiniſtrae egrediebatur. Cl. Auctor e vulnere dilatato eduxit quatuor partes fractas ſcapulae et duas clauiculae, id-

que

que linteo carpto deligauit, et ob ſputum cruentum venam ſaepe ſecauit potumque adſtringentem dedit, ac eſcharam vulneris ſetaceo perforauit. Sputauit quidem aeger pus, ſumto tamen purgante, ſuppuratio vulnerum bene ſucceſſit, quae tandem coaluerunt, adeoque pulmo ſenſim conſolidatus ac aeger intra tres menſes plane reſtitutus eſt.

11. *Obſeruatio de enterocele cum gangraena et deſtructione partis inteſtini, curata* a Cl. DESLANDES LEGER. Vir 35 ann. ſubito ſenſit tumorem inguinis cum doloribus colicis ac vomitu, per ſex dies continuatis, poſtea acceſſit febris vehemens, ac in tumoris media parte ſphacelus, eoque aperto, pus cum foecibus effluxit et inteſtini pars, longitudine quatuor digitorum, gangraena erat deſtructa atque disrupta. Attamen, applicatis puluillis, ſpiritu terebinthinae imbutis, ſenſim ſeceſſit corrupta pars ac vulnus tandem plane coaluit. p. 260.

12. Cl. PIETSCH *obſeruatio de cruſta tenaci* (limonneuſe) *in ventriculo nata vomituque reiecta.* Miles 25 ann. ſumtis granis tribus tartari emetici, euomuit cruſtam tenacem, digiti craſſitie, fundo ventriculi ſimilem, colore baſeos conuexae atro-viridi, concauae cinereo, qua reiecta, aeger conualuit. p. 263.

Menſe Octobri.

6. *Obſeruatio* Cl. LEAUTAUD *de retentione vrinae, et plurimis calculis renum, veſiculae felleae ac veſicae in cadauere repertis.* Sexagenarius a creberrimo diaetae neglectu incidit in retentionem vrinae ac dolores nephriticos. Omnibus fruſtra tentatis, Cl. Auctor cathetere veſicam euacuauit et vidit, multos ibi latere calculos, tandemque aeger periit. In cuius cadauere reperiebantur 36 calculi renum, 10 veſi- p. 349.

culae felleae, ac ſex in veſica haerentes, et vnus ex his $3\frac{1}{2}$ vnciam pondere habuit.

p. 352. 7. *De praeſtantia aquae mercurialis prae cauterio actuali in carie, quae contextum celluloſum maxillae inferioris penetrat;* a Cl. JOURDAIN. Cauterium actuale ſemper laedit partes vicinas, aqua vero mercurialis ſatis mitigata deſtruit cariem ſine incommodo, cum penetret ſubſtantiam ſpongioſam, leniat ſuppurationem, ſeparet partes carioſas. Id declaratur obſeruatione, de carie maxillae inferioris cum deſtructa ſubſtantia, qua puella 14 ann. laborauit, vbi cauterium ſummam ſuppurationem, aqua vero mercurialis plenariam curationem effecit.

Menſe Nouembri.

p. 440. 4. *Obſeruatio eiusdem, de eroſione in fiſtulam mutata.* Vir in ligamento membranoſo linguae habuit maculam rubram cum margine calloſo, ex vlcere, vitriolo veneris ſaepe tacto, exortam, vnde poſtea prodiit parua excreſcentia, quae interdum reſecta, denuo propullulabat. Hanc fiſtulam, quae laryngem penetrabat, Cl. Auctor turundis butyro antimonii, poſtea vero ſtyrace imbutis, tractauit, ſenſimque cicatrix formata eſt.

p. 447. 6. *Obſeruatio* Cl. MARTIN *de vrinae retentione cum vteri morbo minus conſueto complicata.* Foemina 28 ann. non grauida per quatuor dies retentione vrinae afflicta eſt. Maxima aderat difficultas immittendi veſicae ſpecillum rectum, attamen incuruato vrina euacuabatur. Cl. Auctor vaginam digito perſcrutans, orificium vteri tantopere dilatatum inuenit, vt digitum reciperet; ſub vmbilico apparuit corpus durum, renitens, verſus hypogaſtria ſe extendens. Immiſit itaque indicem ſiniſtrum verſus vteri orificium, et ſuper hunc ſpecillum rectum in eius cauitatem introduxit ac vidit, vterum vsque

ad

ad vmbilicum extendi, eumque ſine dolore moueri poſſe. Huic foeminae ante decem annos puerperae, tunc lochia parum fluebant, eaque poſt ſex menſes conqueſta eſt de multis incommodis vteri. Hinc apparet, vterum tum amiſiſſe vim ſe contrahendi, atque, cum humores vaſorum parietum inſpiſſati eſſent, tantam retinuiſſe magnitudinem, ac ſi foetum ſemeſtrem contineret.

Menſe Decembri.

3. *Obſeruatio* Cl. SOUQUET *de exſtirpatione tumoris ſarcomatici vteri.* Foemina 32 ann. poſt partum laborioſum diu affecta eſt fluore albo, tandemque ortus eſt tumor vaginae, quem cum chirurgus ex errore prolapſum vaginae crederet, ſaepe reponendo ac peſſariis premendo ſenſim ad pondus $3\frac{1}{2}$ librarum increuit, quo ligato et exſtirpato, aegra plane conualuit. p. 526.

5. *Remedium in carbunculo adhibendum*, a Cl. LEAUTAUD. Sumatur puluis vitrioli (forte cuprei,) et impaſtetur vitello ouorum, ac imponatur carbunculo; hinc efficitur eſchara, quae vngu. baſilic. tractetur, et vlcus deinde deligetur vngu. ex ol. oliu. axung. porc. pingu. veruec. cera, ana vnciis quatuor, fol. rorismar. pug. j. fol. tabaci, vitello ouor. no. 2, quae in vino rubro coquantur et in formam vnguenti inſpiſſentur. Si magna inflammatio carbunculum comitatur, is foueatur cum aquae ſcabioſ. vnciis decem, ſpir. vini aquoſi vnc. j. mixta cum albumine ouor. et alumine. p. 538.

6. Cl. ALLIERE, fil. *obſeruatio de vulnere ſclopetorum, humero inflicto, eiusque fractura.* Cl. Auctor oſſa fracta huius pueri nouennis vix in ſitum reducere poterat et, quamquam vena crebrius ſecabatur, febris tamen et conuulſiones valde vrgebant. Attamen vulnere diu ſetaceo ac digeſtiuis tractato, tandem p. 541.

dem articulatio in loco fracto formata eſt, quae flexionem extenſionemque brachii, altero paululum breuioris, permittebat.

In Tomo XXII multae inueniuntur obſeruationes, quarum recenſionem hic negligere noluimus.

Tom. XXII. Menſe Ianuario 1765 continetur.

p. 40. 3. *Obſeruatio* Cl. SOUQUET *de febre tertiana et ptyaliſmo, pertinaciſſimis.* Virum 26 ann. ptyaliſmus ſpontaneus per nouem annos, ac febris tertiana cum ſudore colliquatiuo et vrina ſpiſſa, turbida, per decem menſes maxime debilitarant. Sumſit itaque electuarium e cort. Peruv. rad. gentian. et flor. centaur. cum ſale ammon. per menſem, ac tertio iam die febris ceſſauit, et quinto maſticauit cort. canellae, cuius vſu continuato, ſenſim ptyaliſmus ſuperatus et aegro intra menſem ſanitas eſt reſtituta.

p. 43. 4. Cl. RENARD *obſeruatio eryſipelatis, aquam viridem exſudantis.* Senex 88 ann. eryſipelate crurum, inprimis malleolorum laborauit, vnde initio emanabat aqua rubra; inflammatio ac pruritus tunc valde vrgebant, poſt fotum autem infuſi flor. ſambuci cum ſach. Saturni mitigabantur; ſed paulo poſt e crure dextro per tres hebdomadas aqua viridis, lintea tingens, exſudauit, donec gangraena acceſſit, qua apte cohibita, pus album prodiit, et vlcus intra 12 dies ſanatum eſt. Aqua rubra e crure ſiniſtro exſudans citius ceſſauit. Anno ſequente aduſto iterum crure dextro, id diu quidem, ſed bene ſuppurauit.

p. 46. 5. Cl. AYRAULT *obſeruatio de extrauaſato ſanguine abdominis, ſub hydropis ſpecie ſe manifeſtante.* Vir, a febre putrida conualeſcens, langueſcebat eiusque abdomen ſenſim ita intumeſcebat, vt 10mo die

die paracenteſis requireretur, qua loco aquae merus ſanguis eductus eſt, donec aeger periit. Secto cadauere, patuit, ſanguinem hunc e vaſis ſplenicis ruptis effundi, quae a lapſu, ante duos annos in latus ſiniſtrum perpeſſo, ad rupturam forte diſpoſita erant, cum defunctus perpetuum dolorem ibi perceperit.

6. *Obſeruatio de viro, qui periodicas paſſus eſt haemorrhagias narium, ſimiles catameniis foeminarum*, a Cl. CAESTRYCK, fil. Erat 38 ann. et a 16 iam anno quolibet menſe hanc euacuationem expertus eſt, quae menſuram vnam ac dimidiam, ſaepe duas, aequabat, et ſemper praeceſſit languor. Mater eius, praeter menſtrua, ſimilibus haemorrhagiis narium a 25to ad 45tum annum vsque vexata eſt. p. 49.

7. Cl. SAVARY *deſcriptio diaboli marini* *). p. 51.
Forma corporis, excepta cauda, rhomboidalis eſt, capite craſſiori, corpore, proboſcidi vituli non diſſimili, cute ſpiſſa, laeui, vnctuoſa, non ſquamata, fuſca, maculata in dorſo, alba in ventre. Sub maxilla inferiori ſunt appendices carnoſae vel cutaneae, tanquam barba ſimilesque in ambitu corporis et caudae conſpiciuntur. Longitudo a proboſcide ad caudam eſt trium pedum et trium pollicum, latitudo dorſi ſesquipedis; amplitudo oris pedis vnius, cauitas eius ſesquipedis. Maxillae dentibus acutis, longitudine 7 linearum, ornatae ſunt, quorum plurimi maxillae inferioris vacillant; lingua larga, cartilaginea, ad radicem dentata; oculi magni, albi; in extremitate ſuperiore proboſcidis adſunt duae ſetae, nouem pollices longae, calami craſſitie, ſimilesque breuiores in dorſo eminent. Pinna caudae ex octo radiis cartilagineis componitur, pinnae dorſi ex

*) Eius iam mentio facta eſt in Commentar. hor. Vol. XIII. p. 669 ſq.

ex vndecim, laterales ex viginti. Sub maxilla inferiori haerent pinnae, ventrales dicendae, e quinque radiis factae, cute rubicunda tectae. Ventriculus continebat canem marinum et anguillam marinam; renes erant permagni, veſica vrinaria parua, hepar magnum, longum, planum. Ab ARTEDIO cognominatur *Lophius ore cirroſo*, eiusque figura icone hic depicta deprehenditur.

Menſe Februario.

p. 156. 4. Cl. MARTIN *obſeruatio de cauſſa minus cognita herniae cum gangraena.* Quadragenarius, per octo iam annos hernia crurali lateris ſiniſtri laborans, incidit in dyſenteriam, qua ipecacuanha facile liberatus eſt. Poſt menſem vero ſenſit ſub arcu muſculorum abdominis tumorem atropurpureum, acuminatum, renitentem, quo emollientibus tractato, liquor foetidus exſudabat, eoque inciſo, multi vermes craſſi cum foecibus egrediebantur, ac tandem aeger periit. In eius cadauere viſa ſunt inteſtina ſana in ſitu naturali, in medio autem arcu erat productio coecalis inflammata, cum ileo cohaerens, trium pollicum longitudine, in loco adhaeſionis ſphinctere inſtructa. Hinc emeticum cauſſa rupturae huius productionis fuiſſe videtur.

Menſe Martio.

p. 219. 3. Cl. DUPUY DE LA PORCHERIE *obſeruationes, quae demonſtrant vim reſoluentem extracti cicutae in ſcrophulis.* Cl. Auctor in noſocomio Roxellenſi nouem aegris ſcrophuloſis variae aetatis per ſex menſes extractum cicutae dedit, ac doſin a gr. j. ad drachmam vnam ſenſim auxit idque optimo cum ſucceſſu ſuscepit. Ita enim ſanauit 1) vlcus metacarpi foeminae 22 ann. 2) puellae 16 ann. tumorem vlceroſum muſculi maſtoidei ſiniſtri et duas

vlce-

vlceroſas glandulas ſub mento; 3) ſcrophulos colli vlceroſos puellae 14 ann. 4) ſex glandulas vlceroſas colli puellae nouennis, duoque vlcera ad clauiculam, 5) quatuor vlcera ad articulum humeri et ſcapulae puellae ſeptennis; 6) vlcus carioſum enorme phalangae pollicis puellae 7ennis; 7) vlcera colli et ſub mento puellae ſexennis; 8) vlcera carpi anchyloſi laborantis puellae nouennis gibberoſae; 9) in alia 14 ann. reſoluit vlcera anguli oris, maxillae, menti, brachii, regionis hypogaſtricae, inguinis, cruris ſiniſtri, cet.

4. Cl. RAZOUX *litterae ad* Cl. ROUX, *de effe-* p. 236. *ctibus ſingularibus ſpeciei ſolani.* Eſt *ſolanum ſcandens, ſ. dulcamara*, vulgo vitis Iudaica dicta, cuius vis medica quinque obſeruationibus declaratur. *Obſ.* 1. Vicenaria exoſtoſi doleroſa tibiae dextrae, trium pollicum longitudine et vnius eminentia, laborabat, quam frictiones mercuriales peiorem reddebant ac furunculos cruris excitabant, poſt vſum vero ſolani cum lacte ſenſim haec exoſtoſis maxima ex parte diſſipata eſt, et aegra ſanata. *Obſ.* 2. Quinquagenarii vlcera crurum ſolani vſu curata ſunt. *Obſ.* 3. Virgo 25 ann. a ſimili fere morbo hoc remedio liberata eſt. *Obſ.* 4. Vir 45 ann. herpete totius corporis laborans, decocto ſolani balneisque emollientibus eſt reſtitutus. *Obſ.* 5. Septuagenarius, oedemate eryſipelaceo crurum, quod ſenſim in vlcus tranſiit, afflictus, tandem vſu externo fol. dulcamarae, eiusque decocto vna cum abſinthio ac cichoreo interne ſumto, conualuit. Vſus ſolani ſic inſtituatur. Sumatur drachma ſemis caulis recentis huius plantae, reiectis foliis, floribus, fructibus, ſecetur in partes, et in vnciis ſedecim aquae ſimplicis coquatur, vt dimidia pars remaneat, quae coletur, cum aequali parte lactis vaccini tenuis miſceatur, ac bibatur omni hora quarta poculum, ſenſimque au-

geatur

geatur doſis plantae vsque ad drachmas 3 vel 4. Hoc remedium nec aluum, nec vrinam mouet, ſed in ipſo ſanguine inopinatam vim antiſcorbuticam exſerit.

p. 258. 6. *Obſeruatio vulneris hypochondrii dextri, enſe facti, quo hepatis laeſio et extrauaſatio in abdomine orta eſt*; a Cl. NOLLESON fil. Vomitus bilioſus, febris acuta, ſingultus perpetuus ac tenſio abdominis inſignis vrgebant, ſex autem venaeſectiones, fomenta abdominis, clyſmata emollientia, ſeptimo die ſymptomata haec, praeter ſingultum, mitigabant. Incidit aeger deinde in icterum et paulo poſt apparuerunt ſymptomata extrauaſationis in abdomine, tandemque in ima parte hypochondrii dextri fluctuatio ſentiebatur atque, inciſo hoc tumore, menſura dimidia puris foetidi effluebat, ac vulnus intra quinque hebdomadas rurſus coaluit.

Menſe Aprili.

p. 353. 3. Cl. PLANCHON *obſeruatio de colica pictonum*. Virgo 24 ann. diu vexata eſt colica vehemente, paralyſi extremitatum comitata. Deinde poſt refrigerium incidit in languorem, dolores magnos regionis vmbilicalis, aluique obſtructionem et catameniorum interruptionem. Paulo poſt augebantur dolores, acceſſit vomitus, conuulſiones, deliria, febris, ſudore plerumque finita, quae quidem ſymptomata apyrexia tranquilla excipiebat. Cauſſam huius morbi Cl. Auctor adſcribit bili acri, inteſtina irritanti; quapropter adhibuit venaeſectionem, diluentia, temperantia, acida, mucilaginoſa, clyſmata, ac in ſummo dolore, oleoſa, ſedantia, balnea tepida, et in vomitu dedit ſtomachica leniora, denique purgantia in parua doſi idque tam proſpere fecit, vt aegra tandem plane conualeſceret.

Menſe Maio

2. *Obſeruatio morbi hepatis, excreto calculo biliario, ſublati.* Auct. Cl. PLANCHON. Foemina 45 ann. poſt grauem colicam hepaticam conqueſta eſt de ventriculi debilitate, nauſea, obſtructione alui crebriore, anxietate, febre anomala, dolore hepatis, ſomnolentia, ſiti inſigni. In hoc vitio hepatis tentauit Cl. Auctor imminuere ſanguinem venae portae, ſanguiſugis ano applicatis, et aegra ſumſit ſerum lactis, extracta amara, martialia cum ſtomachicis, tandemque rhabarbaro et aloe euacuauit primas vias, atque tum per aluum ſub maximo dolore, vna cum muco eiecit concretionem blilioſam, trium drachmarum pondere, inaequalem, granuloſam, oualem, colore vnius lateris flauo bruneo, alterius albo, tactu pinguem, ſaponaceam, qua reiecta, ſanitas ſenſim eſt reſtituta. p. 399.

3. Cl. LANDEUTTE *obſeruatio ſynochi, ſubito in febrem hecticam degeneratae, cum oedemate vniuerſali et intumeſcentia doloroſa abdominis.* Miles 19 ann. a febre continua duplicata iam refectus videbatur, cum ſubito oedemata faciei ac pedum orta ſunt, ſenſimque tota cutis intumuit. Apozema ſumtum nihil effecit; poſtea aegro ſuaſit Cl. Auctor vſum lactis, quo quidem febris frequentior, tuſſis ſicca, anxia reſpiratio, maior intumeſcentia totius corporis excitata eſt, continuato tamen eius vſu, haec ſymptomata ſenſim ceſſarunt et aeger conualuit. p. 407.

4. *Obſeruatio hydropis ſaccati, cum animaduerſionibus in paracenteſin,* auctore Cl. LOCANE. Foemina 43 ann. conqueſta eſt de pondere in regione pubis ac tenſo abdomine, cum oedemate pedum, difficilique reſpiratione, poſt ſuppreſſionem menſium exortis. Praemiſſis variis remediis ſine optato effectu, tandem paracenteſis facta eſt, qua parua copia muci et paululum materiae ſpiſſae, melli ſimilis, ef- p. 418

 fluxit,

ﬂuxit et aegra magis debilitata eſt; paulo poſt ſanguis et ſimilis materia educta eſt atque aegra febre lenta periit. Secto cadauere apparuit, corpus adipoſum, quo muſculi abdominales teguntur, in pus tranſiiſſe, ac, remotis his muſculis, viſus eſt ſaccus membranaceus, ab oſſe pubis vsque ad vmbilicum eminens, viſceraque et inteſtina fluctuabant in aqua foetida, flaua, ſpiſſa, et omentum purulentum erat. Portio coli, ſacco arcte adhaerens, ab hoc plane inuoluebatur et leni vi dilacerabatur. In cauo ſacci ſatis craſſi, pure interius obducti, haerebat tumor, e pluribus hydatidibus irregularibus aquoſis et purulentis conſtans, veſica tamen, vterus ac ouaria ſana conſpiciebantur. Margines ſacci hinc illinc cartilaginei erant, et in parte eius anteriore aderat corpus ouale, oui gallinacei magnitudine, colore albo purpureo, e corpuſculis glandulis ſimilibus factum. Figura huius tumoris cyſtici, in icone adiecta, clarius adumbratur.

p. 449. 5. *Litterae* Cl. RENARD *de morbo nigro.* In hoc tres indicationes attendendae ſunt, 1) vt primae viae a ſanguine extrauaſato liberentur, 2) corruptio corrigatur, 3) haemorrhagia ſedetur. Priores purgantibus acidis, tertia ptiſana vulneraria adſtringente praeſtatur. Cl. Auctor feliciter hac methodo vſus eſt in agricola ſene, qui iam per tres annos hoc morbo laborabat. Dedit igitur iulapia cardiaca, clyſmata roborantia, poſtea purgans, ac deinde infuſa herbarum vulnerariarum cum alumine et aceto, iuſculaque carnium, ſenſimque aeger conualuit.

p. 468. 9. *Litterae* ad Cl. LE BAS ab obſtetrice REFFATIN. Haec adſtitit foeminae 32 ann. in partu, laborioſo propter infantis magnitudinem, cuius longitudo 23 pollices et pondus 18 libras aequauit, et vndecimo demum menſe natus dicebatur. Hic debi-

debiliſſimus infans, inflato pulmonibus aere, refectus eſt ac mater ſenſim conualuit.

Menſe Iunio.

2. Cl. NICOLAIS DU SAULSAY *obſeruatio de morbo nigro.* Virgo 30 ann. ſuppreſſis menſtruis, incidit in dyſenteriam albam, dolores regionis epigaſtricae, alui obſtructionem pertinacem; quae quidem ſymptomata aptis cedebant remediis, ſed languor inſignis, priſtinam reuocans calamitatem, relictus eſt, tandemque aegra vomitu et aluo eiecit ſanguinem nigrum, congrumatum, foetidum, ſimulque animi deliquia cum pulſu exili paſſa eſt. Sedato vomitu, deiectiones ſanguinis magis vrgebant, attamen ſenſim imminutae ſunt et priſtina ſanitas intra menſem recuperata eſt. p. 502.

4. *Litterae* Cl. DE BERGE, *de effectibus oxymellis colchici.* Quinquagenario oedemata pedum, ſaepius accedentia, in imminuta vrinae ſecretione tantopere increuerunt, vt femora et abdomen occuparent. Hydragogis ac ſcilla cum pareira praua fruſtra tentatis, aeger ſumſit per octo dies drachmam dimidiam oxymellis colchici pro doſi, attamen hinc ſenſit ardorem inſignem vrinae, tum in minori copia excretae, ac reſpirationis difficultatem ventrisque intumeſcentiam auctam, vt paracenteſis requireretur, qua multum aquae eductum eſt, vt et inciſionibus hinc illinc factis. p. 526.

5. *Relatio morbi ſingularis*, a Cl. ROUVEYRE D'OZON. Sexagenarius lapide ad angulum poſteriorem inferiorem oſſis parietalis ſiniſtri vulneratus et inde ſtupidus factus eſt, poſtea dolor in dies increuit, ſenſimque tumor durus, renitens ibi oriebatur, dolorem excitans acutum, lancinantem, et febrem cum ſumma debilitate. Inciſo hoc tumore, vidit Cl. Auctor, eius ſubſtantiam, ſarcomati ſimilem, p. 535.

 ſub

ſub arteriarum pulſu attolli, et concludit, os parietale carioſum eſſe, duramque matrem ſub hoc denudatam, eiusque pulſationem cum ſubſtantia interiori tumoris communicare. Fecit deinde inciſionem cruciatam, et ſtatim vidit duram matrem pulſantem, ac vulnus, vt in trepanatione fieri ſolet, curauit, attamen aeger paulo poſt periit.

p. 552. 7. Cl. GUERIN *obſeruatio peculiaris, de portione inteſtini integri, 14 pollicum longitudine, per anum reiecta.* Foeminae 31 ann. colica vehementi, *miſerere* dicta, cum alui obſtructione pertinaci affectae, plurima clyſmata, pediluuia ſine fructu applicata ſunt. Venaeſectio dolores mitigabat, atque ipecacuanha ter adhibita crebrum vomitum bilis porraceae, vermium et foecum excitabat, quem oleum oliuarum et cortex peruv. ſenſim infringebat; aegra tandem aluo reiecit portionem inteſtini, 14 pollices longam, in omni ambitu integram, nec quidquam incommodi, praeter leuem dolorem inter ſternum et vmbilicum ſenſit. Haec portio inteſtini veri ac integri (ex Cl. Auctoris ſententia) inflammatione ſuppurationeque erat ſeceſſa, ac vſus cort. peruv. conſolidationem vtriusque finis inteſtini praeſtitit, quo neglecto, rediit dolor in eodem loco, ac ſaepius eodem remedio ſopitus eſt. Cum vero aegra diaetam non caute ſeruaſſet, ſenſit ibidem, cum aluum exonerabat, dolorem acutum ac, ruptis vtrisque extremitatibus inteſtini, miſere periit, et ante mortem foetum quinquemeſtrem edidit. Inciſo abdomine demortuae, viſa eſt effuſio foecum, et vtraque inteſtini rupti extrema pars gangraenoſa. Hinc concludit Cl. Auctor, partem inteſtini, pedis longitudine, inuaginari ac ſeparari poſſe, eiusque extremitates interdum ipſius naturae auxilio vniri et conſolidari.

II. Pa-

II.

Parallele des differentes methodes de traiter la maladie venerienne, à Amſterdam, chez François Changuion, 1764. 8 pl. 18.

i. e.

Comparatio variarum rationum medendi morbis venereis.

Licet hicce libellus potiſſimum contra Cl. KEYSERI pillulas et vſum mercurii ſublimati directus ſit, praeſtantiamque methodi, qua Monſpeſſulani medici vtuntur, prae aliis defendat, tamen in vniuerſum varia continet, quae lectionem eius iucundam non minus ac vtilem efficiunt, ſatisque de auctoris anonymi ingenio et doctrina teſtantur. Capite primo oſtenditur naturam contagii et morbi p. 6.
venerei plane incognitam eſſe illumque morbum ratione ſymptomatum pro varia aegrorum conſtitutione aliisque cauſſis multum variare etc. ita, vt vna curationis ratio in omnibus non ſufficiat, ſed diuerſa in diuerſis methodo opus ſit. Demonſtrat porro, morbo non perfecte curato, ſymptomata quidem diſparere, ſed morbi fomitem in corpore remanere, qui temporis demum ſucceſſu, inprimis ſi haereditate ad alios transfertur, in alios morbos difficillimae curationis tranſit. Secundo capite de me- p. 24.
thodo agit ſic dicta ſudorifica, in qua guaiaci decoctum inprimis adhibetur, cuius ligni vſum BOERHAAVIUS in carie oſſium venerea mercurio praetulit, Cl. vero ASTRUC ita reiecit, vt doceat cariem veneream ſolis frictionibus tolli poſſe mercurialibus, ſeque tales aegros, in quibus BOERHAAVIUS guaiaci decocto ſine fructu vſus erat, frictionibus ſanaſſe.

naſſe. Hunc vero Cl. ASTRUC Noſter Auctor refellit, probans, ſemper antequam perfecta luis inueteratae ſanatio obtinetur, neceſſarium eſſe, vt mala partialia curentur, v. c. oſſa carioſa eximantur, atque cautione iſta neglecta, fomiteque mali relicto, ne frictiones quidem aliquid praeſtare, ita vt tunc temporis minime ad methodi cuiusdam inefficaciam aliquid concludi poſſit. Contra guaiaci decocti vſus nonnunquam inſigni cum fructu mercurio praemitti poteſt, aut cum eo coniungi, cum in vniuerſum maxima huius decocti vis ſit, in ſaliuatione, per mercurium excitata, impedienda, cum egreſſum mercurii per alia corporis colatoria, v. c. per cutem, inſigniter promoueat. Inprimis vero medicamentum hoc inſignem vtilitatem in malis poſt mercurii vſum rebellibus, et doloribus vagis venereis habet, quid quod, varia exempla confirment, decoctum in America, ex arboribus iunioribus paratum, luem confir-
p. 62. matam curare poſſe. Accedit deinde Cl. Auctor ad vſum frictionum mercurialium, cui multum fauet. mercurium vero in luis venereae curatione non vi ſua reſoluente, quae BOERHAAVII eſt ſententia, ſed virtute alterante ſpecifica agere ex eo Noſter probat, quod illae curationes, per mercurium factae, optimae ſint, et perfectae, quae ſine vlla ſenſibili excretione factae ſunt. Nam in vniuerſum ſaliuatio non ad eſſentiam mercurii pertinet, aut ſaliuae effluxus ad plenariam luis curationem requiritur, cum ſemper ex illa plus noxae, quam emolumenti, ad aegros redundet. Hinc Cl. Auctor inprimis eam Monſpeſſulanorum medicorum methodum extollit, quam per extinctionem vocant, vbi ſcilicet ſaliuatio balneorum, purgantium et camphorae vſu impeditur. Ea enim methodo aegroti corpus repleri poteſt magna et ſufficiente copia mercurii, ſine vlla
p. 98. noxa, vel corporis debilitatione. Quod vero ad

vſum

vſum mercurii internum attinet, et medicamenta varia ex eo inprimis ſalium ope parata, ea Cl. Auctor omnia reiicit, cum eorum vſu ſymptomata grauiſſima et ſaliuatio producantur, quam tamen, addita camphora, impediri poſſe confirmat. Fumigatio p. 124. vero mercurialis in vitiis tantum particularibus v. c. ſi pulmones in lue vitiati ſunt, locum habet. Ne- p. 140. que mercurii ſublimati vſum, ſecundum methodum, ab Ill. SWIETENIO praeſcriptam, laudat, cum effectus deleterios ex eius mente edat, aut vt lentum venenum agat nimisque paruam mercurii copiam contineat, quam vt plenaria curatio per eius vſum obtineri poſſit. Addit hoc medicamentum non nouum eſſe, ſed iam a WISEMANNO Chirurgo Anglo, circa medium praecedentis ſeculi propoſitum. Reiicit quoque panis venerei et clyſmatum antiuene- p. 174. reorum vſum, quem Pariſiis nonnulli empyrici propoſuerunt, tandemque ad Cl. KEYSERI pillulas p. 178 (*dragées antiveneriennes*) accedit atque inuentorem huius medicamenti acerbius perſtringit. Enarrantur vero omnia, quae et ante tempus, quo Rex Galliae medicamenti huius compoſitionem ab inuentore redemit methodusque Keyſeriana in noſocomia militaria totius regni introducta eſt, et poſtea facta ſunt, ita vt tota huius medicamenti hiſtoria hic contineatur. Putat vero KEYSERUM acido minerali quodam mercurium primum ſoluere, acidi nimiam copiam dephlegmatione abſtrahere, atque praecipitatum, hac ratione paratum, iterum in aceto ſoluere. Multa profert exempla tum malae fidei inuentoris eorumque, qui KEYSERI cauſſam defendunt, tum aegrotorum, in quibus vel ſaliuatio vel aliae hypercatharſes harum pillularum vſu excitatae ſunt, vel qui tandem magnum harum pillularum numerum ſine vllo fructu ſumſerunt.

III.

Naturgeſchichte des Mineralreichs, mit beſonderer Anwendung auf Thüringen herausgegeben, von D. IOH. WILH. BAUMER. *Zweytes Buch. Gotha, bey J. C. Dietrich,* 1764. 8. 21½ pl. tab. aen. 9.

i. e.

Hiſtoria naturalis regni mineralis, Thuringiae inprimis inſeruiens. Auctore I. W. BAUMER, M. D. Vol. II.

Cum de priore volumine hiſtoriae huius naturalis et ordine, quo illa conſcripta eſt, iam alio loco *) fuſius ad lectores noſtros retulerimus, paucis tantum alterum hoc indicaſſe ſufficiat. Eodem enim ordine hic varia tantum addenda et augmenta illorum, quae in priore volumine continentur, a Cl. Auctore proponuntur, quorum vero maxima pars ex libris omnibus cognitis ſumta eſt, ita vt pauca tantum noua, vel melius explicata in illo inueniantur. Ad loca natalia variorum corporum regni mineralis determinanda Noſter inprimis BÜSCHINGII geographia vſus eſt, qua ex re varii errores prouenerunt, qui vitari potuiſſent, ſi Cl. Auctor fontes et inprimis ſcriptores hiſtoriae naturalis aliarum regio-
p. 131. num conſulere potuiſſet. In Thuringia, vti in aliis quoque terris, nulla petrefacta in lapidibus gypſeis inueniuntur, cuius phaenomeni cauſſa in acido vitriolico cum terra calcarea in gypſo coniuncto poſita
p. 170. eſt, quod omnia corpora diſſoluit. Magneſia cum nitro mixta, nullam detonationem Noſter obſeruare potuit, licet talem oriri ab aliis ſcriptoribus propoſitum

*) Commentar. hor. Vol. XIII. p. 195.

ſitum ſit. Serpentes in lapidem mutari poſſe, ex variis ſpeciminibus, in Thuringiae montibus calcareis repertis, probare Noſter annititur. In additis nouem tabulis aeneis ſedecim figurae variorum corporum mineralium, inprimis vero petrefactorum, continentur. p. 191.

IV.

A Refutation of the reflexions againſt inoculation, publiſhed by Dr. RAST, of Lyon, ſo far as they are ſupported by calculations drawn from the bills of mortality in London and his obſervations; With a perſuaſiue to that practice, deduced from the ſucceſſ of the inoculating Hoſpital near London, by ANTONY RELHAM, M. D. Fellow of the College of Phyſicians in London. London, printed for W. Johnſton, 1764. 4. pl. 4½.

i. e.

Refutatio cogitationum ſuper inoculatione variolarum, quas Cl. RAST, Med. Lugdunenſ. publicauit, quatenus illae nituntur calculis, ex indicibus mortuorum Londinenſibus extractis, atque obſeruationibus eiusdem; cum commendatione inoculationis ſuperſtructa ſucceſſui inoculationis in noſocomio variolarum Londinenſi. Auctore Cl. ANTON. RELHAM, M. D.

Licet ex iis iam, quae Cl. CHASTELLUX contra Cl. RASTII libellum *) monuit, appareat, eiusdem Cl. RASTII argumenta, calculosque ex indi-

*) vid. Comment. Vol. XIII. p. 53 et 56.

indicibus mortuorum Londinenſibus ſumtos, quibus potiſſimum inoculationem impugnauit, non adeo firmo fundamento niti; id tamen magis adhuc confirmatur et extra omnem dubitationem ponitur
p. 3. hocce Cl. RELHAM libello. Oſtenditur enim in illo primo: nullum plane contra inoculationis vtilitatem argumentum ab indicibus iſtis ſumi poſſe, cum in iis tantum numerus baptiſmatum eorum ciuium contineatur, qui ad Anglicanam eccleſiam pertinent, inter funera vero, ibidem enumerata, plura ſint eorum, qui alios religioſos ritus profitentur. Plures e contrario Londini demortui vel ad alia loca, vt ibidem inhumentur, deferri ſolent, vel ſepeliuntur in coemeteriis ſic dictis extraparochialibus. Atque in vniuerſum hi indices vel noſtris quoque temporibus haud ſatis accurate conficiuntur, ita vt nihil
p. 5. certi ex iis colligi poſſit. Longe vero minor cura priſtinis temporibus in hac re adhibebatur, inprimis ante initium huius ſeculi. Nam ab anno 1538, quo primum coeperunt, ad annum 1700 ſeries eorum ſaepius interrupta eſt, atque in diuerſis horum indicum exemplis magna haud raro quoad demortuorum numerum differentia obſeruatur. Accedit quod in illa ipſa periodo temporis, quae calculis Cl. RAST comprehenditur, multae parochiae nouae, prioribus additae et ita mortuorum numeri ſemper aucti ſint, vt itaque nulla firma conclu-
p. 13. ſio exinde formari poſſit. Denique ſi fides quoque iſtis indicibus haberi poſſet, cauſſa tamen numeri mortuorum ab illo tempore, quo inoculatio primum in Angliam introducta eſt, i. e. ab anno 1720 aucti, non in illa ipſa inoculatione poſita eſt, ſed in abuſu liquorum ſpirituoſorum, quo non parentes tantum debilitati, ſed etiam illorum progenies vitioſior reddita eſt. Hic enim abuſus circa haec tempora adeo inualuit, tantamque inter ciues ſtragem edidit, vt

vt ſupremus Anglorum ſenatus circa annum 1735 legibus eum coërcere neceſſarium iudicaret. Quod quidem conſilium adeo ſalutare fuit, vt ab his ipſis temporibus, inprimis vero vltimis hiſce annis, ratio natorum ad mortuos iterum aucta ſit. Commemorantur a Cl. Auctore aliae quoque rationes, quibus etiam populi augmentum impediri putat, vt neglectus matrimonii, luxus etc. Concedit tamen, quod p. 18.
quidem inoculationis aduerſariis magnum et ſpecioſum argumentum forte ſuppeditare poſſet, numerum mortuorum per inoculationem in Anglia omnino auctum eſſe, cum per illam contagium latius diſpergatur, et morbus, qui antea epidemicus fuerat, nunc per totum annum graſſetur, neque vel hyemali frigore ſupprimatur, ita vt, aegrotorum numero aucto, etiam mortuorum numerus neceſſario augeatur. Ex qua tamen ipſa re concludit, legibus inoculationem omni ſtudio promoueri debere, donec omnes adulti eo morbo laborauerint, quo tempore mortuorum numerum mirifice imminutum fore, arbitratur. Per ipſam vero inoculationem magnum numerum eorum conſeruari, quibus immediate contagium communicatur, Cl. Auctor ex indicibus eorum probat, qui in noſocomium inoculationi dicatum, quod prope Londinum exſtructum eſt, recepti ſunt. Ex 7148, qui in eo variolis naturalibus laborauerant, 1796 demortui ſunt, quod eſt vti 1 ad 4, cum multi inter aegrotos in hoc noſocomium receptos adulti ſint, iique poſt inſignia vitia diaetae ſaepe morbo iam conclamato ad noſocomium deferantur. Contra ex 3817 in eodem noſocomio inoculatis 13 tantum perierunt, quorum numeri ratio eſt vti 1 ad $293\frac{8}{13}$, ita vt inoculatio 547 ciuium vitas ſeruauerit. In fine ad RASTII obſeruatio- p. 28.
nes variorum morborum in inoculatis ortorum, variae adnotationes additae ſunt.

V. Diſſer-

V.

Diſſertation ſur la nature, la maniere d'agir, les eſpeces et les uſages des antiſpaſmodiques proprement dits, qui a remporté le prix de l'Academie des Sciences et Belles Lettres de Dijon en 1764. Par Mr. GUILLAUME LAMBERT GODAR, Docteur en Médécine a Vervier. à Dijon, chez François des Ventes. à Paris, chez A. des Ventes, 1765. 8. pl. 10.

i. e.

Diſſertatio de natura, modo agendi, ſpeciebus et vſu antiſpaſmodicorum proprie dictorum, quae praemium Academiae Scientiarum et elegantiorum literarum Diuionenſis an. 1764 obtinuit. Auctore Cl. GODAR etc.

Libellum hunc quatuor capita conſtituunt. In primo antiſpaſmodicorum, proprie dictorum, naturam definit Cl. Auctor; in altero eorum modum agendi explicat; in tertio diuerſas eorundem ſpecies diſtinguit; in quarto demum de vſu horum remediorum in morbis agit. Naturam antiſpaſmodicorum explicaturus Noſter fibrae muſcularis indolem declarat, poſthac autem ſpaſmorum notionem exhibet. p. 16. Quod ad fibram muſcularem attinet, eam contractilis naturae eſſe, hancque ab elaſticitate et irritabilitate pendere et elaſticitatem quidem vim mechanicam, irritabilitatem vero vim vitalem fibrae largiri, docet. Irritabilitas vel externa vel interna eſt. Externam irritabilitatem muſculique contractionem vel a ſolo contactu, vel ab inſtrumento pun-

pungente, vel a liquore quodam excitari putat; internam vero, cum muſculus ad exemplum cordis, quod intus cauum eſt et a ſanguine ad contractionem ſollicitetur, itidem in interioribus cauitatem habeat, et neruoſum fluidum recipiat, ab huius ſtimulo excitari muſculosque a ſolo eius contactu ad contractionem inſtigari, autumat. Cum porro, ex ſententia Cl. Auctoris, vigor contractionis a libera communicatione, quae eſt inter genus neruoſum et muſculare, pendeat: ſequitur etiam, vt interna irritabilitas exquiſitiſſima ſit, externi vero ſtimuli effectus vix notabiles producant, niſi eorum actio ab interno ſtimulo adiuuetur, hique ipſi internum ſtimulum excitent. Ex his coniicit, fluidum nerueum, cum fibras muſculares continuo ad contractionem impellat, tonum earundem moderari, dictique fluidi influxum, plus minus aequalem, effectus earum relatiuos dirigere, et aequilibrium tenſionis earum reciprocae vel conſeruare, vel turbare, easdemque ad ſenſationes externas plus minus ſenſibiles reddere. Porro quoque, vel ſolam abundantiam fluidi neruei et celeritatem eius et acrimoniam, vel cum cauſſis irritantibus externis coniunctam contractiones muſculorum duplicatas ſeu auctas producere, colligit.

Ad definiendum ſpaſmum, ſecundum STAHLII et HOFFMANNI theoriam, quatuor fibrarum muſcularium affectiones, nimirum tonum, atoniam, ſpaſmum et conuulſionem attendi, iubet. Tonum tenſionem fibrarum naturalem appellat, atoniam earum relaxationem eſſe, monet, ſpaſmum earundem rigiditatem aliquantum auctam dicit, conuulſionem vero nominat, ſi tenſio muſculorum ad gradum valde notabilem euehatur. His praemiſſis, ſpaſmum definit, qui ex eius ſententia eſt augmentum toni fibrarum vel virium, quas ad contractionem p. 21.

impen-

impendunt, quae motus conuulſiuos, agitationes tonicas, vel ſimplicem partium, quae vexantur, rigiditatem producit. Hae vires vel ab irritatione interna vel externa augentur. Si augmentum hoc a ſola irritatione interna prouenit, ſpaſmus absque materie a Noſtro vocatur, ſique effectus iſte ab externa cauſſa excitatur, quae internae cauſſae actionem ſimul excitat, ita tamen, vt haec emineat, ſpaſmus cum materie a Cl. Auctore appellatur; vterque autem ſpaſmus verus eſt. Ab his ſpaſmum ſpurium diſtinguendum eſſe, putat, qui, vt oſtendit, eſt contractio, per externam irritationem producta, ita vero, vt interna ſeu actio neruorum et fluidi eorum illi ſubordinetur. Quod igitur ad naturam antiſpaſmodicorum, proprie ſic dictorum, attinet, eam ad conſtitutionem fibrarum organicam et ad neruorum oeconomiam ſe habere, Noſter docet. Oſtendit itaque, requiri, vt plurimorum horum remediorum partes conſtitutiuae admodum ſubtiles ſint, atque inter has et fluidum nerueum affinitas quaedam deprehendatur, ob quam ſubtiliſſimas cerebri canaliculas penetrent, et contento fluido neruoſo ſe miſceant, eiusdemque acrimoniam leniant, et degenerationem impediant, motus ſufflaminent, in fibrarum parenchyma, et contextum neruornm eorundemque ſenſibilitatem agant, et naturalem ſtatum reſtituant.

p. 25. In explicando modo agendi remediorum antiſpaſmodicorum ad cauſſas irritantes, quae genus neruoſum ad vibrationes tumultuoſas excitant, atque ad irritabilitatem fibrarum nimis exquiſitam, quae cauſſas illas irritantes potentiores reddit, Cl. Auctor attendit. Vt itaque res clarior euadat, mechanicam contractilitatis fibrarum vim, nimirum elaſticitatem, atque vitalem eiusdem vim, ſcilicet irritabilitatem, de quibus in praecedenti capite iam

egit,

egit, vlterius declarat, harumque affectionum mutuam relationem conſiderat. Ad ſex autem momenta hac in re attendere iubet. Primo nimirum fibra firma atque compacta eſſe, et absque vllo periculo rupturae magnas violentias ferre poteſt, quo in caſu ea parum irritabilis eſt. Secundo fibra mollis et flexilis eſſe poteſt, quae facile cedit et parum reagit; haec itidem minus irritabilis eſt. Tertio fibra debilis eſſe poteſt, neque extendi ſe patitur, quo in caſu paruae cauſſae inſignes effectus producunt, fibraeque admodum irritabiles tunc ſunt, atque facile conuelluntur. Quarto fibra, licet a natura robuſta ſit, ſi nimis tenditur, vt fibra debilis ſe habet, et valde irritabilis tunc eſſe ſolet. Quinto fibra, antea robuſta, ob praegreſſam tenſionem, debilis eſſe poteſt, ita, vt ſimilis ſit fibrae ſecundi et tertii momenti: talis per relaxationem irritabilis facta eſt. Sexto demum fibra, quaecunque etiam ſit eiusdem tela, plus minus irritabilis eſſe poteſt, prout ſtimulus plus minus inſignis eandem afficit. Cum enim notio irritabilitatis rationem ſenſibilitatis vitalis inuoluat, patet, irritabilitatem fibrae eo magis inſignem eſſe, quo magis actioni cauſſarum irritantium eadem expoſita eſt. Ne autem irritabilitas in ſtatu naturali nimia ſit, natura id praeſtitit, vt fines neruorum tenuiſſimo inuolucro vel humore viſcoſo obducerentur. Quodſi nunc inuolucra haec a cauſſa quadam remota ſunt, fibras in ſtatu irritabilitatis nimiae ſe habere, liquet. Ex his colligit Cl. Auctor, actionem cauſſae irritantis, e. g. venenorum tam fortem eſſe poſſe, vt etiam cauſſae naturales fibras rupturae periculo exponant; vel fibras adeo denudatas eſſe, vt omnem cauſſarum agentium impreſſionem ſuſcipiant, vel demum vim cauſſae agentis et ſenſibilitatis ſimul praeſto eſſe, vt ſpaſmus ſeu conuulſio producatur. Vt itaque ſpaſmus tollatur vel praeuertatur, ad quatuor indicatio-

nes

nes attendendum eſſe, Noſter monet, 1) vt fibra vel roboretur; 2) vel relaxetur; 3) vel nuda nimis inuoluatur; vel 4) in omnibus hiſce caſibus cauſſae irritantes deſtruantur, et vis impellens ſpirituum temperetur.

p. 39. His praemiſſis in tertio capite diuerſas antiſpaſmodicorum ſpecies explicat, et in vniuerſum ad duas claſſes reſpicit, omniaque antiſpaſmodica in ſpiritualia et materialia diuidit. Ad ſpiritualia refert animi affectus, et quemadmodum triſtitia, ira etc. ſpaſmos producant; ſic animi tranquillitatem, gaudium, ſpem etc. antiſpaſmodicorum vim exercere, oſtendit. Hinc quoque ad antiſpaſmodica refert exorciſmum, ſi homines, a cacodaemone obſeſſi, miris ſpaſmis excruciantur. Licet autem Cl. Auctor in explicanda animi natura ingenioſum ſe praebeat, et nonnulla, attentione non indigna, proferat, in pluribus tamen ei ſuffragari non poſſumus, et concedimus quidem, homines, ob mores inſigniter deprauatos, interdum in mirum ſpaſmorum genus incidere poſſe, quorum leuamen, precibus in auxilium vocatis, omnino ob tranquillitatem animo conciliandam, exſpectandum eſt, ſed longe facilior per medicamina curatio locum habet, caute tamen, cum multa haud raro ſubſit fraus, medicos hac in re verſari debere, putamus.

p. 51. Materialium antiſpaſmodicorum ſex genera conſtituit, eaque 1) in roborantia; 2) relaxantia; 3) inuoluentia; 4) temperantia; 5) paregorica; 6) irritantia diuidit. Roborantia, vt docet Noſter, vel tonica ſunt, id eſt, quae telam partium exterius firmant, vel neruina, quorum virtus interiora penetrat. Tonica rurſus ſunt ſimplicia vel compoſita; illa fibras ſtringunt, dum in earum elaſticitatem agunt; compoſita autem effectum conſtringentem edunt, dum irritabilitatem efficiunt. Ad ſimplicia

refert

refert aquam mediocriter frigidam, vitriolum martis, alumen, folia et cortices quercus etc. ad compoſita aquam valde frigidam, niuem, glaciem, corticem caſcarillae etc. Ad neruina a Cl. Auctore referuntur ſpiritus ardentes, olea aetherea et reſinae, quae per ſtimulantem, exſiccantem et attrahentem vim fibras roborare dicuntur.

Secundum genus antiſpaſmodicorum relaxantia conſtituunt, quorum quatuor ſpecies agnoſcit Noſter. Alia nimirum relaxant, dum ſmegma vnguinoſum et mucum naturalem rarefaciunt, vt lintea calefacta, corpori impoſita, infuſa aquoſa calida, fomentationes etc. haec exſiccantia vocantur. Alia fibris mollitiem et extenſilitatem conciliant, vt ſerum lactis, oleum amygdalarum dulcium, ſyrupus de althaea, fomentationes, balnea, embrocationes, thermae; his humectantium nomen imponitur. Alia ob principium vnctuoſum admodum volatile ſubtiliſſima interſtitia, quae olea craſſiora et aqua neutiquam ingrediuntur, penetrant et elementa fibrae ita obducunt, vt ad eorundem frictionem, a mutuo contactu dependentem, inſenſibilia ſint; haec fibram irritabilitate orbant, vt opium, camphora, caſtoreum, candelae carbo, goſſypium ambuſtum etc. et paregorica vocantur. Alia demum relaxantia, quae cauſſam mechanicam diſtentionis tollunt, vel fibram diſcindunt et deplent, mechanicorum nomine inſigniuntur, quorſum pertinent operationes chirurgicae, venaeſectio, partium inciſio, trepanatio etc. p. 58.

Tertium genus antiſpaſmodicorum ſiſtunt ea remedia, quae fibram obducunt ſeu inuoluunt. Ad haec referuntur oleoſa et mucilaginoſa, quae mucum naturalem ſuppeditant, deinde terrae abſorbentes, quae conſiſtentiam amiſſam reparant, de- p. 62.

mum calces metallicae et terrae bolares, quae vtramque vtilitatem ſimul praeſtant.

p. 65. Quartum genus temperantia comprehendit, quae ſtimulos, ſpaſmum producentes, auferunt. Referuntur ad hoc 1) diluentia, vt aqua, quae particulas acres a ſe inuicem disiungit, vt fibram vi vnita aggredi nequeant. 2) Attenuantia, vt aquae minerales, mercurius dulcis, ſalia neutra etc. quae materias viſcidas, acrimonia impraegnatas incidunt, iis dum mobilitatem et tenuitatem ad expulſionem neceſſariam conciliant. 3) Reſoluentia, vt camphora, flores benzoes, ſulphur, gummata ferulacea, ſalia volatilia etc. quae cum materiis concretis ſe coniungunt earundemque diſſolutionem efficiunt. 4) Abſorbentia, vt lapides cancrorum, magneſia etc. quae acidum aliasque acrimonias recipiunt ſicque acrimoniam infirmant. 5) Inuoluentia, vt cremor lactis, butyrum, olea vnguinoſa etc. quae ſpicula ſalina obducunt, et ita impediunt, quo minus fibram rodant et pungant. 6) Refrigerantia, vt pulpa tamarindorum, ſuccus citri, acetum, ſpiritus nitri, cremor tartari, nitrum etc. quae alcaleſcentem humorum ſtatum deſtruunt, putredinem refraenant, huiusque acrimoniam temperant et ſubſtantias inflammabiles, nimis euolutas, figunt et abſorbent, ſiquidem ab hiſce cauſſis fibrae, tumidae factae, ſe inuicem fricant et exaeſtuant. 7) Antizymotica, vt acida mineralia, olea aetherea, acida dulcificata, amara vegetabilia, ſalia amara etc. quae motus ſpontaneos vegetabilium fermentantium in primis viis compeſcunt et aerem abundantem, inde expulſum, abſorbent. 8) Anthelmintica, vt olea vnguinoſa, remedia foetida, mercurialia, acida, medicamenta lapidea, purgantia et vomitoria, quorum ſingula vermes vel ſuffocant,

vel

vel interficiunt, vel dilacerant, vel nidum eorum deſtruunt, vel vermes demum expellunt.

Quintum genus antiſpaſmodicorum exhibet pa- p. 70.
regorica remedia, quae in ſedantia et anodyna diuiduntur. Illa in ſolida agunt, haec autem ſpirituum moleculas moderantur. De efficacia horum remediorum in ſolida in tractatione de relaxantibus egit, hic autem vim eorundem in fluida conſiderat. Remedia haec, vt iam oſtendit, ex oleo vnctuoſo, admodum attenuato et depurato, conſtant, quod, ne cito diſſipetur, ab inuolucris gummoſis et reſinoſis recluditur, quibus per calorem animalem emollitis, vel per ſuccos corporis ſolutis, volatile iſtud euoluitur citoque per animale corpus diſtribuitur. Duplicem horum remediorum rurſus agnoſcit ſpeciem. In aliis, vt in camphora, croco, moſcho, caſtoreo etc. principium ſedans minus copioſum, minus ligatum minusque vnctuoſum eſt. Quae ſuperficiem ſpirituum obducunt, neque fluiditatem eorum turbant, ideoque virtutem eorundem irritantem refraenant, neque tamen ſufflaminant; haec a Noſtro anodyna vocantur. In aliis, vt in opio, hyoſcyamo, cynogloſſo, cicuta, candelae carbonae, goſſypio ambuſto etc. principium iſtud ſedans copioſum magis eſt, eiusdemque conſiſtentia tenacior, et glutinoſa magis. Quae ſpiritus non ſolum obducunt, ſed etiam iisdem ſe immiſcent, eos glutinoſos reddunt eorundemque motus ſufflaminant, atque iis omnem irritantem vim adimunt, haec narcotica appellantur.

Ad ſextum genus antiſpaſmodicorum irritantia p. 73.
referuntur. Rem ita declarat Noſter: dicit nimirum, fluidum nerueum eſſe ſtimulum fibrarum naturalem, per quem ad contractionem ſollicitentur. Quodſi nunc, pergit Cl. Auctor, pars quaedam

maiorem copiam fluidi neruei, quam antagoniſtae, recipiunt, aequilibrium tollitur et ſpaſmus oritur. Fac itaque, applicentur irritantia alteri parti, ſimiles in hac excitantur contractiones et ſpaſmus ceſſat. Sic ſternutatoria ſingultum ſoluunt. Verum alio quoque modo irritantia ſpaſmum tollunt, dum in parte, ſpaſmodice affecta, alium ſpaſmum excitant. Sic ſtranguria, a potu malae indolis producta, ceſſat, quam primum in vrethram immittitur granum ſalis, quod contractionem, a priore diuerſam, excitat. Simili modo tarantiſmus per nouas muſices vibrationes productas curatur. Sic cardialgia flatulenta per elixiria, ſpiritus et ſales volatiles tollitur. Aliam irritationis ideam dat actio fibrarum: ſi nimirum fibra irritata ſe contrahit, fibrillae, ex quibus ea conſtat, ſuper ſe inuicem gliſcunt, ſeque protrudunt; irritatione vero ablata, fibrillae rurſus ſuper ſe inuicem gliſcunt ſeque contrahunt. Duplex igitur in quaque fibra agnoſcitur vis, alia ſyſtaltica, alia diaſtaltica, et manifeſtum exemplum praebet cor, immo clarior eſt res, ſi ad actionem quorundam organorum e. g. ad penis, clitoridis, nympharum, vaginae etc. irritationem attendimus. Quartus irritationis modus in eo conſiſtit, vt actio, priori contraria, excitetur. Hac ratione agunt antiemeticum RIVERII et ſalia neutra in vomitu, et ipecacuanha in diarrhoea habituali. Illa enim motus verſus inferiora, haec autem verſus ſuperiora dirigunt ideoque contrario modo dum agunt, morbum tollunt. Vltimus demum irritationis modus eſt, ſi torrens ſpirituum per nouam cauſſam intenditur, ita, vt hac ratione materies, fibris adhaerens vel impacta, auferatur. Sic conuulſiones frigida aqua leuat, ſic vomitus vomitu curatur. Ex his colligit Cl. Auctor, remedia antiſpaſmodica eſſe vel reuellentia, vel deriuantia. Reuellentia ſunt, quae fluidum

nerueum

nerueum a parte affecta remouent, deriuantia autem ſunt, quae tonum partis conuulſae mutant, ſiue fibras antea tranquillas ad motum ſollicitent, ſiue vim diaſtalticam fibrarum contractarum excitent, ſiue directionem motuum inuertant, ſiue demum motus augeant. Cuncta haecce remedia vel externa vel interna ſunt; ad illa v. g. pertinent veſicatoria, electricitas, muſica etc. ad interna acida, alcalia, neutra et inflammabilia corpora referuntur.

In capite quarto de vſu antiſpaſmodicorum in morbis agit Cl. Auctor, remque eodem ordine, quo remedia conſiderauit, pertractat. Primo itaque vſum remediorum ſpiritualium declarat. Si nimirum ſpaſmi ab animi paſſione producuntur, aliam paſſionem contrariam excitandam ſuadet Noſter, immo memorata auxilia non ſolum in morbis ſpasmodicis per animi affectus productis, iuuare, ſed etiam in omnibus morbis, qui non niſi in imaginatione aegri graues ſunt, multum valere putat. Hinc, ſi aegrotantes medico confidant, multum ab eius conuerſatione et perſuaſione, et de concipienda ſpe ex remediis et peritia medici, de qua modo decenti aegros perſuadeat medicus, exſpectandum eſſe, monet, et aegros inprimis quocunque modo reſpectu animi per ſalutis recuperandae ſpem tranquillos reddi, iubet, quo medicamenta meliori cum ſucceſſu agere, bonumque et neceſſarium effectum edere queant. Quod ad exorciſmum attinet, medicis ad ſymptomata praecipua, quae aegros a daemone obſeſſos eſſe declarent, attendendum eſſe, monet. Sique tunc nullum dubium ſuperſit, exorcismum locum omnino habere, autumat: immo affirmare non dubitat Cl. Auctor, ſe, per viginti quatuor annos praxin medicam exercentem, vnicum tantum caſum habuiſſe, vbi infantem, terroribus horrendis vexatum, loco quodam ſacrae ſcripturae

p. 83.

 reci-

recitato, plus vice ſimplici tranquillum factum eſſe, dicit.

p. 91. Quod ad antiſpaſmodica materialia attinet, in explicando eorum vſu eundem ordinem ſequitur, quam in praecedentibus iam obſeruauit. Primo itaque de vſu antiſpaſmodicorum roborantium agit. Haec, vt docet, in genere quidem conueniunt, vbi fibra nimis laxa eſt, verum ſi cauſſa morbi ſpaſmodici accuratius disquritur, memorata remedia roborantia, ſi etiam indicantur, promiſcue tamen propinari nequeunt, ſed interdum tonica, interdum neruina propinanda ſunt, et inter haec etiam ſelectus inſtituendus eſt. Alius enim eſt ſtatus laxitatis, vbi plethora eſt, alius, vbi ob laxitatem acidum vel acrimonia fermentans generatur, alius, vbi viſcidum producitur, alius, vbi nerui male afficiuntur. Quapropter pro diuerſa cauſſarum indole variaque roborantia, hic a Cl. Auctore commendata, deprehendimus. Simili ratione et relaxantium et reliquorum antiſpaſmodicorum vſum indicatum reperimus, de quibus autem, cum Cl. Auctorem vbique ſequi nequeamus, nihil decerpere licuit.

VI.

PETRI HARDUINI Veronenſis, Horti publici Patauini cuſtodis, Animaduerſionum botanicarum ſpecimen alterum. Venetiis, 1764. ex typographia Sanſoniana, 4. pl. 4. tab. aen. 20.

Iam ante aliquot annos Cl. Auctor ſpeciminis loco plantas quasdam in horto Patauino cultas, neque ab aliis ſufficienter deſcriptas, accuratius determinare iconibusque illuſtrare ſtuduit *); ad talem labo-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. X. Part. IV. p. 692.

laborem denuo ſuſcipiendum excitatus fuit, nouo plantae cuiusdam genere detecto, quod in honorem ſummi ſui Patroni, eccleſiae Torcellanae epiſcopi, *Corneliam* dixit. Hanc plantam, ne ſolam et nudam quaſi deſcriberet, cum aliis inſimul combinauit, quas aut nouas eſſe, aut pro nouis haberi poſſe autumauit, ita vt praeſenti ſpecimine viginti trium plantarum deſcriptiones iconesque nobiscum communicauerit. Sunt vero 1) *Cornelia verticillata*, quae ſponte in agris patauinis proueniens, ex radice annua, caulem emittit erectum, brachiatum, quadrangularem, cui folia inſiſtunt oppoſita integerrima, glabra, quorum inferiora ſubpetiolata ſunt, ſuperiora autem ſeſſilia. Flores in alis foliorum ſedent verticillatim poſiti. Calyx monophyllus, campanulatus, limbo terminatur quadripartito patente. Corolla ex quatuor minimis, purpureis, ſaepiſſime conuolutis petalis conſtat. Filamenta quatuor tubo calycis inſeruntur, germinique incumbunt. Stylus vix vllus eſt, ſtigma vero capitatum. Sequitur ſuo tempore capſula ſubrotunda, vnilocularis, calyce veſtita, eoque coronata, cuius medio receptaculo numeroſiſſima ſubrotunda exigua ſemina adhaerent. Quamuis vero haec planta aliquam cum ammannia baccifera LINNAEI affinitatem habere ipſe autumauerit Auctor; ob dictos tamen characteres, et praecipue ob calycem quadridentatum, capſulamque vnilocularem, eam nouum genus conſtituere, nouoque nomine inſigniri debere conſultius duxit. 2) *Saluia ceratophylloides*, cui radicem perennem Noſter adſcripſit, cum alias biennis vtplurimum inueniatur. 3) *Valeriana ſupina*. Hanc plantam in altiſſimis Carinthiae montibus creſcentem, vt nouam ſpeciem, a congeneribus ſuis floribus tetrandris, caule repente, foliis radicalibus cuneiformibus, emarginatis, ciliatis diſtinctam deſcribit.

 4) *Pa-*

4) *Panicum vndulatifolium*, et 5) *Panicum oryzoides* nouas, nec ab vllo antea ſufficienter determinatas ſpecies eſſe, fuſiore ſermone comprobare ſtuduit. Etſi enim LINNAEUS opinatur, panicum vndulatifolium ſimillimum eſſe panico hirtello, a BROWNIO in Iamaica detecto; huius tamen ſententiae neutiquam ſubſcribendum eſſe vel ideo Auctor credit, quod hanc ſpeciem in vmbroſis et valde frigidis locis inuenit. Habet vero haec planta caulem repentem, hirſutum, foliis ouato-lanceolatis, vndulatis, circa vaginas piloſiſſimis, obſeſſum, ſummo culmo inſiſtit ſpica compoſita, obſcure purpurea, ſpiculis vnifloris ariſtatis, ariſtis viſcoſis inaequalibus praedita. *Panicum* autem *oryzoides*, cuius ſemina fortuito caſu inter oryzam Auctor inuenit, ſpicam gerit compoſitam nutantem, ſpiculas ſecundas ariſtatas, rachia trigonam. 6) *Melica Braſiliana*, petalo exteriore ſolitario, amplo, vexillato, nouam generis huius ſpeciem conſtituit. 7) *Sesleria coerulea*, culmo ſimplici, ſpica ſubcylindracea. Sesleriae genus SCOPOLI condidit, LINNAEUS autem plantam, hoc nomine deſcriptam, cynoſurum caeruleum dicit. Cum vero Cl. Auctor plures, et a cynoſuro diuerſos characteres in hac planta ſe detegiſſe autumauerit, ſesleriae nomen retinuit, quo planta a cynoſuri genere ſit diſtincta. 8) *Sesleria ſphaerocephala*, culmo ſimplici, enodi, ſpica ſubrotunda inuolucrata. Quoad partes fructificationis haec planta ad idem genus referri debet, habitu tamen a ſesleria coerulea differt. 9) *Sagina apetala*, caulibus erectis, radice annua, floribus apetalis. Ne forſan haec planta vt varietas tantum ſaginae procumbentis habeatur, 10) *Saginam procumbentem* ſimul iuxta poſitam delineari Auctor curauit. 11) *Saponaria illyrica*, caule dichotomo, hirſuto, floribus faſtigiatis, corollis patentibus, petalis inte-

integris tripunctatis. 12) *Arenaria graminifolia*, foliis lanceolatis rigidis hirſutis; caule erecto trifloro. In hac planta interdum quatuor, interdum quinque ſtylos Auctor numerauit, et capſulam tunc aut quadrifariam, aut quinquefariam apice dehiſcentem vidit. 13) *Ceraſtium illyricum*, noua haec ſui generis ſpecies a reliquis facile internoſcitur caule dichotomo piloſo, ad genicula nodoſo, ramoſiſſimo, capſulis ouatis, calycibus, foliisque barbatis. 14) *Anemone decapetala* foliis ternatis, foliolis trilobis, punctatis, pedunculo ſimplici inuolucrato, flore vnico decapetalo. 15) *Meliſſa maxima* foliis ouato oblongis ſerratis vtrinque acutis, baſibus mucronato-glanduloſis, ſpicis ſecundis, floribus oppoſitis. Eſt nouum genus a LINNAEO *Perilla* dictum, olim *ocymum fruteſcens* appellatum. 16) *Alyſſum petraeum* caulibus ſuperne ramoſis, ramis diuaricatis, flexuoſis, ſiliculis ſubinflatis tetraſpermis. 17) *Alyſſum orientale* caulibus fruteſcentibus paniculatis, ſiliculis obcordatis compreſſis diſpermis. Ambae hae Alyſſi ſpecies, cum a nemine antea ſufficienter ſatis fuerint deſcriptae, accuratius determinare iconibusque illuſtrare eo facilius Cl. Auctor potuit, quo certius primus fuit, cui characteres earundem disquirere data fuit occaſio. 18) *Thlaſpi minimum* ſiliculis obcordatis foliis inferioribus ouatis petiolatis, ſuperioribus ſagittato-lanceolatis amplexicaulibus. 19) *Lepidium ſpinoſum*, foliis pinnatifidis, pinnulis ſurſum criſtatis, ſuperioribus longiſſimis, ſpicis ſubulatis. Quamuis partes fructificationis huius plantae cum reliquis lepidii ſpeciebus accurate conueniant; peculiaris tamen eius habitus, a nullo hactenus indicatus, nouam et peculiarem ſpeciem conſtituit. Ob ſaporem naſturtinum haud ingratum, tum cruda, tum elixa ad varia acetaria adhibetur. 20) *Prenanthes chondrilloides*,

floſculis vndenis, calycibus octofidis, foliis lanceolatis integris, et dentatis. 21) *Bidens bullata*, foliis ouatis ſerratis, inferioribus oppoſitis, ſuperioribus ternatis, intermedio maiore. Hanc plantam Cl. Auctor ſponte prouenientem in Italia reperit, cum tamen LINNAEUS eidem Americam ſolam patriam aſſignauerit. 22) *Cacalia linifolia* foliis linearibus integerrimis, caulibus vnifloris. Dicta olim fuit haec planta a PONTEDERA ſenecio braſilienſis linariae folio, accuratiori tamen et repetito examine inſtituto Noſter inuenit, eam cacaliae characteres habere, ideoque huic generi adiungendam. 23) *Eupatorium alternifolium*, foliis alternis, calycibus multifloris, pappo ſeminis plumoſo.

VII.

A. CORN. CELSI de medicina libri octo. Ex fide vetuſtiſſimorum librorum recenſuit, innumeris deprauationibus, partim aliunde, partim a LINDENIO inuectis, liberauit, lectiones variantes et animaduerſiones, tum aliorum probatiſſimorum auctorum, CAESARII, CONSTANTINI, IOS. SCALIGERI, CASAUBONI, ALMELOVENII, MORGAGNI, TRILLERI, tum ſuas, nec non indices copioſos aliaque adiecit CAR. CHRISTIAN KRAUSE. Lipſiae. Sumtibus Caſpari Fritſchii, 1766. 8. Alph. 2. pl. 6.

Cum CELSUS, iam temporis diuturnitate et librariorum negligentia male habitus, a LINDENIO praeterea ſaepe numero nimis mutatus eſſet, Cel. KRAUSIUS textus recenſendi conſilium cepit, ſuique operis velut baſin eſſe voluit Patauinam a.

1750

1750 editionem, e recenſione LINDENII. Praeter notabiliores editiones, quas p. 12 praefationis commemorauit, et in titulo vetuſtiſſimorum librorum nomine indicauit, vſus eſt variis lectionibus libri octaui, ab ANT. COCCHIO a. 1754 e cod. Florentino prolatis, copioſis illis quidem, ſed raro vtilibus. Ex quo Cel. KRAUSIUS concluſit, ſi ne in eo quidem CELSI libro, qui omnium maxime vexatus eſſet, ab antiquo codice, plurium varias lectiones continente, multum adiuuari potuiſſet, tanto minus fructuum ab aliis codicibus in aliis libris exſpectandum videri. Illud etiam fatetur, ſe conferendis editionibus intellexiſſe, Florentinam ed. anni 1478 eſſe quouis codice praeſtantiorem, quod, niſi conſultis vbique codicibus, vix defendi poteſt. Si qua praeterea in re a veteribus aut recentioribus CELSO opera impenſa eſt, id omne KRAUSIUS ſe adhibuiſſe dicit. In quatuor autem genera lectionum textum *Lindenianum* diſtribuit, primumque fecit earum, quae, etiamſi in reliquis omnibus aliter ſcriberentur, ita tamen perſpicuae apud LINDENIUM eſſent, vt mutari prorſus non deberent: ſed quaedam, quamuis perſpicua, ab huius ingenio eſſe. Hic ergo lex de deſerendo LINDENIO, aut non deſerendo, conſtituenda erat, cum vna perſpicuitas lectionis, ipſo KRAUSIO concedente, non vbique valeat; neque enim poteſt perſpicuitas LINDENII omnibus libris opponi; rurſus debet opponi. In quo niſi editor normam certam ſequatur, criſis mere arbitraria fuerit. Alterum genus eſt, quod lectiones, in priſcis libris meliores, quam in *Lindeniana*, continet. Sunt et dubie ſcripta loca, vt neſcias, vtrum LINDENIUM, an priores ſequare, in quibus KRAUSIUS, ſi e paucis, ab eo in praefatione poſitis, de omnibus concludere licet, antiqua reuocauit. Quaedam denique, in priſcis

libris

libris obuia, nullam habent veri ſpeciem, vbi LINDENIUS vel conſentit cum antiquis, vel ipſae falſae lectiones in variis libris variant, quas KRAUSIUS ſaepe ex ingenio mutauit. Itaque lectores in hac *Krauſiana* recenſione mox aliquid ex antiquis editionibus, mox e *Lindeniana*, ſiue ingenio LINDENII debeatur, ſiue fluxerit e libris, mox e KRAUSII ingenio reperient. Neque ergo haec editio eſt mera repetitio textus *Lindeniani*, neque mera recenſio veterum editionum, ſed noua mutatio aut recenſio textus *Lindeniani*. Nam qui veteres editiones recenſet, aut neminem ſequi debet, ſed ipſe textum conſtituere e legibus criticis, aut, quoniam nemo hic errorem praeſtare poteſt, vni editioni conſtanter adhaerere, et ſuo quasque loco notare coniecturas atque varias lectiones, adiecta criſi. Varietas lectionis ſingulis paginis ſubiecta eſt, permultarum tamen fons non indicatus, niſi quod eae, quae a *Lindeniana* editione recedunt, litera L ſignantur, quo quidem modo effectum eſt, vt textus *Lindenianus* etiam in hac editione reperiretur. Et quamquam in notis multarum ſedes et auctoritas commemoratur, tamen de innumeris non conſtat, vnde ductae ſint. Videamus exempli cauſſa p. 164. e lib. 3. c. 21. Hic ſexies recedit KRAUSIUS a LINDENIO, ſed vtrum ingenio ductus, an libris fretus, et quibus, non adparet. Eadem pagina duas alias habet varietates, ſed incertum eſt, vnde petitae ſint. Hac omni admonitione noſtra nihil detractum imus labori Cel. KRAUSII, quem mirifice admiramur, cum paucis haec patientia in excutiendis libris antiquis contigerit; tantum dolemus, exhauſto ſemel labori dimidium fructum demtum eſſe, qui, additis editionum nominibus, certo teneri potuiſſet, praeſertim cum in notis, quotiescunque de lectione disputatum eſt, acute et vere iudicarit

KRAU-

KRAUSIUS. Quam bene igitur cum CELSO actum fuiſſet, ſi aequalem ei hanc operam vbique impendere doctiſſimus editor voluiſſet, et quam vere tunc intelligeretur, id quod ab initio praefationis dixerat, LINDENIUM in edendo CELSO iuſto audaciorem fuiſſe. Sunt et aliorum ſcriptorum loca ſubiecta ſingulis paginis, quo modo ALMELOVEENIUS inſtituerat, ſed ſubinde aucta: inprimis illud curatum eſt, vt CELSI ipſius ſimiles loci et diligenter et copioſe indicarentur, cum ita saepe numero confirmaretur electa ex editionibus priſcis lectio, quae ratio, quod libenter fatemur, ſuperiorem noſtram dubitationem aliqua ex parte imminuit. Paginae, quamdiu CELSI ipſius libri impreſſi ſunt, reſpondent *Almeloueenianae* editioni. In notis, de quibus nunc dicendum eſt, diſcrepare incipiunt. Nam praeter eas, quas et ALMELOVEENIUS edi curauit, facta eſt non contemnendarum obſeruationum acceſſio ex quinque MORGAGNI epiſtolis de CELSO, a. 1750 in *Vulpiana* editione primum editis. Tum ipſe KRAUSIUS plures adiecit, in quibus vel de lectione, vel de ſenſu ſubtiliter et breuiter disputatur. Sic p. 566 redditur haec ratio, cur p. 7. l. 13. *contractum* editum ſit, quia *contracta* frons ſit rugoſa, et *laeuori* poſſit *contractus* opponi. P. 573 oſtenditur, cum p. 31. l. 28 verba *et latus* abſint a libris, quibus vſus erat KRAUSIUS, omiſſa nunc eſſe, etſi legantur in *Lindeniana*. Sic p. 586 docetur, abeſſe verbum *ſciens* p. 57. l. 12 ab omnibus, tum *intellexit* pro *inclamauit* ſcribi, ibidemque l. 21 *notam*, non *fidem notam*: atque ſic KRAUSIUS omnia reſtituit. Paucis repetita ſunt p. 601, quae MORGAGNUS copioſius explicarat. A p. 747 ad 777 editae ſunt Cel. TRILLERI obſeruationes criticae ad CELSUM, quas KRAUSIUS ab eo acceperat, quibus cum tres tantum libri illuſtrentur,

iure exiſtimat KRAUSIUS, iis legendis effici poſſe, vt cetera, quae TRILLERUS nunc abſoluere non potuerat, a lectoribus CELSI ſtudioſis cupide exſpectentur. Ac plus profecto praeſtant hae obſeruationes, quam promiſerant: nam aeque philologicae ſunt, ac criticae, cum et de ſenſu disputetur, et Graecorum Latinorumque loca conferantur. Mauult p. 6. l. 16 *occinuntque* vel *abſceduntque* mutari ex *acceduntque*, cum contraria ſuperioribus ſententia tradatur. *Dolor incidit* p. 7. l. 17 forte ex *inſidit* ortum eſt, quae ſaepe confuſa eſſe in libris CELSI, TRILLERUS opinatur. Sed non eſt huius loci, haec vberius recenſere. Loca CELSI, cum Graecis collata ab HENRICO STEPHANO, hic non repetita ſunt; ſuaſiſſe enim hoc MORGAGNUM; tum multa deeſſe, denique e locis, vbique in ipſius textus paginis indicatis, qui Graecus haec eadem dixerit, diſci poſſe. Index omnium alimentorum et medicamentorum, quae in libris CELSI commemorantur, plane nouum eſt huius editionis additamentum, cuius conficiendi vtiliſſimum conſilium grato animo agnoſcent, quotquot medicae artis hiſtoriam inprimis amant. Ineſt et vita CELSI, a IO. RHODIO ſcripta, tum index librorum, quibus LINDENIUS vſus eſt, alius item editionum, auctior quam in ALMELOVEENII editione, denique iudicia de CELSO.

VIII. MOR-

VIII.

MORTEN THRAVE BRÜNNICHII Entomologia, ſiſtens inſectorum tabulas ſyſtematicas cum introductione et iconibus. Hafniae.

M. TH. BRÜNNICH Inſektlaere, indeholdende Inſekternes Syſtematiske Tavler, ſamt Indledning og Figurer. Kiobenhavn, 1764. trykt hos Andr. Hartv. Godiche. 8. pl. 6. tab. aen. 1.

Cl. huius libelli Auctor inſectorum deſcriptiones, vel ex Linnaeano ſyſtemate ſumtas, vel ad ſpecimina, quae ipſe in muſeo conſeruat, exaratas, eo conſilio in tabulas ſyſtematicas redegit, vt tirones eo facilius genus inſecti cuiusdam determinare illiusque differentiam ab aliis perſpicere poſſint. Hinc huic libro, qui latina lingua conſcriptus eſt, Danicam addidit verſionem, quo et ii, qui vernaculam tantum linguam ſciunt, entomologiae cognitionem ſibi adquirere queant. Praemiſit introductionem aliquam, in qua de inſectis, eorum natura et partibus, nec non praecipuis entomologiae ſcriptoribus breuiter exponit. In tabulis vero ſyſtematicis ipſis ea p. 43.
vſus eſt methodo, vt omnia inſecta in ea, quae caput a thorace diſtinctum habent, et ea, quorum caput cum corpore vnitum eſt, diuideret. Priora vel hexapoda ſunt, elytris inſtructa aut iis carentia, vel polypoda vti *Oniſcus*, *Scolopendra*, *Iulus*; poſteriora pedes natatorios vt *Monoculos* vel ambulatorios vti v. c. *Cancer*, *Aranea* etc. habent. Adnexa eſt tabula aenea, in qua praeter varia inſecta, iam cognita, nouum quoque genus, *Pyckogonum* a Cl.

Auctore

Auctore ob crebras articulationes dictum, depingitur, quod alii ad *Phalangii* genus retulerunt. *Neparum* quoque capita antennis inſtructa eſſe, contra Cl. SULZER demonſtratur illaeque ad microſcopium delineatae in figura aliqua exhibentur.

IX.

M. TH. BRÜNNICHII Ornithologia Borealis, ſiſtens collectionem auium ex omnibus, imperio Danico ſubiectis, prouinciis inſulisque borealibus Hafniae factam, cum deſcriptionibus nouarum, nominibus incolarum, locis natalium et icone. Hafniae, 1764. 8. pl. 6. tab. aen. 1.

Maxima pars auium, quae in hac ornithologia continentur, in muſeo auium Danicarum aſſeruatur, quod ad 300 ſpecies continet atque ab Ill. de FLEISCHER Hafniae inſtructum eſt, cuius quoque muſei rariora in praefatione a Noſtro breuiter indicantur. Addidit tamen alias aues Danicas, vel extra muſeum viſas, vel e ſcriptoribus Danicis, v. c. ex Cl. PONTOPPIDANO, STRÖEM etc. deſumtas, quas tamen omnes minoribus typis et absque numeris ſuis locis inſeruit. Adduxit vbique faunam Suecicam vel ſyſtema Cel. LINNAEI, aut ſi in his libris deficiunt, aliorum auctorum nomina. Multa quoque noua in hac ornithologia contineri, ex deſcriptionibus ſaepe additis earundemque cum deſcriptione aliorum auctorum comparatione patet.
p. 32. Nouum eſt quoque *Catarrhactae* genus, quod habet roſtrum rectum ſubcylindricum, apice aduncum, cera inſtructum, pedes tetradactylos, poſtico ſoluto, anticis palmatis, linguam caniculatam, apice bifido,

atque

atque quod *Phaëthontem* L. continet, a genere *Catarrhactis* BRISSONII differt. Huius generis nouam ſpeciem, quam *Apphus* dicit, delineare curauit. *Colymbos* quoque tridactylos a reliquis tetradactylis ſeparauit nouumque *Vriae* genus inde conſtituit. p. 28.

X.

Inſtructions ſimples et aiſées ſur les Maladies de l'urethre et de la veſſie, miſes a la portée des perſonnes, qui en ſont affligées, et pour l'avantage des jeunes Chirurgiens. Par GEORGE ARNAUD, ancien Membre de l'Acad. Roy. de Chirurg. de Paris, et Membre de la Société des Chirurgiens de Londres. à Amſterdam, chez Francois Changuion, 1764. 12. pl. 15.

i. e.

Simplex et facilis inſtructio circa morbos vrethrae et veſicae, accommodata captui eorum, qui iſtis laborant, et vſui Chirurgorum iuniorum. Auctore GEO. ARNAUD.

Cl. Auctor, qui Londini chirurgiam facit, variisque de herniis libris innotuit, eo potiſſimum conſilio huncce libellum publicauit, quo commendet vſum cereolorum ſuorum medicamentoſorum, qui ratione compoſitionis, quam tamen arcanum habet, multum cum cereolis Cl. DARAN et GOULARD conueniunt. Negandum tamen non eſt praeter illam arcani huius remedii commendationem varia adhuc in libro hocce contineri lectu non indigna. Exponitur autem primo de partibus genitali- p. 1.

bus vtriusque ſexus, morbis vrethrae in vniuerſum, atque callis et excreſcentiis variis, quae ſine morbo venereo praegreſſo ex laeſione vrethrae a calculo aliisque cauſſis, per quas inflammatio in hoc canali excitatur, oriri ſolent. Attamen non tantum in hiſce morbis cereoli Auctoris multum commendantur, ſed longe magis adhuc in ea vrethrae anguſtia, quae poſt gonorrhoeam ab excreſcentia in vrethra, aut ſcirrho glandularum vicinarum, aut aliis ſimilibus cauſſis excitatur, in quibus malis omnibus vnicum auxilium in cereolorum adplicatione poſitum eſſe deprehenditur, qua vel radicalis, vel ſi morbi vis medicamenti efficaciam ſuperat, palliatiua cura obtinetur.

p. 54. Ipſa vero gonorrhoea a Cl. Auctore in internam acutam vel ſimplicem, externam et habitualem diuiditur. Ex his gonorrhoeae internae acutae ſiue malignae natura explicatur a Cl. Auctore, compara-
p. 70. tione inter illam et coryzam inſtituta. Teſtium tumores, qui in hoc morbo haud raro accedunt, oriuntur ab inflammatione proſtatae et veſicularum ſeminalium, quibus partibus tumefactis, progreſſus ſeminis ex teſticulis impeditur. His propoſitis Cl. Auctor originem excreſcentiarum carnearum explicat, quae inprimis in fine curationis gonorrhoeae oriuntur, oſtenditque in eo morbi ſtadio ſummam medici curam ad haec mala impedienda requiri.
p. 80. Sedem gonorrhoeae malignae in foeminis non in vagina, ſed in glandulis vrethrae et orificii vaginae eſſe fuſius Noſter demonſtrat, atque ex hac re oſtendit, qua ratione hic morbus a fluore albo non venereo, in quo morbo ipſum collum vteri ſemper tumidum eſt, diſtingui poſſit. In gonorrhoea enim ſemper dolor in orificio vaginae, nunquam in ipſa vagina eſt illudque orificium tumidum deprehenditur, atque, ſi lotium emittitur, dolet. Porro in gonorrhoea humor

humor perpetuo exſtillat, cum contra in fluore albo per noctem non effluat, ſed in vagina ob ſitum corporis horizontalem in lecto, colligatur. Quodſi denique linteo carpto cauitas vaginae repletur, aliudque linteum intra labia vuluae immittitur, in priore fluoris albi, et in altero gonorrhoeae veſtigia facile deprehendi poſſunt.

Progreditur porro ad gonorrhoeam ſimplicem, tandemque ad externam, in qua ex glande et praeputio materia alba viſcida, vel ichor, vel tandem lympha eaque tanta in copia exſudat, vt in aegro quodam ſingulis diebus ad quatuor vncias profluxerint. Haec vero gonorrhoeae ſpecies, vel a coitu impuro, vel a ſpuritie oritur et nonnunquam habitualis fit atque tunc difficillime curatur. Ex ea diutius tolerata phimoſis, peſſimaque vlcera oriuntur. In vniuerſum vero in eius curatione Cl. Auctor ſcarificatione et vnguento quodam vtitur, quod cum emplaſtro, quo cereolos ſuos obducit, conuenit. In foeminis ſedes huius gonorrhoeae in nymphis eſt, eandemque curationem exigit. In habituali tandem vnicum auxilium cereolorum medicamentoſorum adplicatio adfert.

Adiectae ſunt obſeruationes quaedam, in quarum p. 138.
prima hiſtoria fiſtulae vrethrae peſſimae notae cum tumore ſcroti, poſt gonorrhoeam, male curatam, ortae, continetur, quam ſine ſcalpelli auxilio ſolo cereolorum vſu ſanauit, quibus carneam quandam in vrethra eminentiam, illam anguſtantem, deſtruxit, quae cauſſa huius mali exſtiterat. Tumorem vero ſcroti et callos cataplaſmatibus et vnguento ſupra laudato reſoluit. Stranguriam ex ſcorbuto oriri poſſe ſecunda obſeruatio confirmat. Tertia agit de incontinentia vrinae ex ſcirrho proſtatae, in qua cereolorum vſu palliatiuam curationem obtinuit. De ſtranguria ex hyperſarcoſi quarta, de grangraena

 penis

penis ex gonorrhoea externa, atque de eadem gonorrhoeae ſpecie duae ſequentes agunt, atque ξυτεος in hoc morbo vſus confirmatur. Octaua eſt de puella vndecim annorum, gonorrhoea externa affecta, nona de abſceſſu perinaei ex gonorrhoea, male curata, decima de polypo vrethrae poſt gonorrhoeam, male curatam, qui ex vrethra propendebat, et tandem cereolorum vſu deſtructus fuit. Vndecima et duodecima ad eundem morbum pertinent, atque in duabus ſequentibus obſeruationibus probatur ophthalmiam aliaque oculorum vitia poſt gonorrhoeam, haud recte curatam, oriri. Reliquae agunt de retentione vrinae, per cereolos curanda, de callo et anguſtia vrethrae ab calculo, de vaginae coalitu poſt partum difficilem et noxa iniectionum adſtrin-
p. 193. gentium ad gonorrhoeam ſupprimendam. Sequuntur viginti ſex quaeſtiones circa morbos venereos curioſae magis, quam vtiles, tandemque Cl. Auctor cereolorum applicationem explicat, quos ita adfigit, vt ſemper in vrethra remaneant. Adnexa eſt explicatio vocabulorum artis, quibus Cl. Auctor vſus eſt, et epiſtola ad Cl. GOULARD, quae varias adnotationes ad opera Eius chirurgica continet.

XI.

Phyſikaliſch-Mikroſcopiſche Beſchreibung eines beſondern phoſphoreſcirenden und faſerichten Steins; mit Vergleichung der Bononienſiſch leuchtenden Steine, auch einiger anderer demſelben ähnlicher Mineralien und Foſſilien. Von dem Verfaſſer der mikroſcopiſchen Gemüths- und Augenergötzung. Nürnberg, bey A. L. Wirſing, 1764. 4. pl. 3. tab. aen. color. diſtinctae 6.

i. e.

Deſcriptio phyſica et ad microſcopia facta lapidis cuiusdam phoſphoreſcentis et filamentoſi, eiusdemque cum Bononienſi lapide comparatio, cum deſcriptione aliorum ſimilium foſſilium.

Cl. LEDERMÜLLER hocce libello deſcribit pingique curauit lapidem aliquem, quem ex Palatinatu ad Rhenum a quodam Fautore accepit. Is, videſcente colore praeditus, tubulis pellucidis conſtat, ſatis praeterea ponderoſus eſt ſingularemque qualitatem habet, vt noctu, ſi leuiter tantum fricatur, luceat, nulla praeuia calcinatione, qua in re a Bononienſi lapide diſtinguitur, qui poſt calcinationem tantum phoſphoreſcit. Illum vero lapidem neque ad *pſeudogalenam* (*blende*) neque ad *fluores* (*flüſſe*) pertinere, ſed eſſe ſpathum tenuiſſimum pennarum facie, terra calcarea intermixtum, pluribus demonſtratur, inprimis in epiſtola quadam Cl. TROMLERI, p. 7. qui fodinis Naylenſibus in marchionatu Baruthino praeeſt, qui etiam ſuſpicatur cuprum in eo contineri. Dolendum tamen eſt, hunc lapidem non che-

 mice

miee examinatum eſſe, cum, illo examine haud ſuſcepto, nil de vera natura illius lapidis ſatis curioſi ſtatui poſſit. Cum vero hic lapis filamentis conſtet, Cl. LEDERMÜLLER placuit hac occaſione varios alios filamentoſos lapides depingere. Ipſe lapis, hic deſcriptus, in prima tabula exhibetur vna cum artefacta pictura in marmore, atque omnino dolendum eſt, Cl. Auctorem his nugis pretium libelli huius auxiſſe. Secunda tabula ad tubulariam quandam, ſpathum aliquod plumoſum et lapidem viridescentem tabuloſum alium pertinet. Tertia amianthi ſpeciem et praeterea, vti quarta tota, minerarum ferri figuras continet. In quinta Bononienſis lapis ex MENZELIO et MARSIGLI delineatur. In ſexta tandem flores vitrioli albi, in Palatinatu in fodina quadam vitrioli reperti exhibentur.

XII.

ANTONII BRUGMANNI, A. L. M. Philoſ. Doct. eiusdemque Facultatis in Academia Franequerana Profeſſoris ordinarii, tentamina philoſophica de materia magnetica, eiusque actione in ferrum et magnetem. Franequerae, excudit Guil. Wulon, 1765. 4. Alph. 1. pl. 7. tab. aen. 6.

Inter ſcripta phyſica, quae noſtra tulit aetas, ſingularem meretur attentionem hic Cl. BRUGMANNI liber, qui multo et diuturno ſtudio in phaenomena et cauſſas magnetiſmi inquiſiuit, et hoc inprimis egit, vt illa phaenomena ad leges generales reduceret. Quem laborem quum ſibi non male ſuccedere intelligeret, propoſitiones generales,

quas

quas inuenerat, in hunc librum conferre, acpublici iuris facere, inſtituit. Et ſane, hoc facto, magnam gratiam ab omnibus, quibus virium magneticarum theoria cura et recta philoſophandi via ac ratio nota eſt, iniiſſe nobis videtur, licet perfectam magnetiſmi theoriam in hoc libro non ſint deprehenſuri. Equidem quum primum ad experimenta magnetica Auctor animum appelleret, perſuaſus fere erat (vt ſub finem praefationis ſcribit) de ſumma probabilitate ſyſtematis, quod ad explicanda phaenomena magnetiſmi motu fluidi ſubtilis, quod circa quemlibet magnetem ad inſtar vorticis ſimplicis gyretur, et ſingulari figura ac diſpoſitione pororum ferri vel magnetis, vtitur, prout illud a ſummis viris EULERO et BERNOULLIIS mirifice excultum et expolitum habemus. Sed in curſu ſtudii ſui enatas ſibi vidit tam graues aduerſus illud ſyſtema dubitationes, vt id omnino miſſum facere cogeretur. Eas dubitationes exponit, vbi ſummorum illorum virorum hac de re meditationes ſtrictim recenſet, a pag. 83 ad pag. 102.

Ipſe, licet concedat, neceſſe eſſe, vt magnetis, p. 103.
et ferri in magnetem conuerſi, particulae aliter, quam in omni alio corpore, diſpoſitae ſint, tamen de ſingulari iſta ſtructura nondum aliquid affirmare audet, quum circa hanc rem ab experientia adhuc deſtituatur ratio: de materia autem magnetica hoc tantum ſibi certo conſtare ait, eſſe eam e duobus fluidis ſubtiliſſimis compoſitam, quorum alterum, copioſius collectum, ad vnam magnetis partem conſtituat polum magneticum borealem, alterum, ad reliquam partem accumulatum, efficiat polum auſtralem; haec duo diuerſa fluida per omne ferrum, p. 109.
quod ſe ad ea fluida, vti ſpongia ad aquam, habeat, aequali copia naturaliter diſtributa, et ſic quum inuicem permiſta, tum ferro intime admiſta, in aequi-

 librio

librio eſſe; quatenus vero aequilibrium inter illa tollatur et alterutrum eorum, a ſe inuicem et a ferro ſeparatorum, ad vnam ferri partem in maiori copia colligatur, quam alterum ad alteram, ferro conciliari virtutem magneticam; et, vbi haec duo fluida, ſic ſeparata, rurſus inuicem commiſceantur intime ac ferri particulis admiſceantur, magnetiſmum, antea in ferro excitatum, deſtrui. Ceterum ex elaſticitate fluidorum magneticorum rationem Auctor conatur reddere, cur poli duorum magnetum cognomines ſe inuicem fugiant, poli autem diuerſorum nominum ſe mutuo trahant. Inter propoſitiones generales, quas Auctor exhibuit, quum aliae quaedam nobis eſſe videntur nouae, tum in-
p. 62. primis haec: Dantur in omni lamella vel virga, ſiue ferrea ſiue chalybea, duo puncta, in quibus ſi ſiſtatur affrictus magnetis generoſi, ab alterutro virgae extremo inchoatus, vnus duntaxat polus magneticus virgae, aut in eodem illo extremo, aut in oppoſito, concilietur; licet affrictus, vltra citraque iſta duo puncta deſinentes, notabilem in vtroque extremo magnetiſmum pariant. Subiunxit ſingulis propoſitionibus deſcriptionem experimentorum, ex quibus eas deduxit; etiam inter haec non pauca oc-
p. 203. currunt noua. In fine libri reperimus conſtructionem et vſum duorum nouorum inſtrumentorum ad inclinationem acus magneticae metiendam.

XIII. *Ab-*

XIII.

Abhandlung von der electriſchen Abſtoſſung; von ANTON HOMPECK, *von der Geſellſchaft Jeſu. Wien, gedruckt bey Johann Thomas, Edlen von Trattner etc.* 1765. 8. pl. 3.

i. e.

Tractatio de electrico repulſu. Auctore ANTON. HOMPECK

In hoc libello primum expenduntur argumenta, quibus hi, qui repulſum electricum merum eſſe phaenomenon, et veram attractionem, ab aere excitatam, autumant, hanc ſententiam probare ſatagunt. Tum, quia iſthaec argumenta Auctori non ſatis firma eſſe videntur, pergit ad communis ſententiae confirmationem, docens experimenti cum filo duplicato, aut e machina aut ex *conductore* pendente, inſtituti varios caſus, quos illi in ſuas partes trahunt, melius explicari poſſe per verum repulſum, etiam tunc, quum electricitas excitata ſit negatiua. Scilicet oſtendere conatur, quomodo circa corpus, negatiue etiam electricum, atmoſphaera poſitiue electrica in aere formari queat, et ex huius atmoſphaerae elaſticitate vim vere repellentem deriuat. Tandem aduerſam communi ſententiam etiam experimentis quibusdam impugnat. Ceterum ſub finem libelli contra ſyſtema FRANKLINI aliquas dubitationes profert, dignas, ni fallimur, quae a viris, in harum rerum conſideratione verſatis, expendantur.

XIV.

Elementa Botanicae, auctore GEORGIO CHRISTIANO OEDER, M. D. Prof. Reg. Botan. Pars prior. Hafniae, typis Fratrum Philibert, 1764. Pars poſterior, ibid. apud eosd. 1766. 8 mai. Alph. 1. pl. 2. tab. aen. 14.

Qui praeſtantiſſima, elegantiſſimis iconibus exornata, Danica flora inter principes botanicos locum ſibi vindicauit OEDERUS, his etiam elementis *) rem herbariam egregie illuſtrauit, eamque diſcentibus faciliorem reddidit. Et quamquam prior huius libri pars diu euulgata erat, recenſionem differre alteramque partem expectare voluimus, quo de vtraque ſimul verba facere poſſemus.

Prior pars octo continet *capita. Capite* ſcilicet *primo, ſummam ſcientiae, ſecundo luſtrationem curſoriam regni vegetabilis, tertio ſingularum partium ſtructurae vegetabilium terminologiam,* propoſuit, *cap. quarto de natura characterum botanicorum, quinto de ſpeciebus et generibus, ſexto de methodorum natura generali, ſeptimo de methodis per partitionem et de methodis per compoſitionem,* et tandem *octauo de catalogi botanici adornatione, nomenclatura, et ſubſidiis* diſſeruit. De primo et ſecundo capite nihil monebimus, ad tertium potius, et primario, reſpiciemus, in quo definitiones partium plantae continentur. Qua in re plerumque quidem LINNAEUM ſecutus eſt, attamen multa quoque habet, quae ſingularia videntur atque noua.

Radi-

*) Quae etiam forma et anno iisdem germanice edita ſunt ab Auctore, titulo: *Einleitung zu der Kräuterkenntniß.*

Radicum differentias dum proponit Cel. Auctor, praeter ſubſtantiam ad ſpatium quoque corporis interius reſpexit, et *ſolidam*, *cauam*, ac *loculatam*, ſeu diaphragmatibus quaſi interceptam diſtinxit; Folia ratione loci, *caulina*, *ramea* et ſ. p. dixit, quibus vero et *axillare* addidit, et in *compoſitis pinnata*, *abrupte*, *alternatim*, *oppoſite*, *interrupte* et *decurſiue* coniugata ſeparauit; poſt folia *ſtipulas* et *bracteas* recenſuit; de vltimis ſcripſit: *Singularis folii ſpecies eſt bractea, quae ſitu diſtinguitur, quippe proxima floribus, cauli et bracteae interiectis, tum figura, vtplurimum etiam colore, quae in ſpica ſi adſunt numeroſae, magnae et congeſtae, comam formant; ſtipulae vero ſunt foliorum quaſi appendices, baſi petioli adnatae.* *Petiolus* folii *verus* eſt, qui folio ſuo inſeritur vnico quaſi puncto, ceterum baſi folii libera, vbi vero folia baſi eundo attenuata producuntur ad ipſum vsque locum, vbi cauli inſeritur, adeo, vt difficile ſit dictu, vbi folium deſinat et petiolus incipiat, elongata haec baſis *ſpurium* conſtituit *petiolum*. *Coſtae* nomen in genere dedit axi, per medium folium a baſi verſus apicem decurrenti, attamen petiolum quoque vniuerſalem in foliis pinnatis, cui foliola adhaerent, eodem nomine, vel *rhachidem* dici poſſe monuit; petioli vel coſtae partes ramorum *venas*, et ſi eidem recta proterſi ſunt, durique, et ſupra folii ſuperficiem eminent, *neruos* adpellauit, et ad ramificationes vlteriores ſtudioſius reſpexit, hinc *venas radiatas*, *digitatas*, *pinnatas*, *acutangulas*, *obtuſangulas*, *parallelas*, *eminentes*, *transparentes* et alias recenſuit.

p. 21.
p. 26.
p. 27.
p. 28.
p. 29.

Floribus inſtructas eſſe omnes plantas, nec niſi, flore praegreſſo, fructus oriri poſſe, vnanimi fere conſenſu aſſumimus, monuit vero Cel. Auctor, dari plantas, quarum fructificatio quidem adparet, nullum autem manifeſtum ſtaminum et ſtylorum veſtigium,

p. 39. gium, et, quamquam forte eaedem partes adſunt, oculorum tamen aciem fugiunt, hinc in eiusmodi plantis flores non aſſumſit, et *fructificationes ſtaminibus ſtylisue carentes* dixit; floris enim appellationem vltra fructificationes, manifeſtis ſtaminibus et ſtylis praeditas, extendere noluit. *Flores nudos tectosque* ſeparauit, horum autem ſingularem poſuit ideam.
p. 43. *Corolliformes* flores omnes appellauit tectos, habeant aut ſimplex integumentum partium ſexus, aut duplex multiplexque, conſtans ſtratis, tunicarum inſtar mutuo ſeſe obuoluentibus. Hae tunicae, vbi duae ſunt, natura ſua diuerſae, interior *corollae*, exterior *calicis* nomine diſtinguitur, vbi plures ſunt, (oportet autem cauere, ne in errorem inducant flores pleni dicti, quippe monſtroſi) videndum eſt, quae de corollae, quae de calicis natura participent; vbi vero duae tunicae, interiorem et exteriorem, illam corollae, hanc calicis ſimilem adeſſe, ſed eas conglutinatas, nec ſponte ſua diſcedentes depre-
p. 44. hendimus, *corolla ſubſuta* dici poſſet. Itaque nec contextus, nec duratio harum tunicarum, ſed ſolummodo ſitus, quid calicem, quid corollam dicere oporteat, determinabit; ſi vero ſimplex et vnica tantum tunica adeſt, et ex ſitu differentia deſumi nequit, tunc, ne vagus ſit et ambiguus corollae et calicis ſignificatus, *perianthium* nominare voluit, ſiue corollae, ſiue calici contextu et duratione ſimilior videatur. Poſt haec principalia monita vnius cuiusuis partis fructificationis accuratius examen in-
p. 46. ſtituit Cl. Auctor. In corollis polypetalis *vnguem* et *laminam* vbique diſtinxit, monuitque illorum etiam petalorum, quae nullo ſinu manifeſte in duas partes ſeparantur, baſin, quadam aut duritie, aut coloris diuerſitate notabilem eſſe. In fauce corollae monopetalae labiatae gibber aliquando prominens *palatum* dixit, et ſi pars quaedam corollae, circa

baſin

baſin producta, in prominentem occluſam cauitatem terminatur, eandem, ſi conica eſt, *calcar*, ſi obtuſa breuisque, *ſaccum* nominauit. In *orchideis* tria extima foliola, inter ſe ferme ſimilia, calicem potius efficere, reliqua vero, duo, ſtaminigeri corporis lateribus adnata, vt et intimum bilabiatum petalis annumeranda eſſe, exiſtimauit.

De partibus florum acceſſoriis ſcripſit: difficile p. 49.
eſt, easdem alia, quam vaga, et per negationes fere concinnata definitione complecti, aut nomine congruente communi, adeoque ſatius eſt dispertire in duos ordines, et *corollae appendices* dicere eas, quae corollae adnatae ſunt, *partes* autem *acceſſorias*, quae ſeorſim adſunt; tunc demum, ſi ſuccum quendam continent et ſecernunt, *nectaria* commode dicuntur. In floribus compoſitis monopetalis *tubulo-* p. 51.
ſos et in *regulares* et *irregulares*, hosque iterum in *breues* et *longos* ſeparauit, et horum quinque claſſes conſtituit. Conſtat ſcilicet Cl. 1) ex *meris tubuloſis regularibus*, et continet *compoſitos corymboſos*, 2) ex *meris tubuloſis irregularibus breuibus*, et continet *compoſitos aggregatos*, 3) ex *tubuloſis irregularibus longis*, et comprehendit *compoſitos capitatos*, 4) ex *regularibus tubuloſis et ligulatis*, qui ſunt flores *compoſiti radiati*, et 5) ex *meris ligulatis*, qui *planipetali* dicuntur, et quaſi petala floris caryophyllaei referunt. In his compoſitis calicis quoque diuerſitatem notauit, et ſi ad baſin calycis, ſtricte ſic dicti, ſquamae aliae, forma ſituque mutuo diuerſae, ad p. 53.
haerent; *calycem calyculatum* dixit. De graminum et amentaceis floribus eorumque partibus ſpeciatim deinde egit Cl. Auctor. In graminibus foliola p. 54.
duo chartacia, marginibus plicatis coniuncta, et reliquas fructificationis partes obuoluentia, *glumae* dicta, florem ſingularem et vnicum, *folliculi* nomine conſtituunt, cui flori, ſiue ſingulari, ſiue pluri-

bus

bus ſpicatim iunctis, ad baſin raro vna, plerumque duae, rarius ternae incumbunt aliae glumae, folliculi glumis ſimiles, nulla fructificatione ſubiecta, *calicem floris graminei* componentes; illud autem totum, quod ſinguli calices cum comprehenſis folliculis efficiunt, *ſpicula* audit. Quae ſpicula arcte et ex vtroque latere amplectitur *calice*, qui *verus* appellari meretur, eſt enim et *calicis ſpuria ſpecies*, quae *inuolucrum* dici ſolet, conſtans glumis ex vno tantum, et exteriore latere ſpiculam obuallantibus, minus adpreſſis, nec concauis, figura etiam antiquis glumis diuerſis.

In ſtaminum conſideratione coalitionem praeci-
p. 57. pue notauit, et gynandria, ſyngeneſia et ſ. p. adſumſit, nouam vero vnionis ſpeciem adduxit, ſcilicet, vbi concretio filamentorum et antherarum ſimul locum habet, vt in cucurbitaceis, huncque modum *ſyncretiſmum* adpellauit; ſtaminum numerum
p. 58. ad duodenarium modo extendi debere, et vbi plures quam duodecim adſunt, ad polyſtemones flores
p. 61. pertinere exiſtimauit. *Nux* eſt ſemen epidermide oſſea tectum, et interdum praeter propriam adhaerentem cutem, alia quaedam decidua epidermis, *arillus* dicta, ſemen obuoluit. In capſulis diſſepimenta, ſi adſunt, aut penitus capacitatem a pariete vsque ad centrum diſtinguunt *loculamentis veris*, aut in media via a pariete ad axim ſubſiſtunt, effi-
p. 62. ciuntque *loculamenta ſpuria*, ſeu inuicem inter ſe patentia; ſemina autem in capſulis contenta, aut affiguntur *valuulis*, aut *receptaculo* proprio, idque fit, vel ope filamenti, vel inconſpicuo modo, vltimo caſu ſemina *immerſa* vel *nidulantia* dicuntur. Capſulas graciles longasque biualues, ſuturis duabus,
p. 64. ſeminibus affixis alternatim in vtraque ſutura, *ſiliquas* adpellauit Cel. Auctor, et ſingularem capſulae ſpeciem memorauit nomine *conceptaculi*, quod eſt

cruſta-

cruſtaceus cauus fructus, in nullas valuulas determinate diſſiliens, et rima tantum laterali quaſi disruptus.

Verum haec exempla, ex vocabulorum definitionibus deſumta, ſufficiant, ne in his nimis prolixi ſimus, pauciſſima ex aliis capitibus annotemus; omnia enim, quae in his elementis ad illuſtrandam perficiendamque rem herbariam a Cl. Auctor. proponuntur, enarrare haud poſſumus. Cap. V. de ſpeciebus et generibus diſſerens, prolixe etiam de varietatibus egit, easque ex ſoli, culturae, et circumſtantium rerum diuerſitate vtplurimum oriri, quidem affirmauit, tamen et non negauit, mixto antherarum polline, ex diuerſis floribus deſumto, nouas ſeu hybridas ſpecies, easque propagationi per ſemina interdum aptas, produci poſſe, de quibus vero prudenter monuit, inquirendum amplius eſſe in eiusmodi hybridarum generationem, multiplexque inſtituendum examen reſtare, antequam pro certo ſententiam pronunciare liceat. Illam vero, quam hoc tempore multi aſſumſerunt, transmutationem, tanquam impoſſibilem, plane reiecit. p. 93. p. 94.

Syſtema botanicum condendi et adornandi duplex datur via. Dum enim botanicus ad perluſtrationem totius regni vegetabilis animum appellit, aut iam propoſitam habet eius ideam quandam generalem, ſeu ſchema quoddam, pro arbitrio et propriis placitis effictum, quod ſibi exſequendum ſumit, a ſuperioribus ſectionibus ad inferiores pergendo, tumque plantarum ſpeciebus ſingulis eos locos aſſignat, quos methodi leges praeſcribunt, quae eſt *methodus per partitionem*; aut incipit colligendo ſpecies in genera, de affinitatibus earum vnice ſollicitus, pergitque coniungendo genera minora in maiora, et a ſectionibus inferioribus ad ſuperiores, quae eſt *methodus per compoſitionem*. Prior ſemper vim infert p. 103.

natu-

naturae, hinc methodus *artificialis*, in poſteriori au-
tem affinitates conſeruantur, hinc *naturalis* adpel-
latur. Aſt omnes laborant multis difficultatibus, id-
eoque verum naturae ſyſtema botanicum ſeu metho-
dum naturalem nec inuentam eſſe, neque vnquam
p. 106. perſpectum iri *capite ſexto* docuit Cl. Auctor. Cer-
to namque certius nimis alte abſcondidit natura
etiam in hac re artificium ſuum, quam vt diuinatio-
p. 108. nibus noſtris eruere poſſimus. Ita et porro ab ea,
quae inter botanicos plurimos inualuit, conſuetudi-
ne, qua methodorum fundamentum a partibus fru-
ctificationis vnice deſumunt, *habitumque* excludunt,
longiſſime recedit, et affinitatis diſſimilitudinisque
p. 109. notas, quales ob oculos natura poſuit, in quacun-
que ſtructurae parte ſitas, experientiae et oculorum
teſtimonio, neque praeiudicatae vlli opinioni defer-
re iudicium de notarum dignitate exiſtimauit.
Omnis enim praerogatiua, quam partes fructifica-
tionis merere videntur, non ideo, quod generatio-
nis organa ſunt, ſed ſaltem ob cauſſas, a commodi-
tate deſumtas, concedi poteſt. Fructificationis
nempe tempore pleraeque plantae omnibus partibus
inſtructae conſpiciuntur, cumque horum fructifica-
p. 110. tionis organorum non leuis numerus, formae autem
infinitae ſint, numeroſas notas ſubminiſtrant, eas-
que plerumque captu faciliores, quam quae in habitu
minus agnitae latent.

Verum haec et alia plura vlterius proſequi vix licet, tranſeamus potius ad *partem poſteriorem* in qua *Cap.* 9) *ſchemata methodorum, a variis auctoribus propoſitarum, et* 10) *ſchemata noua methodorum artificialium, propoſuit; Cap.* 11) *characteres claſſium et familiarum naturalium recenſuit, Cap.* 12) *breuem hiſtoriam ſcientiae et conſiderationem ſtatus eius praeſentis; et* 13) *notitiam potiſſimorum librorum dedit.*

Primum

Primum aliis methodorum ſchematibus praemiſit nouum Cel. Auctor, in quo vero non omnia plantarum genera exhibuit, ſed illarum modo diſtributionem inſtituit, quae in Europa antica creſcunt, et fere eaedem ſunt, quas LINNAEI flora Suecica continet. Singularis haec methodus, qua 418 genera diſpoſuit, et quam neque artificialem, neque vero naturalem, ſed mixtam eſſe, ipſe Cel. Auctor affirmauit, *octo* conſtat *claſſibus*, et *triginta octo* familiis. En ſchema:

Claſſ. I. *Cryptantherae.*
Famil. 1. filamentoſae et cruſtaceae.
2. fungi.
3. muſci.
4. filices.

Claſſ. II. *Monocotyledones.*
Famil. 1. gramina.
2. graminoideae. amentaceae.
3. graminoideae corolloideae.
4. tripetaloideae.
5. ſpathaceae clauatae.
6. liliaceae.
7. orchideae.

Claſſ. III. *Amentaceae.*
Famil. 1. aceroſae.
2. iuliferae.

Claſſ. IV. *Incompletae.*
Famil. 1. inundatae.
2. oleraceae.
3. capſuliferae et baccatae.

Claſſ. V. *Calycarpae.*
fructificationibus receptaculo communi collectis:
Famil. 1. compoſitae.
2. aggregatae.
3. vmbiliferae.
4. ſtellatae.
5. baccatae.
6. fructificationes ſolitariae.

Claſſ. VI. *Calycanthemae.*
Famil. 1. roſaceae.
2. Calycanthemae L.

Claſſ. VII. *Monopetalae.*
Famil. 1. aſperifoliae.
2. verticillatae.
3. perſonatae.
4. regulares capſuligenae.
5. bicornes L.

Claſſ. VIII. *Polypetalae.*
Famil. 1. monopetaloideae.

Famil. 2. ſucculentae.
3. roſtratae.
4. multicapſulares.
5. papauerinae.
6. tetrapetalae cruciatae.
*Famil. 4. 5 et 6. perianthio caduco gaudent.

7. calyce perſiſtente capſula ſingulari.
8. receptaculo fungoſo.
9. papilionaceae.

p. 153- Poſt hanc ſuam methodum, recenſuit Auctor
236. ordines naturales LINNAEI, ADANSONII, ROYENI et HALLERI, dein methodum TOURNEFORTII, BOERHAAVII, ſexualem LINNAEI, ſecundum corollam et ſexum concinnatam LUDWIGII, atque a ſitu ſtaminum petitam GLEDITSCHII, poſtea CAESALPINI, MORISONI, RAII, HERMANNI, CHRISTOPHORI KNAUTII, RIVINI, CHRISTIANI KNAUTII, LINNAEI calycinam, et denique WACHENDORFII hasque methodos fere omnes in claſſibus, ordinibus et ſubdiuiſionibus ſuis propoſuit, genera illa 418 plantarum Europae borealis, vel Danicae indigenarum, ſuo vbique loco conduxit, et de quibusdam metho-
p. 236- dis monita et cenſuram addidit. Capite nunc ſe-
259. quenti, quo noua plane ſchemata, ſpeciminum gratia propoſita, continentur, *primo* methodum *ab integumentis floris*, 2) *a corolla iuncto calyce*, 3) *a ſtaminibus et ſtylis*, 4) *a fructu*, 5) *a receptaculo partium fructificationis*, et 6) *a foliis* deſumtam concinnatamque exhibuit atque delineauit, eo praecipue conſilio, quo adpareat, ex omni fere plantae parte ſyſtematicam diſpoſitionem deſumi poſſe. Charactereres claſſium familiarumque, a Cl. Auctore in ſyſtemate nouo ſtabilitarum, characteres, deſcriptiones et quaſi definitiones generumque mutuum nexum expo-

expoſuit capite vndecimo. Sed haec omnia breuiter recenſere non poſſumus, potiusque lectores ad ipſum librum amandare debemus; attamen cum vbique in his capitibus ſingulares, ſtructuram plantarum illuſtrantes, obſeruationes addiderit, nonnullas harum commemoremus. Id, quod in muſcis *perichaetium* vocari ſolet, baſis ſetae foliolis obuoluta, videtur eſſe initium ramuli; et *calyptra* eſt calix, ſub quo reliquae fructificationes, tanquam in valua naſcens fungus, formantur, et partem eſſentialem conſtituit, quae nunquam deficit plane, ſed ob capituli formam ſphaericam nimis fugax aliquando deſideratur. In *polytricho*, aliisque muſcis ſtylum quemdam obſeruauit Cl. Auctor, axis forma medium capitulum occupantem, quem continuatam ſetam eſſe cenſuit, et qui, remoto polline, fibrillis tenuiſſimis pubeſcit, ac perquam ſimilis eſt columellis capſularum in floribus corolloideis. Ea, quae in muſcis, aut in apice caulis ramiue ſtellae forma, aut in lateribus, aut apice ſetae, ex foliolis compoſita, aſſumitur a nonnullis fructificatio feminea, improprie talis dicitur, hancque germinationem ad inſolitos propagationis modos, aliquando et in aliis plantis obuiis, pertinere, et *viripartum*, quaſi eſſe, affirmauit Auctor, addiditque coniecturam, in muſci capitulo, et ſi non in omni, in multis tamen, duplicem ſexum, hermaphroditos ſcilicet flores adeſſe. TRIGLOCHIM non debet tribui flos completus, ſed illa ſex floris foliola, cum ſubiecto quolibet ſtamine, inter ſe non diuerſa, amentacei potius floris ſpeciem formant. In floribus compoſitis receptaculum commune eſt apex pedunculi, in diſcum dilatati, pedunculum autem floris eiusmodi reuera eſſe ramulum, et ſquamas, quibus calyx floris compoſiti conſtat, eſſe foliola ramea, a reliquis figura, interdum ne figura quidem, ſed tantum magnitudine

p. 260.
p. 266.
p. 275.
p. 283.

p. 295. diuerſa, aſſeruit. In aſperifoliis, *pulmonaria*, *ſymphyto*, etc. item verticillatis, fructum tanquam capſulam quadrilocularem, ablatis valuis denudatam, cuius columella ſtylus fuerit, adhaerentibus ipſi ſeminibus, aut tanquam quatuor capſulas, in orbem circa ſtylum poſitas, conſiderari poſſe, exiſtimauit.
p. 307. In *trollii*, *aquilegiae*, *aconiti*, *et delphinii* flore, quid calycem, corollam, nectariumque dicere conueniat, disquiſiuit, et concludit: *ſi ſepoſita praeiudicata opinione et loquendi conſuetudine machinulas illas inſolitas varie tubuloſas horum florum comparemus cum petalis generum myoſuri et ranunculi, quibus vnguis eſt etiam plus minusue tubuloſus, tum quidem abſona non videtur eorum opinio, qui iſta, vulgo dicta nectaria, corollae loco habent, corollam autem, quae dicitur, calycis loco.* Hinc *calthae* florem incompletum, *trollii* et *aquilegiae* florem completum regularem, ſcilicet calycem ex foliolis roſaceis, corollam ex petalis tubuloſis, *aconito* et *delphinio* florem completum irregularem, nempe duo petala irregularia, et calyci ir-
p. 336. regulari foliola quinque diſſimilia tribuit. Hiſtoriam deinde botanices tradens Cel. Auctor inprimis de illis egit viris, qui methodos inuenerunt, atque *epochas quinque* conſtituit. *Prima* ſcil. tempora antiqua ſiſtit, ab origine botanices vsque ad inſtaurationem ſcientiarum in occidente, ſiue *aeuum traditionis*; *ſecunda* pergit vsque ad CAESALPINUM, eſtque *aeuum commentatorum*, *et initium nouarum deſcriptionum, adhuc ſine methodo*; *tertia* ſeſe extendit vsque ad TOURNEFORTIUM, continetque *aeuum methodorum artificialium cum amore ſectarum*; *quarta* a TOURNEFORTIO ad recentiora tempora tendit, vbi praecipue *generum conſtitutio* eminet; *quinta* denique nouiſſima exhibet tempora, inde circiter a triginta annis, *qua noua generum* LINNAEI *conſtitutio*, *tentamina ſyſtematum naturalium et philoſophandi*

in

in botanica ratio eclectica. In indice ſcriptorum botanicorum praemiſit Auctores, ex quibus pleniorem librorum notitiam accipere poſſumus, inter quos vero GRONOVIUM deſideramus, dein nonnullos nominauit, ad phyſiologiam, culturam, et vtilitates plantarum pertinentes, tandemque libros, non quidem omnes, ſed primarios, numero ſcilicet 227, ad ipſam plantarum hiſtoriam ſpectantes, ordine alphabetico recenſuit, et in fine eosdem, antea enumeratos, in ſingulares claſſes diſpoſuit; ſequentem autem ſtabiliuit diſtributionem: 1) *Inſtitutiones*, 2) *ſyſtemata*, 3) *generum definitiones*, 4) *pinaces* ſ. *catalogi plantarum generales adiecta ſynonymia*, 5) *hiſtoriae plantarum generales*, et quidem a) *Patres*, b) *inuentores*, c) *collectores*, 6) *florae et horti*, 7) *deſcriptiones ſingularium claſſium familiarumque aut ſingularum ſpecierum*, 8) *itineraria*, 9) *iconigraphi.* p. 348.

Addita eſt duplex appendix, cuius *prior* lexicon quaſi paruum ſiſtit terminorum technicorum, quorum explicationem breuem vel ſtatim addidit, vel in elementis datam, citauit Cel. Auctor, altera vero explicationem figurarum, quarum 148 in tabulis 14 habemus, et quibus radicum, foliorum, infloreſcentiae, calicis, corollae etc. variam figuram habitumque ſecundum naturalia exempla propoſuit, explicationem exhibuit; ea vero, quae de colore plantarum addere voluit, ſtudio omiſit, definitionesque colorum ac eorum nomina, in proprio tentamine ſe exhibere velle promiſit Cl. Auctor.

XV.

DAVID BECHERS, *AA. LL. Phil. et Med. D. Neue Abhandlung vom Carlsbad. Erſter Theil. Chymiſche und phyſicaliſche Unterſuchung der Carlsbader warmen Quellen. Prag, gedruckt bey Joh. Joſeph Clauſer,* 1766. 4. pl. 8½.

i. e.

DAVIDIS BECHERI commentatio noua de thermis Carolinis. Pars prior. Disquiſitio chemica et phyſica etc.

Quum in thermis Carolinis ſuadendis, iisque vtendis multum interſit, certo de ferri materia, in iis latente, perſuaſum eſſe, et quum Cl. huius libelli Auctor neſciret, id iam ante aliquod annos nouis experimentis, ſuaſu Cl. SPRINGSFELDII captis, a KLINGHAMMERO *) extra omnem dubitationem poſitum eſſe, is recte nobis laudabiliterque feciſſe videtur, vt omni ſtudio diligentiaque hanc in rem inquiſiuerit. Quamuis vero haec inueſtigatio primarius huius libri fuerit ſcopus, ille tamen attingi non potuit, quin, quum illius cauſſa Auctor experimenta faceret multa repeteretque, varia ſimul detegerentur, digna ipſi viſa, quae publicarentur. Praeterea huic libro hoc praecipuum eſt, quod quidam noui et ante paucos tantummodo annos detecti fontes deſcripti ſunt, qui in aliis ſcriptis fruſtra quaeruntur. Multis quoque in locis a Cl. SPRINGSFELDIO recedit. Hac interim in parte phyſica tantummodo chemicaque traditur horum fontium disquiſitio, eorum effectibus et vſu deſtinatis alteri parti.

*) vid. Commentar. hor. Vol. XIII. p. 449.

parti. Haec vero nouem conſtat ſectionibus, quarum prima id continet, quod in his thermis ſenſus externi docent, ſecunda de grauitate ſpecifica ſingulorum fontium; tertia de eorum acido minerali et quarta de ſpiritu minerali agit; quinta analyſin exhibet; et ſexta de terra in his aquis, ſeptima de natura et proprietatibus ſalis harum thermarum exponit; octaua ſalem communem et alcali minerale, nona denique ferrum his thermis ineſſe oſtendit.

In prima ſectione de calore thermarum in fonte furioſo (*ſprudel*), vbi fons erumpit, graduum 165, vbi vero in vſum hominum hauritur, graduum 163 thermometri Fahrenheitiani obſeruari, eumque omni tempore immutabilem eſſe, Cl. Auctor notat. Idem de fonte nouo (*Neubrunn*) dicit, praeterquam quod mercurius ad gradum 143 adſcendat, in fonte vero molari (*Mühlbad*) calorem a gradu 108 ad 114, in fonte hortenſi (*Gartenbrunn*) a gradu 133 ad 135, inque fonte rupeſtri (*Felſenbrunn*) a gradu 112 ad 117 eſſe, ideoque mutabilem deprehendi. Odor, vt Noſter aſſerit, vapori aquae communis ſimilis eſt, praeter id, quod lixiuioſi quid in eo deprehendatur, Sapor fontis furioſi leniter ſalſus, aliquantum lixiuioſus et parum auſterus ſeu adſtringens eſt. Sapor fontis molaris vero grate aceſcens nihil adſtringentis habet. Sapor fontis noui itidem aceſcens eſt, minus vero, quam praecedentis, adſtringentis tamen quidquam manifeſtat. Cum hoc conuenit fons hortenſis. In fonte rupeſtri ſapor neque acidus neque auſterus deprehenditur, ſimilisque videtur aquae purae, quae parum ſalis medii ſaluti continet. Omnes iſti fontes, ad ſcaturiginem disquiſiti, pellucidi ſunt, breui autem fons furioſus, nouus et hortenſis albeſcunt, molaris et rupeſtris autem, etiam frigefacti, pelluciditatem retinent. Hauſti fontes in ſuper- p. 4.

ſuperficie terram albam ſubtilem, ſub forma pulueris tenerioris, aquae adſperſam ſenſimque cuticulam albam exhibentem praebent. Viginti quatuor horis praeterlapſis, fons furioſus, nouus et hortenſis, aeri liberiori expoſiti, puluerem pallide flaueſcentem deponunt. In fonte molari autem et rupeſtri parum huius terrae detegitur.

p. 16. Grauitatem ſpecificam horum fontium, notat Cl. Auctor, in omnibus eandem eſſe, atque aquas horum fontium omnes reliquorum fontium, qui hoc
p. 27. loco reperiuntur, aquas, grauitate ſuperare. Acidum minerale, vt Noſter oſtendit, his fontibus ineſt; lignum enim reſinoſum, in iis diu maceratum, odorem, dum comburitur, ſulphureum de ſe ſpargit, ferrum immerſum breui tempore rubiginem contrahit, et immixtus ſapo venetus coagulatur. Hoc acidum admodum ſubtile, volatile et dilutum eſt, cumque alcali minerali leuiter atque etiam cum ferreis particulis cohaeret. Aeri enim libero expoſitae aquae, acido iſto euaporato, terram et ochram deponunt, quae, ſpiritu vitrioli adfuſo, denuo ſoluuntur. Idem acidum calore diſſipari ideoque volatile eſſe, ipſi fontes docent. Fons enim molaris, nouus et hortenſis acidiores ſunt fonte furioſo, quippe qui reliquis calidior eſt. In fonte rupeſtri autem acidum hoc cum alcali iam in cryptis ſubterraneis coniunctum eſſe videtur, ſiquidem iſte maiorem copiam ſalis medii praebet, quam reliqui fontes.

p. 37. Spiritus mineralis elaſticus, qui ad ſubſtantias ſimplices nunquam pertinet, ſed ab aere elaſtico et pugna alcali cum acido producitur, Carolinis fontibus denegari non poteſt, ita tamen, vt iſte vix adeo, vt in ſic dictis acidulis, conſpicuus ſit. Cauſſa facilis eſt: vehementiſſimus enim motus, quo aqua in abyſſum ruit, iterumque in ſublime euehitur, poſt-

eaque

eaque calor, qui cum aqua ibidem communicatur, faciunt, vt acidum cum alcali connubium ineat, ſicque cauſſa expanſionis aeris maxima de parte abigatur. Spiritum tamen adhuc ineſſe, experimenta probant: aquae enim horum fontium, ſub antlia disquiſitae, magis ebulliunt, quam communis aqua calida. Admixto vino rhenano et ſaccharo eodem modo, vt in acidulis, ebullitio cum ſpuma producitur. Lagenae incluſae epiſtomium cum vi quadam elevant. Frigefactae vero, inprimis eae, quae ſaporem aceſcentem imprimunt, hunc ſpiritum amittunt, iterumque calefactae, omni ſapore acido priuantur nullumque amplius ſpiritum oſtendunt.

Chemice disquiſitae horum fontium aquae ali- p. 49.
quot grana alcali, cum ſale cummuni commixti, dederunt. Quod ad terram pertinet, ea partim ſolubilis, partim non ſolubilis fuit. Solubilis alcalinae indolis eſt, et ſolutionem in aqua reſpuit, in acidis vero cum efferueſcentia ſoluitur, et a Noſtro *Magneſia catholica* vocatur. Terra non ſolubilis a Cl. Auctore *terrae argillaceae ſeleniticae* nomine inſignitur. Tactu enim quaſi pinguis fuit, et, cum aqua commixta, in lateres formari ſe patitur, qui vero igne cocti rimas egerunt, ex quo ſelenitici quid admixtum eſſe, Noſter colligit. Ad obtinendum ſa- p. 69.
lem medium nouam Noſter euaporandi et cryſtalliſandi methodum excogitauit: machinam nimirum, viginti aliquot vaſis euaporatoriis inſtructam, ſuper fontem furioſum exſtruendam curauit, ita, vt omnia haec vaſa aqua fontis ebullientis tangeret. Vaſa haec replentur aqua thermali, eaque euaporationi ſpontaneae relinquitur. Viginti quatuor horis praeterlapſis, aqua, ex omnibus vaſis collecta, vni tantum vaſi committitur, et vlterius ad cuticulam vsque euaporatur. Lixiuium tandem, aliis vaſis amplioribus commiſſum, in frigidum locum ad cry-

 ſtalli-

ſtalliſationem reponitur. Cryſtalli enatae aqua communi ſoluuntur, aqua denuo ad cuticulam vsque euaporatur et cryſtalliſationi committitur, isque labor ter repetitur; ſic autem puri ſalis, ab omni alcali liberati, quotannis tres centenarii obtinentur. De natura huius ſalis notat, eum ad ſales medios pertinere, ſiquidem ſyrupum violarum non mutet, neque etiam cum vllo acido, neque cum alcali quocunque efferueſcat, et cum ſulphure mixtus igneque fuſus, nullum hepar ſulphuris praebeat. Solutio calcis viuae, ope acidi nitroſi factae, huic ſali, in aqua ſoluto, adfuſa praecipitatum album dedit, quod aqua pura elotum ſeleniten exhibuit. Liquor colatus, euaporatus et ad cryſtalliſationem repoſitus, cryſtallos cubicas ſeu nitrum cubicum praebuit. Itaque acidum, huic ſali inhaerens, pro vitriolico habendum eſſe, idemque in ſale acidularum Egranarum et ſale mirabili GLAUBERI contineri, ideoque hi ſales nullo modo differunt; ſi quod etiam diſcrimen inter ſales medios aquarum mineralium eſſet, iſtud in alcalina tantummodo parte quaerendum eſſe. In aliis enim purum alcali, in aliis autem e. g. in ſale Sedlizenſi terra alcalina deprehenditur. Iſte enim ſal ſolutus, adfuſo oleo tartari per deliquium, praecipitatum album dedit, quod bene elotum cum omnibus acidis efferbuit, inque iis ſolutum fuit. Salem autem thermarum Carolinarum et reliquarum aquarum idem non exhibuiſſe, Cl. Auctor obſeruauit. Porro ſal thermarum Carolinarum, in aere libero, in puluerem fatiſcit, ſaporem ſalſum amaricantem cum leni frigoris ſenſu excitat; idem etiam in ſale Egrano et Bilinenſi et Toeplenſi et ſale mirabili GLAUBERI obſeruatur. Hinc omnes iſtos ſales viciſſim vſurpari poſſe, nec ab hoc illoue peculiarem effectum expectandum eſſe, Noſter colligit.

Praeter

Praeter ſalem hunc medium etiam ſal commu- p. 84.
nis et alcali minerale in thermis Carolinis continentur. Ex lixiuio enim, poſt cryſtalliſationem ſuperſtite et ope ſpiritus vini ab omni ſale mirabili liberato, inter euaporandum cryſtalli cubicae enatae ſunt, quae eandem indolem, quam ſal communis, habuerunt. Alcali autem aquis thermalibus ineſſe, efferueſcentia cum acido quocunque et mutatus color ſyrupi violarum coeruleus in viridem oſtendunt. Obtinetur praeterea per euaporationem ſiccus, tuncque idem praeſtat, quod alcali ſolet; a vegetabili tamen alcali differt, quod in aere ſiccum perſtet, et cum acidis coniunctum, alios ſales medios, quam alcali vegetabile, praebet.

De ferro tandem, thermis Carolinis inhaerente, p. 94.
diſſeritur, idque ex terris ochraceis et lapidibus, plerumque ſub forma croci, partim autem ceu calcem ferri exuſtam (*ferrum embryonatum* dicit Noſter) partim denique vt metallum perfectum obtinetur. Lapis enim comminutus natusque inde puluis, bene lotus aeque ac ochra, probe lota, (cui lotioni multum tribuitur, vt proſpere experimentum ſuccedat,) cum carbonum puluere, adipe ſuillo et borace mixta, fortique igne detenta, maſſam dedit, cui comminutae admotus magnes ferreas particulas attraxit. Eadem ochra, lota, cum ſale ammoniaco ſublimata, flores ſalis ammoniaci martiales in alembico ſpiritumque alcalinum in recipiente exhibuit. Solutio ochrae, quae fit ope ſpiritus nitri, adfuſo ſanguinis lixiuio alcalino, coeruleum Berolinenſe per praecipitationem dedit. His itaque aliisque pluribus experimentis inſtitutis Noſter reperit, in omnibus memoratorum fontium aquis contineri ferrum, quantitatem autem ferri cuiuslibet fontis definiri poſſe, negat.

XVI.

XVI.

HENR. IO. NEPOM. CRANTZ, S. C. A. Maieſt. Conſiliarii Inſtitut. Med. et Mater. Med. Prof. etc. Inſtitutiones rei herbariae, iuxta nutum naturae digeſtae ex habitu. Tom. I. et II. Impenſ. Ioh. Paul. Krauſi, Bibliop. Viennenſ. 1766. 8 mai. Tom. I. alph. 1. pl. 14. praef. pl. 3½. Tom. II. alph. 1. pl. 12½.

Excitatum, inſtitutionum titulo, opus non elementa, vel ea continet omnia, quae ad addiſcendam intelligendamque rem herbariam pertinere videntur, ſed modo nouam methodicam plantarum diſpoſitionem, generum definitiones, ſpecierumque conſtitutionem comprehendit. Primario itaque ad methodi fundamentum reſpiciamus, et cum Cl. Auctor in praemiſſa praefatione multa, ad hanc rem ſpectantia, propoſuerit, nonnulla repetamus. Ex fructificationis parte vna, ſit calix, corolla, ſtamen, fructusue, tolerabile et naturae conſuetae congruens ſyſtema deduci haud poſſe, ſed potius in nonnullis ſtirpibus huic parti magis, in aliis alteri conſtantius et ſignificantius inſiſtere naturam affirmat Auctor, ideoque eorum reprehendit induſtriam, qui aliorum ſyſtemata explodere, nouaque ſua, non longius duratura, ſubſtituere voluerunt. Etenim, collatis omnibus, ſatius feciſſe aſſerit, TOURNEFORTII et RIVINI ſyſtemata obſeruationibus roborare et caſtigare, quam ſtamina et piſtilla tanto labore, taedioſe eruere, vel ſi haec per omnia admitti poſſe non videatur, ex iis ſyſtematum partibus, in quibus aperta fronte natura aparuit, vnum confici debuiſſet, quid naturam regeneraret. Commune

enim

enim botanicorum votum hoc vnicum eſt, vegetabilia iuxta naturae ordinem arctius ordinare, vt inde quaſi ipſa duce facilius determinari poſſint. Syſtema autem naturale completum nullum dari, nec detectas vniuerſas vegetabilium ſpecies claſſibus naturalibus adhuc ordinari poſſe, multasque eſſe nondum cognitas, cum aliis quidem concedit, inde vero artificiali opus eſſe, non ſequi, contra ſexualiſtas inprimis aſſerit Cl. Auctor, monetque commode ſatis ea, quae cognita ſunt, ſecundum naturae ductum nos diſponere et ordinare poſſe atque debere. Hoc vero expectandum nunquam erit, quamdiu vni parti, eique ſoli, inhaereamus. De cuius rei veritate conuictus Cl. Auctor, praemium illi conſtituit 50 ducatorum aureorum, qui aliquando demonſtrauerit, poſſe ex data vna fructificationis per totum vegetabilium imperium conſtante parte, certiſſime, facillime et naturae ductu omnes vegetabilium ſpecies cognoſci determinarique; in cuius quaeſtionis diiudicatione iudices conſtituit ROYENUM, HALLERUM et LUDWIGIUM. Quo itaque naturae conueniens ſyſtema inueniatur, plures plantarum partes ſimul attendi, et, quod primarium Auctoris aſſertum eſt, et in quo corroborando quam maxime laborat, facies, ſiue habitus in auxilium duci debet. Hic omnis ſyſtematis ſolum et infallibile criterium erit atque baſis. Nolumus vero nunc ea, quae Cl. Auctor partim de praeſtantia et neceſſitate habitus in condendo ſyſtemate proponit, partim contra alios, LINNAEUM inprimis, monet, prolixius repetere, methodi potius nouae, ex habitu propoſitae, fundamentum attendamus, et vniuerſae diſpoſitionis ſchema proponamus.

Vegetantia itaque, quae *inconſpicue* florent, *primo* loco poſita ſunt CRYPTANTHARUM nomine, quorſum, vt ab omnibus receptum eſt, *filices*, *muſci*, p. 37.

algae

algae et *fungi* pertinent; dein ſequuntur omnia, quae *conſpicuam floreſcentiam* obtinuerunt; harum vero *conſpicuae floreſcentiae* ſtirpium nonnullae cum illis *inconſpicuae* magnam habent affinitatem, easdemque *incompletarum claſſis* continet, quae in ordine eſt *ſecunda*. *Incompletas* autem eas dicit Cl. Auctor, quae vel corolla, vel ſtaminibus, vel piſtillo carent, plantas, vnde etiam primario ordine vel in *apetalas*, corolla deſtitutas, exemplum ſit *aſarum*, vel *viduas*, aut ſtamine aut piſtilla carentes, vt *vrtica* et *ricinus* eſt, diuidit, ſubdiuiditque porro priores ex numero ſtaminum, poſteriores autem, dum ſtamen et piſtillum in diuerſis, vel vnius, vel duplicis ſtirpis floribus exiſtunt, *mono*- et *diphytus* dicit. De hac vero, imo et ſequentibus claſſibus generale monitum addit Auctor. Nonnullas ſcilicet *apetalarum* ſpecies *petalodes* eſſe, et *viduarum* non paucas *maritatas* completasque. Quibus naturae tranſitionibus, vbique fere obſeruandis, facile ſyſtematicus botanicus confundi poterit, hinc, cum naturam arcte ſequi vellet Auctor, *incompletarum* plantarum, et ſic in aliis, nouum in *habitus ſimplicis* et *affinis* ſiue *deliqueſcentis* ſubdiuiſionem inſtituit. Sub *incompletis* itaque *deliqueſcentibus* ſiue habitus affinis plantis eas enumerat ſtirpes, quae quidem per ſe perfectis inſtructae ſunt floribus, et hinc alteri claſſi inſerendae, attamen cum imperfectis, ſiue incompletis adeo magnam habent affinitatem, vt ab his ſeparari commode non poſſint, id quod *atriplicis*, *chenopodii* et *ricini* exemplis vlterius illuſtrat; e contrario vero *incompletis* ea non adnumerari debent genera, quae vnam modo amplectuntur incompletam ſpeciem, dum pleraeque aliae completae ſint, vt *va-*
p. 41. *leriana*, *lychnis*, *phytolacca*, neque demum incompletis adnumerari debent integra incompletarum genera, licet ipſa incompleta ſint, dum ſumma habitus

bitus neceſſitate completis incorporari claſſibus debeant. *Arum* v. g. apetalum, *valliſneria* vidua, a palmis ſeparari non debent. *Xanthium* et *ambroſia* in compoſitis deliqueſcentibus occurrunt, *veratrum* in liliis. Hinc etiam ad euitandam omnem, in disquiſitione confuſionem genera ſaepe repetiit in diuerſis claſſibus, in vna tamen modo deſcribit, ita *ruppia* in incompletis nominata, in palmis deſcribitur, vbi etiam *burmannia* definitur inter liliaceas quoque nominata. Naturalem, a TOURNEFORTIO inuentum, a ROYENO latius deductum amentaceorum ordinem, incompletis etiam inſerit Cl. Auctor, ideo, quia non ſatis fixa ſit amenti idea, et ipſae coniferae ac conglobatae aeque naturales conſtituunt ordines, quibus tamen vel ob paucitatem, vel difficultatem ordinationis naturalis aſſignata ſedis non fuit, hinc hoſce omnes ſub mono- et diphytarum ſubdiuiſionibus recenſere voluit. Notandum adhuc, Auctori apetalas eſſe plures, ab aliis petaloideas dictas, idque ideo, cum vel ob ſummam conuenientiam ſeparari a ſe inuicem non potuerint, vt iam dictum, vel vbi ſtamina et piſtillum vno ſolum cinguntur propugnaculo hinc corolla dubia ſit, et pro calyce haberi poſſit, vt in *baſella*, *diria*, *daphne*. *Tertia claſſis*, vera habitus ſoboles, eas complectitur ſtirpes, quae in vno communi receptaculo plures colligunt floſculos, ſiue *compoſitas*; ſuntque iterum harum aliae in abſoluto, floſculorum monopetalorum communi inſidentium calici absque ſpedunculis, charactere fundatae, *abſolutae*, *deliqueſcentes* aliae, quae vel in pluralitate, vel in corolla monopetala, ipſa inſidentia thalamos peccant. *Abſolutarum* ordines ſunt 1) *ſemifloſculoſae*, 2) *capitatae*, 3) *diſcoideae*, 4) *radiatae*; *deliqueſcentium* inter quas et aggregatae vulgo dictae habentur, vt *globularia*, *iaſione*, *primus ordo* ex floſculo-

ſculorum paucitate, *alter* ex inſidentia et thalami diuerſitate deſumptus eſt; terminat hanc claſſem *Eriocaulon*, etſi nondum definitum ſit, vtrum cum LINNAEO ad enſatas, an potius cum BOEHMERO ad gramina pertineat, rectam tamen ad gramina viam ſternere aſſerit Cl. Auctor. *Quartam* itaque *graminum claſſem* habitus ſibi quoque vindicauit, qui in germine vnico et ſemine absque pericarpio proprio, etiam, vnico conſiſtit, et *abſolutus* eſt, aliae vero plantae, graminum faciem repraeſentantes, hoc tamen charactere deſtitutae, *deliqueſcentium* iterum conſtituunt. Quae ad priorem ſpectant, gramina ſunt 1) vel *monoclyna* et porro a) *mono*- b) *diſtyla*, vel 2) *diclyna* et porro a) *monica*, b) polyoica. Deliqueſcentium aliae vel *calamariae*, vel *viduae*, vel *completae* plantae. *Quinta claſſis palmarum* eſt, ſigna ſua in ſpatha ſpadiceque manifeſte oſtendens, ad ROYENI ac LINNAEI ductum ſubdiuiſa 1) in *flabelliformes*, 2) *pennatifolias*, 3) *bipennatifolias*, 4) *incompletas*, 5) *ſpatha bifida*, 6) *ringentes*, 7) *orchideas*, 8) *enſatas*. *Sexta Liliacearum claſſis*, cuius *habitus abſolutus* in flore liliaſtroide cum piſtillo aut trigono, aut anguloſo, aut trifido, et triloculari pericarpio conſiſtit; harum ſubdiuiſio 1) *ex corolla monopetala*, 2) *tri-aut hexapetala*, hacque a) vel *aperianthia* vel b) *calyculata* deſumitur; liliaceae, quae in vna parte habitus abſoluti deficiunt, ſ. *deliqueſcentes* 1) *ex piſtillo*, 2) *ex pericarpio* ordinantur. *Septima claſſis ringentes* continet, quarum *abſolutus habitus* conſiſtit 1) in flore monopetalo, cuius irregularis limbi ſectio rictum euidentius, obſcuriusque exprimit, 2) in calice quocunque, praeterquam ſpathaceo, 3) in ſtaminibus 2 aut 4 foecundis; vbi aliquis harum conditionum defectus eſt, *deliqueſcentem* iterum habes plantam. Quae omnes in *gymno*-et *angio ſpermas*, dein ex numero

numero ſtaminum et ſegmentis calycis vlterius ſubdiuiduntur. *Papilionaceae claſſem octauam* ſibi vindicant; vbi corolla papilionacea, filamenta in 2 corpora coalita, et legumen *habitum abſolutum* faciunt, *deliqueſcens* vero vel in corolla vel in ſtaminum coalitu, vel legumine deficit. Subdiuiſiones ex LINNAEO ſunt mutuatae. *Claſſis nona cruciformes* habet, quarum flores ex quatuor petalis, crucem repraeſentantibus, ſtaminibus ſex, ductus ſemper minoribus, compoſiti ſunt, ſiliquamque aut ſiliculam gerentes. *Claſſis decima* ſiſtit *vmbelliferas*, in quibus florem ipſum proprie claſſicum eſſe, non concedit Cl. Auctor, ſed pedunculos, ex vno centro diuiſi receptaculi per radios exeuntes, hoſce flores gerentes, characterem praebere, habitumque definitum, cui vero commode addere poſſemus alias notas, affirmat. *Abſolute* itaque dicenda ſtirps erit, 1) vmbraculo, 2) flore pentapetalo, 3) ſeminibus duobus ſibi iunctis. Hic ARTÉDI diuiſiones retinet, correctas et certiores alio loco dabit Cl. Auctor. Stamina in columnam, tota longitudine floriferam et patentem, educta *claſſi vndecimae columniferarum* nomen imponunt, quae in perianthio ſemper praeſente, corolla aperta, baſi coalita, quaſi monopetala, confirmatur et ex calyce ſtyloque ſubdiuiditur. *Claſſis duodecima calycifloras* ſiſtit, vbi ſcilicet ſtamina et petala calyci inſerta ſunt et floris receptaculum per totum ſeſe diffundit calycem. Sunt harum aliae 1) *apetalae*, quae ſub incompletis apetalis, 2) *monopetalae*, quae ſub incompletis viduis recenſitae, locum vacuum reliquunt, et 3) *polypetalae*, haeque a) pericarpium nullum aut calycinum, b) baccam ſiccam aut carnoſam, c) drupam, d) pomum, e) pericarpium capſulare praebent. *Fructifloras claſſis decima tertia* continet, quorſum pertinent illae, quae germinis infra receptaculum ſitum habent,

P. 47.

ſiue quibus aut calyx, aut fructus, ſuperus eſt, aut, vt TOURNEFORTIUS loqui ſolet, vbi calyx abit in fructum. Suntque harum aliae *mono*-aliae *poly-petalae*, iterumque vel 1) ſtellatae, vel 2) pericarpio nullo, 3) capſulari, 4) baccato vel 5) nacamentaceo praeditae. Hac occaſione monet, et recte vrget Cl. Auctor, ſemper et ſedulo in deſcriptionibus plantarum annotandum eſſe, an ſuperus, an inferus ſit flos; ſitus enim eiusmodi certiſſimum praebet chara-
p. 49. cterem. Dein de claſſe duodecima et decima tertia monet, earum plantas habitus abſoluti vim non poſſidere, per conſequens non poſſe ſtirpem, ex habitu abſoluto alteri inſerendam claſſi, abſolute repetere, et ſibi vindicare, vt euidens eſt in liliaceis aliisque, hinc etiam *habitum ſimplicem* hiſce modo, non abſolutum, tribuit. Superſunt adhuc aliae ſtirpium claſſes, vt caryophyllaearum aſperifoliarum, folliculoſarum etc. Cum vero eae non ſatis ab omnibus ſint agnitae, nec diſtinctiſſime definitae, illas, vt ordines ſolum, claſſibus ſequentibus inſerit Auctor; quae reſiduarum plantarum claſſes artificiales quidem ſunt, id vero prae aliis artificialibus habent, vt his omnibus ſint longe feliciores, et naturalibus condendis generibus mirifice faveant, ac in artificio naturam regenerent. Quo vero easdem rite definiret et ſepararet Cl. Auctor, *claſſi decimae quartae pauciſtamineas*, vltimae vero *decimae quintae multiſtamineas* tribuit. Illa continet plantas, quae ſtamina, ab vno ad nouemdecim incluſiue poſſident, eaedemque ſunt vel *mono*-vel *polypetalae*, iterumque aſperifoliae primum locantur, reliquae ſecundum fructus differentias. Vltimae claſſis plantae ſtamina viginti et plura habent, et priores quoque ſubdiuiſiones admittunt.

Hac itaque methodo cognita fere et hactenus ſtabilita plantarum, genera numero 1212 diſpoſuit

et

et ordinauit Cl. Auctor. Cuiuslibet etiam generis definitionem, breuem quidem, aſt accuratam et ſufficientem, a fructificationis partibus deſumtam, exhibuit ac vbique ſpecies addidit. In generibus, vt ipſe monuit, Linnaeanas, Ludwigianas, Boehmerianas et Gleditſchianas definitiones, in ſpeciebus potiſſimum LINNAEI, et ipſorum, a quibus hic mutuatus, aliquas inſuper ROYENI et HALLERI deſcriptiones, ſiue potius ſpecifica nomina, ſeruauit, ſpecierumque icones plerumque indicauit. Difficile quidem erit determinare, quid Cl. Auctori proprium ſit, quidque ab aliis aſſumſerit, in primis cum in generibus et ſpeciebus raro auctores citauerit. Plurima tamen Linnaeana erunt; certe ſpecies plantarum, ab illuſtri Viro duobus tomis 1763 editas, hic in compendio habemus, omiſſis ſynonymis pluribus, triuialibus autem nominibus, ſubdiuiſionibus, immo et varietatibus iisdem receptis, vt docet *medicago polymorpha*, *valeriana locuſta*, *meſembryanthemum* et multae aliae. Comparauimus primam cryptantharum claſſem cum LINNAEI cryptogamiis, et vbique ſpecies numero et nominibus conuenire cognouimus, ſolummodo addidit *ſpongiae* vndecim ſpecies Cl. Auctor, quas in prima editione ſpecierum recenſuerat, in ſecunda vero omiſerat LINNAEUS.

Licet autem haec ita ſint, nonnulla tamen in perluſtratione operis deprehendimus, quorum commemoratio lectoribus non iniucunda erit. Et primum cognouimus in nominibus genericis a LINNAEO aliquando receſſiſſe, et vel ab aliis confecta, vel, quod tamen rariſſime factum fuit, noua ſubſtituiſſe Noſtrum. Aſſumſit itaque nomen

Bugula Tourn. loco Aiugae Linn.
Manihot — — Jatrophae —

Tamnus	Tourn.	loco	Tamus	Linn.
Harmala	—	—	Peganum	—
Methonica	—	—	Glorioſa	—
Ialappa	—	—	Mirabilis	—
Staphylodendron	—	—	Staphylea	—
Camphorata	—	—	Camphoroſma	—
Hypopitys	Riv.	—	Monotropa	—
Sparganophoros	Vaill.	—	Ethulia	—
Pterophorus	—	—	Pteronia	—
Buceras	Brown	—	Bucida	—
Spathe	—	—	Spathelia	—
Pterota	—	—	Fagara	—
Xylopicrum	—	—	Xylopia	—
Pſychotrophum	—	—	Pſychotria	—
Craſſopetalum	—	—	Rhacoma	—
Meadia	Catesb.	—	Dodecatheon	—
Ooſterdychia	Burm.	—	Cunonia	—
Rotanga	Boehm.	—	Calamus	—
Manettia	—	—	Selago	—
Burckhardia	Heiſt.	—	Callicarpa	—
Rhodia	offic.	—	Rhodiola.	

Et cur haec notata nomina potius, quam Linnaeana retinuerit, aliquando rationem addidit Cl. Auctor; de *meadia* e. g. monuit: reſtituo MEADIO plantam, magis forte merenti, quam plurimi alii, quibus ſexuales conceſſere; ita et BURCKHARDII Cl. et laborioſiſſimi botanici, ſyſtematis etiam ſexualis inuentoris nomen, omnium memoria dignum eſſe, hinc optime HEISTERUM et DU HAMEL, BURCKHARDIAE genus condidiſſe, male LINNAEUM neglexiſſe, cenſuit; et de *methonica* ſcripſit, hoc nomen LINNAEUS expunxit, vt adiectiuum ſubſtitueret, propias haud ſecutus regulas. Inter ea, quae ipſe Cl. Auctor mutauit et noua condidit nomina, primo certe loco commemorari debet

klei-

kleinia. Huius enim praeclariſſimi viri memoriam, LINNAEUS, *cacaliae* genere aliter ſtabilito, exſtinxit, nec hactenus reſtituit, ideoque plantam, minus apto nomine *quisqualis* appellatam, *kleiniam* dicit, vt nos quoque exiſtimamus optime; inſignia enim KLEINII ſunt in omnem hiſtoriam naturalem merita, et hoc ſtudiorum ſuorum praemium, ſi quod eſt, iure maiori poſtulare. Ille poſſet, quam multi alii, vt antea iam de BURCKHARDO notauit Auctor; iterumque de *capparis* genere monuit, *breyniam* expunctam, nec reſtitutam huic, licet minime definito generi intuliſſe LINNAEUM. Non ſolum vero *kleiniam* reſtituit, ſed et R. P. HOCHENWART, botanicae et hiſtoriae naturalis ſtudioſiſſimo ſacram eſſe CRANTZIUS voluit plantam, quam *rhodoram* dixerat LINNAEUS. Hoc enim nomen, cum alteri datum fuerit plantae apud PLINIUM, huic generi non competere exiſtimauit. Cum nomine autem mutato, mutatam et emendatam quoque dedit generis eiusdem definitionem. Eſt itaque *hochenwartiae* flos corymboſus axillaris vel terminalis, calyx pentaphyllus, corolla pentapetala longa, quorum tria in ſemicylindrum conuoluta, ſtamina decem, ſtylus vnus, ſtigmate pentagono, capſula quinque locularis, quinque valuis. Tandem, cum *patagonia* DILL. et *patagonula* LINN. mala, vt BOEHMERUS monuit, ſint nomina, reiectis iisdem, genus Cl. Profeſſori, ASCANIO, Dano inſcripſit, dixitque *aſcaniam*. In generum conſtitutione etiam aliquando a LINNAEO receſſit, et vel ſeorſim tradita coniunxit, vel coniuncta ſeparauit. Ita *paſſerinam et lachnaeam*, *anguriam et cucumerem*, *cenopodium et atriplicem*, *iuam et parthenium*, *agauen et aloen*, *tormentillam*, *potentillam*, *et fragariam*, *penthorum et ſedum*, *aſcyrum et hypericum*, *artediam et daucum*, *dryas et geum*, *euoluulum*

et

et conuoluulum, *ſeptas et trientalin* coniunxit, vltimo vbique ſeruato nomine. *Melothriam* quoque ad *bryoniam* retulit, idque ideo fecit, quia ſexus in aliis genera non conſtituat; huius tamen rei forte immemor, idem genus et nomen ſeparatim in fructiferarum claſſe recenſuit. *Santolinam*, *caleam*, et *athanaſiam* LINN. nomine *ſantolinae* combinauit. *Kühnia*, in LINNAEI fil. Decad. II. rudiori icone expreſſa, habitu cum *eupatoriis* conuenit, et cum antherae ſolutae, aut coalitae, compoſitam plantam non faciant, eandem dixit *eupatorium ſtylis clauatis antheriſque ſolutis*. Sub *ceraſtio* comprehendit *ceraſtium*, *ſtellariam*, *holoſteum*, et *alſinen mediam* LINN. ſequenti addita definitione. Habitus alſines, corolla pentapetala, petalis bipartitis, capſula vnilocularis; *alſine* autem habet ſpecialem habitum, calicem tetra-pentaphyllum, corollam tri-tetra-et pentapetalam, indiuiſam, capſulam vni-tri-et quadrilocularem; quo genere coniunctim tradidit *ſaginam*, *elatinem*, *moehringiam*, *bufoniam*, *polycarpon*, *arenariam*, *ſpergulam*, et *alſinem mucronatam* atque *ſegetalem* LINN. et ſic continet hoc genus 32 ſpecies, hinc inde ſpecificis nominibus mutatis inſignitas. Alia e contrario a LINNAEO coniuncta, ſeparata denuo propoſuit. *Chelidonium* a *glaucio* diſtinxit, *trixin* BROWN. ad *inulam* primo, deinde ad *perdicium*, item *elliſiam* BROWN. ad *durantam* relatam, conſeruauit. *Platanocephalum* VAILL. a *cephalantho* LINN. ſeparauit, et ſub priori genere *naucleam*, quam in ſpeciebus LINNAEUS aſſumſerat, dein ad cephalanthum amandauerat, ſeorſim propoſuit. Addidit etiam nonnulla, a LINNAEO nondum memorata genera, vt eſt *cladium* BROWN, *ſcopola*, genus a IAQUINO, conditum, et bohadſchia, a Cl. Auctore Faſc. I. ſtirp. auſtriac. propoſitum.

XVII.

XVII.

Hiſtoire naturelle générale et particuliére, avec la deſcription du cabinet du Roi. Tome douziéme. à Paris, de l'imprimerie Royale, 1764. alph. 2. pl. 11. tab. aen. 57.

i. e.

Hiſtoriae naturae vniuerſalis et particularis vna cum deſcriptione muſei regii Tomus XII. etc.

Continuatam adhuc a Viris Cl. BUFFON et DAUBENTON deprehendimus quadrupedum hiſtoriam, atque in hocce tomo generalem naturae conſiderationem praemiſſam cernimus, in qua, quid natura ſit, oſtenditur. Natura nimirum, ex ſententia Cl. BUFFON, vt vis viua et immenſa ſe offert, quae omnia comprehendit, omnibus quibuscunque vitam dat, ac quae potentiae Creatoris ſubordinata, non niſi iuſſu Dei agere coepit, et adhuc, Deo adiuuante, agit. Potentia haec omnipotentiae pars eſt, quae ſe manifeſtat, eſtque cauſſa ſimul et effectus, modus et ſubſtantia, conſilium et opus, et ab arte humana differt, quod huius producta opera mortua ſint. Effectus iſtius potentiae phaenomena, in vniuerſo conſpicua, offerunt, cuius vires perpetuo viuae ſunt, quarum aliae corpora penetrant et transferunt, aliae calefaciunt et vitam excitant. Natura itaque omnia peragere poſſet, ſi annihilare et creare ei datum eſſet. Sed annihilatio atque creatio Dei attributa ſunt: alterare, mutare, deſtruere, euoluere, renouare, producere, naturae viribus conceſſit Deus. Omnia ergo creata ſunt, nec quidquam adhuc annihilatum eſt; natura inter

duos hoſce limites medium tenet, nec vnquam vel hoc vel illud attingit. Natura eſt exterior magnificentiae diuinae thronus: homo, qui naturam contemplatur, per gradus ad internum omnipotentiae thronum accedit; ad venerandum Creatorem natus, coeli ciues, rex terrae terram colit et pulchriorem reddit; ipſe praecipuum terrae ornamentum eſt, arte ſua in apricum profert, quicquid reconditum habet tellus. At vero non niſi iure quodam acquiſitionis regnat, terra potius fruitur, quam poſſidet eandem; eius cura terra colitur, culta ſeruatur, incuria eiusdem haec iura ſua rurſus obtinet, hominis opera delet, puluere opplet, tandem deſtruit. Tempora, vbi dominium ſuum amittit homo, per bella praeparantur ac cum deuaſtationibus ingruunt. Homo, qui per pacem tantum felix eſt, arma aduerſus ſe ipſe apprehendit perque inſatiabilem auri cupiditatem excitatus atque per illimitatam pariter ambitionem excoecatus humanitati renuntiat, omnes vires aduerſus ſe ipſe impendit, ſeque demum deſtruit: ſanguinolentis hiſce diebus praeterlapſis vanaeque gloriae fumo diſſipato, terram deuaſtatam, artes ſepultas, nationes diſperſas, gentes debilitatas, propriam fortunam deſtructam ſuamque potentiam annihilatam triſti oculo aſpicit.

p. 1. Tranſeamus ad hiſtoriam animalium, quae in hoc tomo deſcribuntur. Primum animal *zebra* eſt. Hoc omnium animalium quoad pellem elegantiſſimum dicitur. Figura equum, leuitate ceruum aequat, et pelle veſtitur, quae lineis transuerſis nigris et albis ſeu flauis, ſe inuicem accuratiſſime excipientibus, notata eſt. Hae lineae in foemella nigrae et albae, in mare nigrae et rufae ſunt. Plerumque cum equo vel aſino comparatur, neque tamen ad hunc, neque ad illum pertinet, ſed animal

ſui

ſui generis eſt. Zebra non confundenda eſt cum illo animali, quod a veteribus onager dicitur, neque etiam cum aſino Arabico et aſinō ſilueſtri comparanda. Promontorium capitis bonae ſpei ſolum eius patrium eſt, ex quo in alias regiones translatum dicitur. Ferum animal eſt, nec cicurari poteſt.

Animal hoc, vt equus et aſinus et mulus ad ſolidipeda pertinet, eiusque partes internae, inprimis ventriculus et inteſtina maximam conuenientiam cum partibus equi habent. Partes generationis vt in equo et aſino inueniuntur. p. 11.

2) *Hippopotamus* animal eſt, veteribus quidem non ignotum, ſed imperfecte et male deſcriptum: immo inter recentiores vnum tantum Auctorem Italum, nomine ZERENGHI, accuratam deſcriptionem dediſſe, Cl. BUFFON notat. Laudatus vir, Aegypto tunc temporis viuens, in foſſa, hunc in finem facta, hippopotamum marem et foemellam cepit, quae vtraque globulis plumbeis maioribus, ex ſclopeto exploſis, necauit. Cutis, annotante Cl. ZERENGHI, admodum craſſa et dura, rictus ingens, pedes quatuor vnguibus diuiſi ſunt; magnitudine equum vel etiam buffelum maximum ſuperat. Cauda teſtudinis caudae ſimilis eſt, ſed multo craſſior. Roſtrum et naſum vt buffelus, ſed multo maiorem, piloſque breues et paucos tantum habet; vox eius inter mugitum buffeli et hinnitum equi media eſt; dentes admodum magni ſunt, ſed non prominent, oreque clauſo, obteguntur. Quoad figuram animal hoc cum buffelo et porco conuenit, exceptis dentibus inciſiuis. Color obſcurus et nigreſcens eſt. Pullum vnum tantum parit. Piſcibus, crocodilis, cadaueribus, adeoque carne, attamen et oryza graniſque veſcitur. Dentes inciſiui et inprimis canini maxillae inferioris admodum longi, fortes et adeo duri ſunt, vt cum chalybe ſcintillent. p. 22.

 Hippo-

Hippopotamus mas ab extremitate roſtri ad ortum caudae vsque ſedecim pedes Pariſinos et nouem pollices longum eſt, in peripheria quindecim, altitudine autem ſex pedes cum dimidio habet. Crura duos pedes et decem pollices longa ſunt; caput tres pedes cum dimidio craſſum eſt: rictus, ſi hiat, duos pedes et quatuor pollices aequat. Dentes maiores vltra pedem longi ſunt. Etſi itaque hippopotamus, tantis armis inſtructus, terribile et crudele animal eſſe videtur, a natura tamen manſuetum eſt. Praeterea adeo lente in terra incedit, vt nullum animal curſu attingat: velocius tamen natat piſcesque venatur. Pedes palmatos non habet, nec niſi ob corporis volumen velociter natandi facultatem habere videtur. Fundum aquae petit, diu ibi commoratur, ibidemque etiam, quaſi in aere libero incedit. Magnos fluuios Africae nec vnquam mare inhabitat. Per diem in fluuiis commoratur, ſub nocte autem in terram ſe confert, ibidemque arundine ſaccharifera et oryza etc. veſcitur. Mas et faemella ſe inuicem ſequuntur, nec haec nec ille alterum vnquam relinquit.

p. 70. Anatomica hippopotami deſcriptio ex foetu hic deſumta eſt. Notamus ex ea, canalem inteſtinorum tredecim pedes cum dimidio longum fuiſſe, et ventriculum figuram prorſus ſingularem habuiſſe, conſtitit nimirum ex tribus partibus; praecipua earum, a fundo ſacci maioris ad pylorum vsque exporrecta, inteſtini formam habuit. Huic duae appendices ſub inteſtini coeci quaſi forma adhaeſerunt. Ventriculo diſſecto, in parte maiore ſeptum apparuit. Cor breue et acuminatum fuit. Lingua lata, plana inque extremitate rotunda apparuit. In ventre mammae duae, duos pollices cum dimidio, a vulua diſtantes, locum inuenerunt. Caput oſſeum adulti hippopotami, in muſeo regio aſſeruatum, a capite equi

equi et buffeli multum differt, haecque differentia inprimis a craſſitie maxillarum dependet, quae ab alueolorum dentium anteriorum prouenit. Dentes in hocce capite numero triginta ſex fuerunt: in quauis nimirum maxilla quatuor inciſiui et vtrinque caninus vnus, ſexque molares. Alii auctores quadraginta quatuor numerant. Subſtantia dentium inciſiuorum et caninorum ebore durior eſt, neque flaueſcere dicitur.

3) *Alce* ſeu *ceruus cornibus acaulibus, palmatis* LINNAEI et *ceruus rangifer* ſeu *tarandus* LINNAEI. p. 79.
Duo haecce animalia non niſi in regionibus borealibus reperiuntur; alce quidem ad circulum polarem et rangifer ſuper eundem in Europa et Aſia deprehenditur. Reperiuntur etiam in America, et in illis quidem regionibus, vbi frigus maius, quam in Europa faeuit. Intenſiſſimum enim frigus non metuunt, et rangifer in Groenlandia et Lapponia inque regionibus ſeptentrionalibus Aſiae communis eſt. Alce autem in Norwegia inprimis, Suecia, Polonia, Lithuania, Ruſſia, inque Sibiria et Tartaria ad regiones boreales Chinae vsque occurrit, et alce ſub nomine *orignal* et rangifer ſub nomine *caribou* in Canada et regionibus ſeptentrionalibus Americae rurſus deprehenduntur. Alce ceruo maior et craſſior eſt, cruribusque longioribus inſiſtit: collum breuius, pilos longiores et cornua multo ampliora et denſiora habet. Rangifer ceruo minor, robuſtior eſt, et cruribus breuioribus et craſſioribus pedibusque amplioribus incedit; pilos copioſiores et cornua longiora pluribusque ramis praedita habet. Duo haec animalia in collo pilis longis, cauda breui et auribus longioribus, quam ceruus, inſtructa ſunt. Nunquam ſaliendo incedunt, ſed curſus eius grauior eſt, et absque interrupta ſerie perficitur, tam ſubitus tamen, tamque leuis, vt viam eodem tem-

pore,

pore, quo ceruus, abſoluat, neque tamen corpus adeo defatiget. Per integrum enim aut duos dies currunt, neque gradum ſiſtunt. Rangifer montes, alce ſyluas humidas inhabitat. Vtrumque animal gregatim occurrit, et cicurari ſe patitur, ita tamen, vt rangifer domeſticum quaſi animal euadat. Ex hoc, rangifero nimirum, Lappones multam capiunt vtilitatem: iis enim, ceu equis, ad trahendum, vtuntur; foemellarum lac, vaccino ſpiſſius, eundem vſum, quem hoc habet, pili eius veſtimentis inſeruiunt, et ex cute corium molle et admodum durabile parant. Tempore hyberno iſtud animal lichene albo, quem ſub niue cornubus ſuis effodit, viuit, aeſtate autem turionibus et foliis arborum lubentius, quam herbis veſcitur. Lappones ditiſſimi greges ex quingentis rangiferis compoſitos habent, pauperes decem vel duodecim numerant. Si in aliud clima transferuntur, breui tempore moriuntur. Cornua quotannis deponunt. Foemellae octo menſes vterum gerunt, et vnum pullum pariunt, cuius color mixtus ex rufo flauus eſt, qui in adulto in fuſcum fere nigrum mutatur. Quilibet pullus matrem duos tresue annos ſequitur, et quarto tantum incrementum abſoluit, quo anno ad labores aptus redditur. Vt mollius euadat animal, caſtratur, quae operatio a Lapponibus dentibus perficitur. Rangiferi, ceruorum more, vermibus obnoxii ſunt, qui ſub hyemis finem in cute generantur, verſus autumnum rurſus euaneſcentes. Multa cum cura Lappones rangiferos domeſticos paſcuntur, et ad paruum gregem plures homines requiruntur, cum alias facile aufugiant, ſeque feris rangiferis admiſceant. Lapponum diuitiae vnice in rangiferis conſiſtunt, omnemque victum et amictum ab iis accipiunt. Si celeriter incedunt, fragor ac ſtrepitus pedum vngularumque tantus eſt, ac ſi frangantur

oſſa,

oſſa, qualis ſtrepitus et in alce obſeruatur. Hoſtes horum animalium lupi et gulones ſunt: nunquam tamen vnus, ſed plures lupi rangiferum aggrediuntur, cum facile vel vngulis vel cornubus interimantur. Rangiferi et alces ruminant, et rangiferorum domeſticorum aetas ad tredecim vel quindecim annos non excedit, cum feri trigeſimum forte annum attingant.

Quod ad alcen attinet, iſte ceruo et rangifero p. 109.
multo maior et fortior eſt, colorem, vt aſinus cinereum habet, et corium adeo durum, vt globum plumbeum fere eludat. Vngula ferit hocce animal et multa milliaria de die percurrit. Venantur interim animal hoc vt ceruum, multorum canum et venatorum ope. Perſecutum animal neque tamen vulneratum ſubito ſaepe in terram proſternitur, inde epilepſia laborare dicitur.

4) *Ibex*, *rupicapra* aliaeque caprae adeo cum p. 136.
capris domeſticis conueniunt, vt animalia haec nequaquam ſpecies diuerſas, ſed varietates tantum conſtituant, quamquam nouem plerumque vel decem ab Auctoribus enumerentur. Sic 1) *ibex* reliquarum caprarum ſtirps eſt; 2) *capricornus* non niſi ibex ſpurius eſt, aut potius ibex per clima degeneratus; 3) *caper domeſticus* ab ibice ortum habet, qui in ſtatu naturali non niſi caper ferus eſt; 4) *rupicapra* varietatem tantum caprae ſiſtit, qua cum ibex coire debet; 5) *capra parua*, *cornubus rectis inque apice recuruis*, de qua LINNAEUS loquitur, rupicapra Europaea eſt, in America minor facta; 6) *capra parua cornubus deorſum reflexis*, cum capro Africano conuenit, et ex rupicapra Americana producta eſt; 7) *capra nana*, quae probabiliter foemina capri Africani eſt, varietatem tantum ſpeciei vulgaris ſiſtit; 8) idem de *capro et capra Iudaica* dicendum eſt; 9) *capra Aegyptiaca* (angora) eadem ratione ſe habet.

10) *capra Indica* praecedentis varietas eſt. Ex his itaque colligit Cl. BUFFON decem haec animalia decem tantum varietates vnius ſpeciei eſſe, a differentia climatis productas, caprasque in multas ſimilitudines eſſe transfiguratas. Ibicem, capricorni ſceleton, rupicapram, caprum Africanum, capram nanam, caprum Iudaicum, et capram Iudaicam delineata hic deprehendimus.

p. 149. In deſcriptione anatomica nihil notatu dignum reperimus. Omnes enim partes partibus caprarum fere ſimiles ſunt, adeo, vt non niſi leuiſſima diſcrimina, in hoc vel illo reperiunda, differentiam horum animalium conſtituant. Sic in ibice caput inprimis ſe offert, quippe quod cornubus praegrandibus duas pedes et vltra longis inſtructum eſt. In rupicapra cornua mox ſupra orbitas eminent, pilique huius animalis longiores et craſſiores, quam in capro domeſtico ſunt. Caeterum in hoc et illo partes quodammodo robuſtiores cenſendae ſunt. In capro Iudaico partes omnes a capro domeſtico parum diſcedunt, niſi quod animal minus ſit.

p. 198. 5) *Saiga.* Animal hoc in Hungaria, Polonia, Tartaria et Sibiria meridionali obuium, a GESNERO *colus* dictus, ſpeciem caprae ſylueſtris ſiſtit, quae vero ob formam cornuum et ob defectum barbae gazellis ſimilis eſt. Cornua tamen in ſaiga albicantia et pellucida, in gazellis vero nigra et opaca ſunt. Reſpectu indolis potius cum gazellis quam ibice et rupicapra conuenit. Regiones enim montoſas non inhabitat, et animal velociſſimi curſus et altiſſimorum ſaltuum eſt. Iconem nullam hic reperimus.

p. 201. 6) *Gazellae.* Sub hoc nomine tredecim ſpecies ſeu potius varietates animalium intelliguntur, quae in vniuerſum quoad corporis formam, functiones naturales, motus leuitatem nec non magni-

tudinem et vigorem oculorum multum cum capreis conueniunt, ab iisdem autem differunt, quod, vt caprae cornua caua nec decidua habent, et praeterea veſicula fellea eodem modo, vt caprae inſtructa ſunt, adeo, vt genus quaſi intermedium inter capream et capram ſiſtant, magis tamen ad has quam ad illas accedant. Characteres eorum ſpecifici ſunt annuli transuerſales vna cum ſtriis longitudinalibus in cornubus; gibbi piloſi in cruribus anterioribus; ſtria craſſa pilorum nigrorum fuſcorum aut fuluorum in lateribus et tres ſtriae pilorum albicantium, quae in facie interna aurium longitudinaliter excurrunt. Nomina earum ſunt 1) *gazella communis*, quae in Syria, Meſopotamia et regionibus ſeptentrionalibus Africae occurrit. 2) *Keuel*, in Senegalia obuium. 3) *Corine*, itidem in Senegalia reperiundum: tria haec animalia non niſi varietates vnius eiusdemque ſpeciei ſunt; 4) *Tzeiran*, in Turcia et Perſia obuium; 5) *Roba* et 6) *Rob*, animalia Senegalenſia, varietates alius ſpeciei ſunt; 7) *Algazel* ſeu *gazella Aegyptiaca* et 8) *Paſan* ſeu ſic dictum *animal bezoardicum* varietates vnius eiusdemque ſpeciei ſunt, et gazellae bezoardicae nomen pro charactere ſpecifico habendum non eſt, ſiquidem lapis bezoar orientalis in omnibus gazellis et capris, quae Aſiae montes inhabitant, reperitur. 9) *Nauguer* ſeu *dama* veterum, in Senegalia obuium; tandem quatuor varietates gazellae Africanae, *Antilope* ab Anglis dictae, quae in Barbaria et Mauritania inprimis occurrit, et a veteribus *Strepſiceros* vocatur. Omnia haec animalia in Aſia et Africa occurrunt; et licet gazellae nomen quibusdam etiam Americae animalibus imponatur, haec tamen omnino diuerſa ſunt et peculiare genus conſtituunt. In vniuerſum itaque notandum eſt, capras, numero decem, gazellas numero tredecim, bubalos numero quatuor,

toti-

totidemque capreas et mazames, animalia ab inuicem diuerſa eſſe. Omnes gazellae oculos nigros, magnos valdeque viuidos habent. Crura eis graciliora quam capreis ſunt; pili breues, molliores magisque ſplendentes; crura anteriora, poſterioribus breuiora; plurima eorum in dorſo colorem fuluum, in ventre album habent, qui ab illo per ſtriam nigram ſeparatur. Cauda plus minus magna eſt; aures erectae, longae; pedes biſulci pedibusque ouinis ſimiles. In gazellis reperitur lapis bezoar orientalis, cuius formatio probabiliter a climate et qualitate herbarum magis, quam a natura et ſpecie animalis dependet, ſiquidem et in aliis animalibus, omnino diuerſis, reperitur. Deprehenduntur in centro horum lapidum ſilices parui, nuclei prunorum, mirobalanorum et tamarindorum, nec non caſſiae grana, fruſtulaque ſtraminum et arborum turiones, ita vt ex his coniicere liceat, producta haec in animalibus tantum reperiri, quae herbis foliisque veſcuntur. Quod ad lapidem bezoar occidentalem attinet, in aliis et multo diuerſis animalibus, nimirum *lama* et *pacos* dictis *), deprehenditur, ſiquidem neque caprae neque gazellae Americae regiones inhabitant. Alia autem dictorum animalium domeſtica ſunt, alia fera: in his frequentius in illis rarius reperitur bezoar. Verum non omnes concretiones, in animalibus reperiundae, pro lapidibus bezoar habendae ſunt. Sic calculi vrinarii et biliarii ab iis plane diuerſi ſunt, differunt etiam nonnullae concretiones in aliorum animalium, inprimis ruminantium, ventriculis reperiundae, quae in inferioribus ex pilis ſeu radicibus non digeſtis compoſitae exterius materia viſcoſa obducuntur, et *Aegragopilae* vocantur. Veri itaque lapides bezoar, quibus

*) Vid. Commentar. noſtr. Vol. XI. P. IV. p. 454.

quibus laudatiſſimae adſcribuntur virtutes, orientales ſunt, et quidem illi, qui ex capris, gazellis et ouibus proueniunt, quae cacumina montium in Aſia inhabitant; his inferiores ſunt illi lapides bezoar, qui in capris et gazellis Africae reperiuntur. Ex his colligendum eſt, lapides bezoar non niſi reſiduum victus vegetabilis eſſe, nec vnquam in animalibus carniuoris reperiri. Cum autem plantae, in montibus Aſiae meridionalis creſcentes, multo efficaciores multoque magis elaboratae, quam in vlla mundi regione creſcant, dicti lapides reliquis efficaciores cenſendi ſunt: cumque in America calor minor ſit, et herbae minus efficaces deprehendantur, lapides bezoar occidentales multo inferiores ſunt. Cum demum plantae in Europa debiliores et craſſiores creſcant, nunquam lapides bezoardici, ſed aegagropilae, ab indigeſtis pilis aut radicibus productae, in animalibus reperiuntur.

Ex anatomica gazellae deſcriptione notamus, caput huius animalis, quoad oſſa multum cum caprea conuenire, in eodem aeque ac in caprea dentes triginta duos, octo nimirum inciſiuos in maxilla inferiore ſexque molares in vtroque latere vtriusque maxillae reperiri, duosque poſteriores inciſiuos, vt in caprea ſe habere. Vertebrae dorſales numero tredecim ſunt, totidemque coſtae, octo nimirum verae et quinque ſpuriae. Os ſacrum ex vertebris ſpuriis quatuor, cauda vero ex decem componitur. Caeterum oſſa gazellae parum ab oſſibus capreae et capri differunt. p. 249.

Kevel, animal gazella minus eſt, et a gazella differt, quod maiores orbitas habet, caeterum maximam partem cum gazella conuenit. p. 255.

Corine reſpectu cornuum et pilorum a praecedentibus differt, ſiquidem pili longiores, ſed eiusdem colo- p. 261.

coloris ſunt, cornua autem retrorſum et deorſum reflexa reperiuntur.

p. 278. De lapidibus bezoar notat Cl. DAUBENTON, eos in ventriculis vel inteſtinis animalium, et ex ſucco quidem herbarum, quibus veſcuntur, concreto et indurato formari. Hancce generationem probabilem eſſe, ex eo Noſter coniicit, quod dentes animalium ruminantium ſimili materie inueſtiantur. Non ſolum autem hoſce ſuccos, ſed etiam materiem tartaream, ab iſtis ſuccis tinctam, cumque iisdem mixtam, ad formandos iſtos lapides concurrere, autumat.

p. 294. 7) *Bubalus*, qui in Barbaria partibusque ſeptentrionalibus Africae occurrit, magnitudine et forma ceruum, cornubus gazellam maximam et roſtri longitudine, nec non oſſium cranii diſpoſitione bouem aequat. Caput huius animalis anguſtum et valde elongatum eſt, oculi prominent, frons breuis et anguſta eſt, cornua nigra, craſſa, annulis notata non decidunt, ad ortum propius ad ſe inuicem accedunt, inque extremitate longius diſtant. Cauda pedem longa et in extremitate hirta eſt. Pili huius animalis, vt in alce, ſunt, ad radicem nimirum tenuiores, quam in parte media et extrema: id, quod duo haec animalia prae aliis peculiare habent.

p. 301. 8) *Condoma*, in promontorio capitis bonae ſpei obuium eſt. Caput huius animalis, quod vnice hic deſcribitur, multum cum cerui capite conuenit, ſed alia cornua caua et reflexa habet. Hocce animal a Cl. KOLBE deſcriptum eſſe videtur.

p. 305. 9) *Guib* in Senegalia deprehenditur, et magnitudine atque figura corporis, leuitate crurum, nec non capite, roſtro, naſo et oculis, *Nanguer* dictae, ſimilis eſt. Differt autem a gazellis, quod calorem in pectore obſcure fuſcum et cornua laeuia, aliquan-

tum

tum compreſſa habet, qua in re capris potius, quam gazellis ſimile eſt.

10) *Capra ſylueſtris Africana* GRIMMII, ſeu *Grimmia capra* LINNAEI, cauitate infra oculos enormi, et faſciculo piloſo, ſurſum in ſummo capite erecto, ab aliis capris et gazellis ſe diſtinguit, his tamen aeque ac illis ob formam corporis et cornua ſimilis eſt, et animal inter capras et tragulos intermedium quaſi ſiſtit. p. 307.

11) *Traguli*, in Senegalia deprehendendi, omnium animalium biſulcorum minima ſunt, roſtro quidem, leuitate corporis, cauda breui et cruribus ceruum ſimilant, magnitudine vero leporem aequant. Alia eorum parua admodum cornua, caua et annulis diſtincta habent. Inſigniter ſaliunt, ſed celeri curſu non incedunt, hinc facile a nigris capiuntur, et baculis necantur. Caro eius ſaporis egregii eſt. Parua haec animalia non niſi regiones calidiſſimas inhabitare poſſunt. Manſueta ſunt et familiaria, neque in America, neque in vlla regione temperata deprehenduntur. p. 310.

12) *Mazaine* et *Temamaçame* in regno Mexicano occurrunt, vixque a capreolis differunt, nec niſi varietates horum animalium ſiſtunt. p. 317.

Ex anatomica traguli deſcriptione notamus, hoc animal octo dentes inciſiuos, dentibus cerui ſimiles, in maxilla inferiore habere, in ſuperiore autem inciſiuis dentibus deſtitutum, duobusque dentibus caninis admodum longis, retrorſum reflexis, et in qualibet maxilla vtrinque quatuor molaribus inſtructum eſſe. p. 341.

13) *Coudous* animal non ſatis cognitum eſt, et cornu tantum eiusdem in muſeo regio aſſeruatur, cui ſchedula affixa eſt, in qua haec verba leguntur: *Cornua animalis, fere inſtar equi, colore gryſeo, vna cum crine, velut equus, in anteriore parte capitis:* p. 357.

vocatur hic loci (Pondichery) *Coesdoes, quod pronuntiari debet Coudous.* Coniicit autem Cl. BUFFON, eſſe animal, ad buffeli genus pertinens.

p. 361. 14) *Animal moſchiferum, moſchiferus moſchus* LINNAEI, in China obuium pilos rudes et longos, roſtrum acuminatum et dentes caninos exertos, vt porcus, habet. Proxime itaque ad porcorum genus accedere videtur, cum autem ruminantium in modum dentibus maxillae ſuperioris careat, tragulo potius ſimile eſt. Verum ab omnibus animalibus ſe diſtinguit burſa, prope vmbilicum reperiunda, in qua humor vnguinoſus, moſchus dictus, ſecernitur, qui et odore et conſiſtentia a materia zibethica differt. Hic humor tempore oeſtri venerei inprimis ſecernitur, eoque tempore virtutem et odorem acquirit. Alio tempore raro bonus eſt. Cum autem dictus humor pruritum animali excitet, iſtud verſus lapides ſeu arborum truncos ſe fricans eo ſe liberat, tuncque lapidibus adhaerens a Chinenſibus colligitur, ſimulque ſanguine coagulato vel etiam plumbo adulteratur, quo copia eiusdem augeatur. Vix itaque moſchus genuinus habetur, ſed, cum parua eiusdem portio inſignem quantitatem alius materiae odore ſuo imbuat, plerumque moſchus adulteratus venditur.

p. 379. 15) *Babirouſſa* ſeu *porcus Indicus* in pluribus locis Aſiae meridionalis et Africae occurrit. In muſeo regio caput tantum animalis aſſeruatur, cuius deſcriptio hic communicatur. Comparatur quidem hocce animal cum porco, ſed nec caput, nec formam, nec ſetas, nec caudam porci habet. Crura eius altiora ſunt, et roſtrum minus acuminatum. Corpus eiusdem breuibus et lanae inſtar mollibus pilis obtegitur, caudaque flaccoſa eſt. Agilius multo animal eſt; pili colorem gryſeum, ruffo et aliquantum nigro mixtum, habent; auresque breues

et

et acuminatae ſunt. Ab omnibus tamen animalibus per quatuor dentes caninos diſtinguitur, quorum duo breuiores, eodem modo, vt in porco, ex maxilla inferiore prominent, duo autem multo maiores, ex ſuperiore maxilla prouenientes, labium ſuperius perforant et arcuati ad oculos vsque pertingunt. Licet autem animal hoc hiſce armis inſtructum terribile videatur, apro tamen minus periculoſum eſt. Gregatim incedit; grunnitum terribilem edit, ſeque dentibus inferioribus, nunquam ſuperioribus, qui potius impedimento ſunt, contra hoſtes defendit. Facile cicuratur: caro eius boni ſaporis eſt. Herbis et foliis veſcitur, neque porcorum more hortos deuaſtat. Nunquam cum porcis coit. Leuiori curſu incedit, et a venatoribus canibusque fatigatum in mare ſe praecipitat, atque ſe ſubmergendo, ſaepe periculo ſubtrahitur.

16) *Cabiai, capybara Braſilienſibus, porcus fluuiatilis* MARCGRAVII, in America occurrit. Maxima horum animalium vix porcum octodecim menſium magnitudine aequant. Caput eorum breuius eſt, rictus minus fiſſus, dentes pedesque a porcinis plane diuerſi. Pedum digiti membrana inter ſe connectuntur, caudam nullam, neque dentes caninos exertos habet. Oculi maiores, aures breuiores ſunt. Aquam ſaepe inhabitat, et lutrae in modum natat. Piſcibus, granis, fructibus et arundine ſaccharifera viuit. Vox eius aſininae voci potius quam grunnitui ſimilis eſt. Aegre incedit, et ſub nocte tantum, nec longe a mare recedit. A venatoribus exagitatum aquae ſe ſubmergit et alio in loco emergit. Caro eius pinguis et tenera eſt, ſed vix boni ſaporis, piſces enim malae indolis ſapit. A natura mite eſt, nec vlli animali nocet, facileque cicuratur.

p. 384.

Ex anatomica huius animalis deſcriptione notamus, coecum inteſtinum et hepar admodum magnum magnamque pariter veſiculam felleam, et linguam anguſtam in eo reperiri, tredecim vertebras dorſales totidemque coſtas, ſeptem veras ſexque ſpurias, vertebrasque lumborum ſex, vertebras ſpurias quatuor in oſſe ſacro, et ſeptem alias oſſi ſacro annexas deprehendi.

p. 402. 17) *Hyſtrix*, quae a plerisque vt porcus ſpinoſus conſideratur, nihil niſi grunnitum cum porco communem habet. Caput enim breue eſt, in quauis quidem maxilla duo dentes inciſiui, ſed nulli canini exerti, roſtrum fiſſum, vt in lepore, aures rotundae et planae, et pedes vnguibus armati. Partes generationis exterius non apparent. Hyſtrix in vniuerſum conſiderata ob caudam breuem, myſtacem longum, labiumque fiſſum, magis ad leporem vel caſtorem, quam ad porcum accedit, ab iis tamen animalibus differt omnino, et peculiarem prorſus ſpeciem ſiſtere videtur. Patriam agnoſcit regiones calidiſſimas Africae et Indiae, in aliis tamen minus calidis, vt Perſia, Hiſpania et Italia quoque viuit, ibidemque propagatur. Animal ferox plerumque non eſt, et dentibus inciſiuis, vt caſtor, lignum arrodit, ſicque ianuam domicilii, quo includitur, facile perforat. Radicibus et granis veſcitur, ſed cicurata mica panis, caſeo et fructibus viuit. Caro eius ſaporis aliquantum fatui eſt. Quod ad aculeos, cuti inſertos, attinet, pennas veras ſiſtunt, ita, vt hanc ob rationem animal inter quadrupeda et aues medium quaſi eſſe videatur.

p. 409. Hyſtrix reſpectu aculeorum erinaceo ſimilis quidem eſt, caeterum autem ab eo omnino differt. Aculei longiſſimi nouem pollices ſunt partique poſteriori dorſi infixi. Poſterior pars capitis, collum, pectus, venter, crura, paruis aculeis obteguntur.

Roſtrum

Roſtrum et pedes ſetis obteguntur. Myſtax ex ſetis, dimidium pedem longis, componitur. Inter aculeos longae ſetae ſunt. Aculeos pro lubitu erigit vel deprimit. Irritatum animal pedibus poſteriori-bus terram calcat, caudamque mouens aculeorum ope ſonitum excitat. Coecum inteſtinum hyſtricis magnum eſt. Vertebrae dorſales quatuordecim numerantur, totidemque coſtae, octo verae ſexque ſpuriae. Vertebrae lumborum quinque, et in oſſe ſacro vertebrae ſpuriae quatuor inque cauda decem ſunt.

18) *Coendou, Cuandu Braſilienſibus* MARCGRAVII, a nonnullis *hyſtrix Americanus* vocatur, licet ab hyſtrice inſigniter differat. Animal enim multo minus eſt; caput ratione corporis minus longum, et roſtrum breuius, nullumque faſciculum piloſum in capite, nec labium fiſſum habet. Aculei quidem cuti infixi ſunt, ſed breuiores et tenuiores. Cauda longa eſt. Animal carniuorum dicitur; erinaceorum more interdiu dormit, et ſub nocte incedit; arbores ſcandit, ramisque caudam circumuoluit. Caro eius edulis eſt. Cicurari ſe patitur, et in omnibus Americae prouinciis occurrit. Pedes eius poſteriores digitis quinque, anteriores autem quatuor inſtructi deprehenduntur. Vngues magni, curui et acuminati ſunt. p. 418.

19) *Vrſon*, *hyſtrix hudſonis* BRISSONII, *dorſata* LINNAEI, animal in America ſeptentrionali obuium, minime cum hyſtrice et coendou conuenit, potius ad caſtorem accedit, ideoque *caſtor ſpinoſus* vocari poſſet. Eiusdem enim magnitudinis eſt, fereque eandem formam, nec non in qualibet maxilla duos dentes inciſiuos, longos, fortes et ſcindentes habet. Duplici quaſi pelle inueſtitur. Pilos enim longos et molles inſimulque plumas quaſi, adhuc molliores habet, ſub quibus cunctis aculei latent. p. 426.

Aquam fugit et ſub radicibus arborum cauarum ſe abſcondit. Multum dormit, et cortice iuniperi inprimis veſcitur. Tempore aeſtiuo tantum, hyemali vix aquam bibit, eamque canum more lambit. Barbari carnem eius comedunt, pelleque eiusdem vtuntur.

p. 438. 20) *Tanrec* et *Tendrac* duo parua animalia Indiae orientalis ſunt, quae erinaceo quodammodo ſimilia videntur, ſed vere ab eo differunt, et peculiares ſpecies conſtituunt. Nunquam vt erinacei in globum ſe conuoluunt. *Tanrec* roſtrum longius, aures magis conſpicuas et aculeos minus pungentes habet, quam *Tendrac*. Hoc animalculum magnitudine rattum maiorem aequat, roſtrum breuius et breuiores aures habet. *Tanrec* minoribus aculeis, ſed numeroſis, vt erinaceus obtectum eſt, illud e contrario non niſi in capite, collo et anteriore parte dorſi aculeos habet, reliquum corpus pilis rudioribus, ſetis quaſi porcinis obtectum eſt. Parua haec animalia cruribus valde breuibus inſtructa ſunt, admodum lente incedunt, porcorum more grunniunt, aquas amant, et longiori tempore in iisdem, quam in terra commorantur, copioſe propagantur, cuniculas effodiunt, ſeque in iisdem abſcondunt. Plerumque valde pinguia ſunt, et licet caro eorum ſaporis fatui ſit, Indiani tamen eis delectantur.

XVIII.

Das neueſte aus dem Reiche der Pflanzen, oder mikroſcopiſche Unterſuchungen und Beobachtungen der geheimen Zeugungstheile der Pflanzen in ihren Blüten, und der in denſelben befindlichen Inſekten; nebſt einigen Verſuchen von dem Keim, und einem Anhang vermiſchter Beobachtungen, beſchrieben und mit Farben nach der Natur vorgeſtellet von WILHELM FRIEDRICH, *Freyherrn* VON GLEICHEN, *genannt* RUSSWORM, *Herrn auf Greifenſtein und Bonnland, Groſskreuz des Brandenburgiſchen rothen Adlerordens und Hochfürſtl. Brandenburg. Culmbachiſchen geheimden Rath. Herausgegeben, verlegt und mit den nöthigen in Kupfer geſtochenen und illuminirten Abbildungen verſehen von* Iohann Chriſtoph Keller, *Maler in Nürnberg. Gedruckt bey Chriſtian de Launoy ſeel. Erben,* 1764. fol. Alph. 1. pl. 17. tab. aen. microſcopii 6. libri 35. appendicis 10.

i. e.

Noua regni vegetabilis, ſiue disquiſitiones partium generationis in plantis, earumque floribus, nec non in iis reperiundorum inſectorum. Inſunt tentamina circa germen, accedit appendix variarum obſeruationum. Auctore GUILIELMO FRIDERICO DE GLEICHEN, L. B. nomine RUSSWORM. Edidit, figuras in aes incidit atque coloribus viuis pinxit *Ioannes Chriſtoph. Keller,* pictor Norimbergenſis.

Etſi iam diu elegantis huius et multa cum cura ſingularique cum attentione ſcripti ab Ill. Auctore operis mentionem fecerimus *), nunc tamen de eo demum referimus, quum illud expectationem etiam noſtram, olim de eo ſuſceptam, ſuperare nunc perfectum, inueniamus. Hinc ab omni abſtinemus eius commendatione, aſſentientes Cl. SCHMIEDELIO, qui in praemiſſa illi praefatione, vbi ſimul contra animalculorum ſpermaticorum naturam dubitationes factas perpendit, merita in perſcrutandis minimis rebus Ill. Auctoris recenſet. Vſus autem ille eſt microſcopio, quod vniuerſale vocat, quoniam et pellucidis et obſcuris corporibus accurate diſtinguendis inſeruit, vlteriori tamen eius deſcriptione ſuperſedemus, quod ſine iconibus, in quibus et integrum et partes ſingulae ſubtiliter delineantur, mechaniſmus eiusdem intelligi nequeat. Monemus tantum illud ad ſimplicia pertinere, et interdiu aeque, radiis ſolis luceque decenti, ac nocte, lampadis, hunc in finem conſtructae, ope cuncta ſufficienter et accurate disquiri poſſe. Modus quoque, adhibendi et vtendi microſcopiis vlterius in introductione probatur, ex qua de magnitudine corporum per lentes aucta ratio datur ita, vt in minima diameter corporis videndi ſedecies, eius ſuperficies ducenties quinquageſies et ſexies, in maxima vero diameter eiusdem corporis quadringenties, ſuperficies tandem centies et ſexageſies millies augeatur, oculo ſcilicet octo digitorum ſpatio diſtante adhibito.

p. 11. Nunc ipſum eo ſcilicet ordine percurremus opus, quo olim indicauimus. Prima ſectio de generibus et floribus plantarum agit, vbi Ill. Auctor partes florum ſingulas deſcribit atque definit, eorum potiſſi-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. X. P. III. p. 560.

potiſſimum in gratiam, qui botanices ignari ſunt. Singularis a Noſtro facta animaduerſio eſt, in Mays ſpica ſtaminifera, ad quam ſemina adhaeſere varia, quae facta experientia ſuae virtutis prolificae ſigna per ſuccedens incrementum felicia dederunt. Secunda ſectio piſtillum diſquirit, quod cum tuba vteri comparat, tertia ſtamina pertractat, quorum diuerſitates ab incremento, nexu et proportione ita recenſet, vt diſcrimina generum inde pateant. Adduntur his icones, *tab. I.* ſiſtit flores *melonis*, cuius corollam monopetalam eſſe monet, in virili flore quinquifidam, in feminino ſexfidam, vtramque tamen ſtamina antheris fariniferis inſtructa habere, contra affinium plantarum fabricam. Habitat etiam in hoc flore inſectulum hic delineatum. *Tab. II.* ex hermaphroditis plantis ſiſtit *trifolii vulgaris* flores et ſingularem inſecti phyſapodis ſpeciem. *Tab. III.* vero *polypodium*, cuius capſulae vel veſiculae, in auerſa foliorum parte occurrentes, annulo articulato connexae, ſub membranula folii, in qua puluis antherarum occurrit, deliteſcunt, atque in duo hemiſphaeria dehiſcentes, plura ſemina recondunt. Ex diphytis plantis *tab. IV. lupulum* proponit, quem cannabi ſimilem iudicat Ill. Auctor. p. 20.

Sequitur ſectio quarta de puluere antherarum, ceu maſculo plantarum ſpermate. Oritur ille ex ſuccis plantae maxime elaboratis atque ſubtilibus, ex quibus aquoſae tranſpiratione diſſipantur, oleoſae magis condenſantur, quae cum aeris purioris reſorptis moleculis quaſi fermentationem ſubeunt, quo facto optimae ſeparatae et excuſſae in pulueris maſſam vertuntur, variae formae, qui iterum, aquae inditus, in aqua, ex NEEDHAMI obſeruatione, ſubito diſſilit, id, quod contra Cl. KOELREUTERUM, a quo variis in locis diſſentit, Noſter defendit. Affuſo ſpiritu vini, minimis agitantur, vti p. 27.

ani-

animalcula ſpermatica, motibus, et ex oleo atque
p. 35. ſale conſtant. In quinta ſectione, quae de conceptione agit, variorum porro ſententias, tum antiquiorum, tum recentiorum recenſet, generationem autem plantarum ex animalium generatione dilucidandam eſſe arbitratur Noſter, ſimulque animalculorum ſpermaticorum praeſentiam, vt certiſſimam habendam eſſe iudicat. Maturus nempe antherarum puluis ex capſulis, quibus continebatur, expulſus ſtyli papillulis adhaerens, a viſcido earum ſucco retinetur, vel in tubulos eiusdem recipitur; idem ille ſuccus ſingulam moleculam ad diſſiliendam diſponit, quo intus contentae particulae, ceu ger-
p. 43. mina, exprimantur. Non enim puluerem integris ſuis moleculis in tubulos recipi poſſe, eorum magnitudo, apte id demonſtrante microſcopio, vetat. Sed, quod ex vario ſitu ſtylorum in floribus aliisque ex cauſſis difficultas oritur ingrediendi in tubulos, duplicem adiuuantem cauſſam adſumit Ill. Auctor, attractionem nempe per ſuccos ouuli et propriam illarum germinum ſeſe mouendi facultatem. Quamprimum ingreſſum eſt in ouulum tale germen, clauditur illud, aliisque accedendi via praecluditur. Cauſſas porro, quare conceptus aliquando non fiat, diſquirit, nec non de hybridarum plantarum formatione earumque fertilitate, in animalibus quoque non deficiente diſſerit. Addita huic capiti tabula praecipua momenta ſiſtit. Pergit deinde ſe-
p. 53. ctione ſexta ad diſquiſitionem germinis, ſeu eam partem ſeminis, quae virtute vegetandi inſtruitur: hanc plantulam ſeminalem botanici appellant. Praeterimus ea, quae de membranulis, cotyledonibus, nec non de delineatione ſeminum in floribus, gemmae incluſis, Ill. Auctor diſputat, quum rei peritis ea iam cognita ſint, imperiti autem ex ſola deſcriptione ſine iconibus vix intelligant. Ingreſſum autem per

per proprios ſtyli ductus germen in delineatum ſemen, in phaſeolo diſſecto oſtendit Noſter, in peculiari aliquo cauo partis poſterioris reperiundum. Hoc increſcit et mutatur, radiculam ceu funiculum p. 56. vmbilicalem dimittit, plumulaque magnitudine ſenſim augetur et conſpicua magis fit. Differentias varias in piſo, mays et tritico multo cum ſtudio, ſaepius repetitis obſeruationibus, copioſisque figuris eximie illuſtrat. His itaque partibus perfectis, ceſſat vlterius incrementum plantulae, et tuta expectat, nouam vlterius vegetandi opportunitatem, etſi procraſtinatam. Defenditur tamen a corruptione olei ſalisque partibus, quae ſuccis eiusdem primigeniis inſunt. Sed, quo eo certior reddatur Ill. Auctor, num per eundem locum in vegetatione ingrediantur ſucci, per quem acceſſit germen, inſtituta hunc in finem, aliqua recenſet tentamina, quibus de veritate conuincatur. Neque p. 62. ingreſſus aquae ſolus ſufficit, ſed aliqua quaſi eius fermentatio, quae diſſipationem humidorum producens, radiculam ſimul propellit, quae ob has cauſſas ponderoſior facta, ſponte ſua deorſum nititur et deſcendit, impedimenta ſibi occurrentia euitat et ſuperat; vel, ſi finis radiculae exſiccatus fuerit, vicina parte propulſa eadem efficit. Conſtat enim ex minutis capillaribus vaſculis, quae viciſſim nouos ex terra ſuccos haurientes plumulam protrudunt et explicant, ea quidem vi, vt aliquando, ſicuti in piſo, cotyledones ſimul ex terra prorumpant. Vaſa porro plumulae deprehenſa ſunt, intus ſeptulis diuiſa, quo facilius admittant, quam remittant ſuccos, quos non aquoſos mere, ſed terreis ſubtilibus principiis aliisque imbutos aſſumendos eſſe docet, vt ea propter non reſoluti forte cotyledonum ſucci, in plantulam deducti, ſolum incrementum faciant, quum cotyledones per longum iam vegetantis

plantae

plantae tempus vix mutati perſiſtant, ſed noui etiam nutritiis moleculis impraegnati, adducantur. Additae tabulae quinque in quinquaginta figuris haec momenta exhibent, diſquiſitu digniſſima.

Breuiter nos momenta, naturam rerum attinentia adduximus, nec non inuentorum nouorum Ill. Auctoris rationem reddidimus, adiecit ex tribus hermaphroditarum, monophytarum atque diphytarum plantarum claſſibus varias delineationes florum earundemque partium, a ſe ipſo, vt reliquas, delineatas et pictas, quibus ſuperiores obſeruationes animaduerſionesque illuſtrantur et diiudicantur. Sunt autem ſequentes: in *tab. V. corylus ſatiua fructu oblongo rubente*, cuius ſtyli in omnibus varietatibus rubent. *Tab. VI. auena*, quae ſtylum duplicem a parte externa per dimidiam ſuperficiem, a parte interna vero integre plumoſum oſtendit. *Tab VII. beta ſylueſtris radice craſſa*, iterum ſingularis ſtyli eſt conditio, cuius ſtigma ex foliolis conſtat, intus veſiculis inſtructis, apice conico excauato. *Tab. VIII. gramen dactylon eſculentum, ſanguinella*: duas tantum eius pingit antheras, et per microſcopium luculenter vidit ſtigmatum aperturas feminisque interiorem ſuperficiem reticulatam. *Tab. IX. et X. ceraſa acidiſſima ſanguineo ſucco*, ex quibus praecipue declarat, papillas non eſſe vias recipiendo embryoni aptas, ſed guttulas exſudantis ex minimis canaliculis fluidi. *Tab. XI. malum armeniacum maius*; floris partes, vt priorum, in gemma diſquiruntur. *Tab. XII. malus perſica*, eodem modo. *Tab. XIII. onobrychis maior*, cuius vt prioris inſectum inhabitans ſimul delineatur. Siſtitur *tab. XIV. malus. Tab. XV. pyrus ſatiua*, quae partibus floris inter ſe propemodum conueniunt, et ab Ill. LINNAEO ad vnum genus referuntur. Differentiam tamen detexit microſcopium, quo conſtitit, fructus rudimentum

tum mali, tranſuerſim diſſectum, decem vias ſtylorum oſtendiſſe. *Tab. XVI. triticum*, in cuius flore plerumque habitat phyſapus ruber, etiam delineatus. *Tab. XVII. fagus.* Stamina eius ſenſim euolui vidit, antherarum puluis humectatus germina explodit ſeſe mouentia. *Tab. XVIII. lactuca*, puluerem antherarum hirſutum exhibet. *Tab. XIX. zea ſ. mays.* Antherae eius dependentes imo ſuo loco aperiuntur, ſtylus filiformis ſingulus ex multis conſtat tubulis, latere ramoſis, ramulis apertis, in quibus germina nataſſe conſpexit Noſter. *Tab. XX. ſecale*, vbi etiam in inuolucris plerumque bifloris, tertium pedunculatum detexit, an ſingularis ſpecies? *Tab. XXI. linaria lutea vulgaris*, praeter iam cognitas partes, reperit Ill. Auctor nectarium in ima parte corollae, quod humectatum veſiculare apparet. In corolla quoque ſaepiſſime ineſt phyſapus variegatus, cuius etiam caput et partes eius ſuo microſcopio viſas exhibet. *Tab. XXII. cucurbita*, quae maximos pulueris antherarum globulos habet, ſuperficie aſperos, papillulis apertis inſtructos, ex quibus germina protruduntur, ita forte factos, vt coniicit Noſter, quo in vias ſtyli penetrantes haec immittere queant. *Tab. XXIII. iuniperus*, cuius maſculos et femininos flores hic conſpicimus, antherae globoſae, piſiformes folio adfixae tres ſunt, raro quatuor, in femininis floribus calyx ſquamoſus, ſtigmata tria, oblonga, aperta habet; petala vero Ill. Auctor non deſcribit. *Tab. XXIV. ruta muraria offic.* Sollicite ſtructura veſicularum, earumque annuli et diſſiliendi modus, vt in polypodio, ſupra deſcripto, contingens refertur, nec non antherarum, aut earundem pulueris praeſentia.. *Tab. XXV. ſpinachia.* Notamus, hermaphroditas plantas etiam obſeruaſſe Noſtrum, nec non ouula duobus foliolis incluſa vidiſſe. *Tab. XXVI. corona ſolis*

paruo

paruo flore, tuberoſa radice Tourn. puluerem antherarum minimum habet. *Tab. XXVII. hordeum.* Styli villoſi, villos, niſi in apice, omnes intus habent, nec in medium ouulum inſeruntur, ſed diſtincti a latere progrediuntur. *Tab. XXVIII. pinus ſylueſtris*, cuius ſtrobili per duos fere annos creſcunt, priusquam matura emittant ſemina. *Tab. XXIX. quercus*, maſculi flores ex annoſiore, feminini ex recentiore ligno proueniunt. *Tab. XXX. fragaria.* Ouula thalamo aperte incumbunt, et ſtyli a latere inferiori inſerti obſeruantur.

Accedit tandem variarum obſeruationum, microſcopio inſtitutarum, appendix. In praefatione Ill. Auctor varia contra obſeruata Cl. REAUMURII monet. Abſoluitur haec appendix decem tabulis: *Tab. I.* proponit *ſcarabaeum in mays;* nitide expreſſum. *Tab. II. inſectulum, quod aphides exſugit*, REAUMUR vocat *Lion des pucerons.* *Tab. III.* muſca elegantibus picta coloribus, forte ex prioris inſectuli metamorphoſi, vocatur *die Hofdame.* *Tab. IV. ſitus phaſeolo increſcens*, veſiculas exhibet, quae puluerem prolificum potius, quam ſemina continent. Porro vermis in fungo deprehenſus, antherae fungorum, lamellis ſub capitulo fungi obſeruandis, adhaerentes. *Tab. V. muſcus, folio pyri innaſcens*, iam a LEDERMÜLLERO propoſitus, elegantius hic repetitur, ſimulque ſemina in muſco reperiunda, repraeſentantur. *Tab. VI. ſemina in foliis braſſicae putridis apparentia*, ita diſquiſiuit, vt commune praeiudicium, ac ſi vera eſſent ſemina, excuteret, cum non ſolum terrae indita, non vegetent, ſed etiam microſcopio curatius perluſtrata, ſtructuram, terrae tuberi ſimilem, oſtendant. An forte, quum coſtis foliorum adhaereant, quaerit Noſter, ſunt concreta ſucci in tranſpiratione cohibiti et concreti? an gallorum geneſis aliquid explicat. *Tab. VII. tipula,*

ex

ex vino, in acetum tranſeunte. Simillima his haec deſcripta ex pyro putrido prodiit. Deſcribit Noſter geneſin ex verme et mutationes accurate. *Tab. VIII. phalangium cancroides L.* Habitat plerumque in vetuſtis libris, ab aliis iam deſcriptum hocce inſectum nitidius, quoad ſuas partes, proponitur, nec non aliud minimum in fungo repertum inſectulum. *Tab. IX. vermis plumas exedens*, cum nympha et ſcarabaeo inde prodeunte. *Tab. X. ſemen et germen coffeae.* Hoc germen in cotyledone inflexo ac intorto deliteſcit; praeter hiſtorica momenta, vegetationis rationem atque ſtructuram ſingularem partium ſuppeditat Ill. Auctor, ſimulque ſpem facit, fore, vt aliis nouisque tentaminibus naturae penetralia pandat, quod et optamus et auide exſpectamus.

XIX.

Opiſanie zemli Kamtſchatki ſotſchinennoje STEPANOM KRASCHENINNIKOWYM, Academii Nauk Profeſſorom. *d. i. Beſchreibung des Landes Kamtſchatka, verfaſſet von* STEPHAN KRASCHENINNIKOW, *Profeſſor bey der Academie der Wiſſenſchaften. II. Theile.* 4. *Petersburg, bey der Academie der Wiſſenſchaften* 1755 *in einem Auszuge in Engliſcher Sprache bekannt gemacht von* IACOB GRIEVE, *Doctor der Arzneykunſt, und mit Landkarten und Kupferbildern* 1764 *herausgegeben von* T. IEFFERYS, *Königl. Erdbeſchreiber in London, nun in das Deutſche überſetzet und mit Anmerkungen erläutert von* IOH. TOBIAS KÖHLER, *Prof. zu Göttingen, und Mitglied der Churmaynziſch. Acad. der nützl. Wiſſenſchaften. Lemgo, in der Meyeriſchen Buchhandlung,* 1766. 4 mai. Alph. 1. pl. 20. tab. aen. VII.

i. e.

Deſcriptio Kamtſchadaliae, auctore STEPHANO KRASCHENINNIKOW. Tom. I. II. 4. Petropoli in Academia Scient. 1755 a IACOBO GRIEVE in epitome Anglici idiomatis publicata; 1764 a T. IEFFERYS cum mappis geographicis ac tabulis aeneis diuulgata, nunc vero linguam Teutonicam translata et animaduerſionibus illuſtrata, cura IO. TOB. KOEHLERI.

Inter omnes iam conſtat, Imperatricem Ruſſorum ANNAM anno 1733 decreuiſſe iter, a GMELINO, DE-

DELISLE DE LA CROYERE, atque MÜLLERO cum ſex ſociis Ruſſicis ſuſcipiendum, ad diſquirendas oras maris glacialis et Kamtſchadaliae, poſteaque ad examinandam Iaponiam, Americam, eamque et inprimis Kamtſchadaliam deſcribendam, vt ſcilicet prior hiſtoriam naturalem, alter obſeruationes phyſicas, tertius incolas deſcriberet. E ſociorum numero erat STEPH. KRASCHENINNIKOW, quem reliqui, cum via Kamtſchadaliae per mare glaciale iis vix detegenda videretur, ipſique decernerent interea varias in Sibiria inſtituere obſeruationes, anno 1736 ſolum in Kamtſchadaliam miſerunt. Is igitur totam hanc prouinciam peragrauit, interpretibus atque cuſtodibus ſatis inſtructus. Anno 1740 DELISLE et STELLER, duce BERINGO, ibidem appulerunt, attamen STELLER paulo poſt in reditu obiit. Peracto itinere tradidit Cl. KRASCHENINNIKOW Academiae relationem obſeruationum, in Kamtſchadalia factarum, quae coniunctae cum ſcriptis beati STELLERI relictis, hunc librum ſuppeditarunt, cuius impreſſionem curauit KRASCHENINNIKOW, eiusque finem, poſt illius obitum, 1755 adiecit Cl. MÜLLER. Prodiit vero hic liber Petropoli 1755 in II. voluminibus in 4to, cum tab. aen. XXV in lingua Ruſſica, cuius epitomen in lingua Anglica dedit IAC. GRIEVE, quam edidit T. IEFFERYS *). Cl. vero KOEHLER,

 quam-

*) *Prodiit ſub hoc titulo:* The Hiſtory of Kamtſchatka and the Kurilſki Islands, with the Countries adjacent; illuſtrated with Maps and Cuts. Published at Petersbourg in the Ruſſian Language, by Order of her Imperial Majeſty, and translated into English by JAMES GRIEVE, M. D. Gloceſter, printed by R. Raikes for T. JEFFERYS, Geographer to his Majeſty, London, 1764. 4 maj. Alph. 1. pl. 14. tab. aen. VII.

quamquam maxime reprehendit T. IEFFERYS, quod non totum publicaſſet opus, ſed excerpta tantum exhibuiſſet, ipſe, cum ignoraret linguam Ruſſicam, in linguam Germanicam transtulit verſionem Anglicam huius operis KRASCHENINNIKOWII, varia hinc illinc elegantiori ſcribendi ratione propoſuit, atque nonnullas obſeruationes adiecit, quibus haec deſcriptio Kamtſchadaliae maximopere illuſtratur.

Diuiditur autem hoc opus in quatuor partes, quarum Ima tradit deſcriptionem geographicam Kamtſchadaliae vicinarumque orarum et inſularum, atque conſiderat Kamtſchadaliam ipſam, eius vias publicas, inſulas Kurilienſes et Americam. Pars IIda continet hiſtoriam naturalem Kamtſchadaliae, ac differit de eius ſolo, montibus igniuomis, thermis, metallis, mineralibus, arboribus, plantis, animalibus terreſtribus, muſtelis zibellinis Witimskienſibus, ac modis eas capiendi, animalibus marinis, piſcibus, auibus, inſectis, tandem de fluxu et refluxu maris in ſinu Penſchinskano et Oceano orientali. Pars IIItia deſcribit incolas Kamtſchadaliae, eorumque mores et vitae rationem. Conſiderat autem primo incolas in genere, proponit deinde varias coniecturas de origine ac nomine Kamtſchadalium reliquorumque incolarum, poſtea conditionem incolarum Kamtſchadaliae in genere disquirit, eorum domos et vtenſilia deſcribit, vtriusque ſexus negotia examinat, eorum veſtimenta, cibos, potusue diiudicat, porro, quo modo canibus ad vehendas trahas vtantur, quaque ratione bellum gerant, enarrat, poſtea, quasnam notiones de Deo, origine mundi, ac in genere de religione habeant, explicat, deinde de magis eorum, ceremoniis religioſis, diebus feſtis, amicitia, hoſpitalitate, nuptiis, puerperiis, morbis et remediis, cura mortuorum tractat,

tandem-

tandemque gentis Koraecorum et inſularum Kurilienſium incolarum deſcriptionem addit. Pars IVta explicat, quo modo Kamtſchadalia a Ruſſis occupata ſit, incipiens ab ingreſſu in Kamtſchadaliam facto ac primis coloniis Ruſſorum, poſtea commemorans Coſacorum ſeditiones et detectas inſulas, inter Kamtſchadaliam et Iaponiam ſitas, deinde poſteros WASILI KOLESOW et nouam viam inuentam per ſinum Penſchinskanum ab Ochotska ad Kamtſchadaliam, tandem magnam ſeditionem ibi motam, qua tota haec regio ſub poteſtatem eſt redacta. Deinde deſcribitur praeſens conditio locorum munitorum Kamtſchadaliae, vitae genus Coſacorum, ibi degentium, eorumque praeparatio ſpiritus ardentis, cibi, cet. porro de commerciis, variisque viis ex Iakutsk ad Kamtſchadaliam diſſeritur. Icones adiectae Anglicis elegantia multum cedunt, et ſiſtunt mappam geographicam Kamtſchadaliae inſularumque Kurilienſium, varios portus, montes igniuomos, habitacula incolarum eorumque modum excitandi ignem.

Partem Imam geographicam hic plane omittamus, cum parum ad nos pertineat. Varia vero e parte IIda, de hiſtoria naturali Kamtſchadaliae, nobis adnotanda viſa ſunt. Ripa fluminis Kamtſchada- p. 71.
liae multas plantas, ob radices et baccas vtiles, producit, magnamque ligni, ad domos nauesque conſtruendas ſatis apti, copiam, et fertiliſſima eſt. Reliqua loca ad agriculturam minus idonea videntur. Auctumnus et hyems per octo menſes, ver et aeſtas per quatuor durant, arboresque, finiente demum iunio, efflorescunt. Tres ibi adſunt montes igniuomi, Awatſchinski, Tulbatſchinski et Kamtſchadalis, praeter alios, qui olim ignem euomuerant.
Cl. Auctor ſex thermas ibi vidit, gradu caloris valde p. 89.
diuerſas, quarum duae tanto ſtrepitu prorumpunt,

vt vox adſtantium percipi nequeat, atque tam ſpiſſum vaporem exhalant, vt intra ſpatium ſeptem orgyarum nihil conſpici poſſit; his fontibus ſupernatat materia nigra, atramento Iaponico non diſſimilis, omniumque harum thermarum odor ouis putri-
p. 96. dis ſimilis eſt. Hic largiter inueniuntur minerae cupri, martis, ſulphur viuum, creta, tripela, ochra, terra purpurei coloris, cryſtalli rubrae, onyches, coralli, hyacinthi, lac lunae, bolus, ambra, cet.
p. 99. Ad exſtruendas domos et naues inprimis larix ac populus alba adhibetur, pinus et populus nigra hic plane deſunt. Incolae corticem recentem betulae comedunt cum ouariis piſcium ſiccatis, vel ex eo cum betulae ſucco fermentato potum ſuauem praeparant. Cl. STELLER obſeruauit, populum albam mari proximam eſſe maxime poroſam et leuem, eiusque cineres, aeri expoſitos, in materiam lapideam duram, quae ſemper ponderoſior fiat, mutari, quae fracta martis veſtigia prodit. Cortex ſalicis cibis, alni tingendis pellibus inſeruit. Baccas padi foliis annuis, et oxyacanthae fructu rubro et nigro, ac ſorbi colligunt et edunt.

Praecipua nutrimenta capiunt e nucibus arboris, *Slanza* dictae, quae cedri ſpecies eſt, ac in ſcorbuto ſpecificum remedium ſuppeditat. Laudant baccas lonicerae eiusque corticem, et ſpiritus ardentes his acuunt. Baccas chamaemori, myrtilli, vitis idaeae, vaccinii et empetri auide colligunt. Empetri baccae et in ſcorbuto proſunt, et colorem brunum exhibent, easque etiam cum pinguedine piſcium et alumine coctas, ad tingendas viliores pelles muſtelarum zibellinarum caſtorumque adhibent. E lilio flore atro rubente praeparant halicam; radicem eius auctumno colligunt, ſiccant, et coctam atque cum baccis mixtam edunt, variasque eius ſpecies colunt, vel eius loco ſphondylium hirſutum GMELINI adhibent,

hibent, quod manibus obuolutis colligunt, cum ſuccus eius puſtulas et inflammationem excitet. Hinc praeparant ſpiritum ardentem hoc modo: in- p. 105.
fundunt faſciculos huius plantae, in vaſe paruo ſeruatos, aqua feruente, addunt baccas periclimeni et vas obturant, vt in loco calido per 24 horas fermententent, ac deinde deſtillentur. Spiritus ardens, ab hac planta paratus, cui non antea cuticula detracta ſit, triſtitiam parit. Succus huius plantae optimum ſpecificum eſt contra pediculos. Chamaenerium ad opſonia incolarum pertinet, eius folia potus theiformes exhibent, medulla vero ſiccata inprimis laudatur. Allium, foliis radicalibus petiolatis, floribus vmbellatis, et editur, et ſcorbuto maxime conuenit; vlmaria fructibus hiſpidis, chaerophyl- p. 109.
lum, daucus, tradeſcantia fructu molli eduli, biſtorta fol. ouatis oblongis acuminatis, iacobaea, praecipuos Kamtſchadalium cibos conſtituunt. Praeter has vero et aliae ſunt plantae, adeoque variae e maris fundo educuntur, quae cibis inſeruiunt.

Inter plantas medicas refertur 1) *kailun*, in locis p. 111.
paludoſis creſcens, quae abſceſſus maturat, ac decocta ſudorem excitat; 2) dryas, flor. pentapetalis, fol. pinnatis, cuius decoctum in oedemate pedum conuenit; 3) kalmia, ſ. andrometa fol. ouatis venoſis, quam incolae in lue venerea commendant, ſed forte falſo; 4) quercus marina, quae cocta cum ſphondylio hirſuto in dyſenteria maxime laudatur; 5) rubus idea marina, partum accelerans; 6) alia planta marina, *iaſchanga* dicta, in colica efficax; 7) cicuta aquatica, quam in doloribus dorſi ita applicant, vt aegri, in conclaue maxime calefacto ſudantis, dorſum cum hac planta fricent, minime vero lumbos tangant, alias moriretur aeger; 8) ranunculi ſpecies, *zgate* dicta, cuius radicis ſucco ſagittas illinunt, quarum deinde vulnera curari non poſſunt,

 niſi

niſi virus ſtatim eſugatur; ipſae etiam balaenae eiusmodi iacula vulneratae miſere pereunt.

p. 115. Ad veſtimenta et vtenſilia adhibent plantam albeſcentem altam, tritico ſimilem, vrticam, cet. Animalia ferocia maximas conſtituunt diuitias Kamtſchadaliae, v. c. vulpis, muſtela zibellina, vulpis iſatis, marmotta, rattus montanus, muſtela erminea, muſtela vulgaris, lupus, ceruus rangifer, capricornus domeſticus et ferox. Pelles vulpium Sibiricis praeferendae ſunt. Vulpes pretioſae, vt atrae coloris nucei, vel pectore coeruleo et colore fuluo, plerumque maxime aſtutae ſunt, ac difficile capiuntur, quod vel veneno, vel decipulis, vel ſagittis perficitur, inprimis hyeme, priusquam niues cadunt. Muſtelae zibellinae maioris pretii aeſtimantur, quam Sibiricae, et copioſae quidem adſunt, ob Kamtſchadalium tamen ſegnitiem paucae tantum capiuntur, quamuis cara iis ſit eſca earum caro. Quodſi hoc animal terram perfodit, vel ſub arboris radice celatur; hunc locum retibus obtegunt, vt ibi irretiatur; ſin arbores adſcendit, arcu et ſagitta necatur, et fumo e cauerna elicitur. Pelles rattorum montanorum et marmottarum minorum, copioſe hic degentium, ad veſtimenta adhibentur, ac inprimis magni pretii ſunt pelles muſtelae, gulonis, praeſertim alboflauae, quarum pedes ornamentis capillorum feminis inſeruiunt. Vrſi et lupi frequenter occurrunt, ac priores nunquam aggrediuntur homines dormientes et foeminas, easque potius blandiuntur. Variae methodi eos capiendi
p. 125. hic deſcribuntur. Cerui rangiferi et capricorni ſunt animalia his incolis vtiliſſima, eorumque pelles veſtimenta et carnes cibos ſuppeditant. Capricorni duobus inſtructi ſunt cornibus rotundis flexuoſis, pondere 25-30 librarum. Rattorum triplex eſt genus, 1) fuſci coloris, permagni, quorum vox cum por-

porcellorum grunnitu conuenit, 2) domeſtici, 3) qui ſibi ipſis victum a priori genere fraudulenter quaerunt. Priores, *Teguktſchitſch* dicti, nidos ſibi parant ſpatioſos, variis cameris refertos, quarum vnam replent lilio excoriato, alteram lilio crudo, reliquas variis radicibus, aeſtatis tempore ad vſum hybernum collectis et ſiccatis, v. c. anacampſeros, ſcolopendrii, tragopogonis, pimpinellae, nucibus cedri; aeſtate baccas, hyeme plantas collectas edunt. Habitacula mutant haec animalia, et interdum vernali tempore, ad incolarum maximum terrorem, qui tunc pluuioſam tempeſtatem metuunt, e Kamtſchadalia ſimul demigrant verſus occidentem, flumina ipſumque mare transnatant, et medio iulio ad Ochotskam et Iudomam perueniunt, ac ſaepe tam frequentes, vt obuenientes per aliquot horas retardent, donec tranſierint, menſe vero octobri plerumque in Kamtſchadaliam regrediuntur.

Canes, vulgaribus ſimiles, ſunt albi, nigri, ex p. 128.
albo et nigro mixti, griſei; piſcibus nutriuntur, vnde velociores longaeuioresque fieri dicuntur; vernali tempore libere dimittuntur, octobri tam diu domi ſeruantur et alligantur, donec gracileſcant, vt trahis iuncti velocius currant; venatici carne monedulae nutriuntur. Praeter canes, et vaccae et p. 132.
equi adſunt. Captura muſtelarum zibellinarum prope flumen *Witim*, notatu digna nobis videtur. Haec animalia, quae loca habitata fugiunt, in cauernis viuunt, aeſtate muſtelas vulgares et ermineas, ſciuros, lepores deuorant, hyeme volatilia, praeterea baccas, v. c. vaccinii, ſorbi, quibus pruritu afficiuntur, et frictione pilos amittunt; finiente martio, pullos 3 - 5 pariunt et per ſex hebdomadas lactant. Hyeme tantum capiuntur, cum vere pilis deſtituantur, ac noui vix ante hyemem creſcant et iuſtam magnitudinem attingant. Sub nomine p. 140.

 beſtia-

beſtiarum marinarum Cl. Auctor intelligit amphibia, quorum triplex eſt genus, 1) quae in aqua dulci, mare, flumine viuunt, v. c. lutra, 2) quae et in aqua dulci et in ſalſa degunt, v. c. phoca vitulina, 3) quae nunquam in aqua dulci inueniuntur, v. c. caſtor marinus, felis marina, cet. Pelles lutrarum inprimis ad inuoluendas pelles muſtelarum zibellinarum adhibentur, quibus optime ſeruantur. Phocarum vitulinarum quatuor genera adſunt, magnitudine diuerſa; 1) maxima, quae bouis molem valde ſuperat; 2) vituli annui magnitudine, cute maculata; cuius catuli candidi ſunt; 3) paulo minor, cute flaueſcente, circulis magnis fuſcis; 4) cute albida. Foetum vnum pariunt, eumque duabus mammis nutriunt; vox adultorum conatui vomendi ſimilis eſt, et iuniorum vox eiulatui. Ex earum pellibus interdum ſcaphae praeparantur, eaeque non raro tantae magnitudinis, vt triginta homines capiant, atque ob leuitatem velocitatemque ſe commendant. Earum pinguedo editur, vt et caro, quae interdum fumigatur. Hippopotami rarius ad Kamtſchadaliam, frequentius ad promontorium, *Tſchukotskoi* dictum, capiuntur, eorumque dentes 6-20 libras aequant. Deſcriptionem leonis marini, vrſi marini, lutrae marinae et manati, quam Cl. STELLER iam
p. 167. alias *) accuratiorem dedit, hic plane praeterimus. Idem in oris Americae vidit animal nondum cognitum, longitudine 5 pedum, capite caniformi, auribus acutis erectis, oculis magnis, labiis barbatis, forma craſſiori verſus caput, graciliori verſus caudam, pilis ſpiſſis, in dorſo griſeis, in abdomine ſubrubris, pinna caudae bifida inaequali, pedibus deſtitutum, atque ſimiae marinae GESNERI ſimile videtur.

p. 169. Ceti, hic rariores, vario modo capiuntur, vel iaculis venenatis, vel ſagittis, vel piſcibus *Caſatki* dictis,

*) vid. Comment. hor. Vol. II. p. 509 ſqq.

dictis, quibus vel necantur, vel ad littora depelluntur. Incolae cutem cetorum adhibent ad calces calceandos, carnes pinguedinemque edunt, ſetas barbae ad tegmina ſcapharum et retia facienda adhibent, e maxilla inferiore trahas et varia vtenſilia conficiunt, inteſtinis loco vaſorum ligneorum vtuntur, e neruis et vaſis ſanguiferis chordas, e vertebris ſellas fabricant. Lingua et pinnae optima exhibent fercula. Lupus marinus ceto minor eſt ac velocior, eiusque caro et lingua ab incolis auide editur. Canis carchariae caro, quamuis dura ſit, etiam ad eorum cibos pertinet, eiusque inteſtina et inprimis veſicam magni faciunt. Aſellus, ſ. onos, tribus pinnis dorſi inſtructus, quamuis nauſeoſa ſit eius caro, frequentem tamen eſcam ſiſtit. Inter reliquos piſces ſalmones praecipui ſunt cibis inſeruientes, e quibus eſcam praeparant, *Enkol* dictam, quam loco panis adhibent, vt et ſalmonum pinguedinem loco butyri. Cum haec regio habeat penuriam frumenti pecudisque domeſtici: piſcium tanta copia e mare huc accedit, vt fluminum progreſſus retardetur, eorumque inundatione facta et regreſſa, abundantia maxima piſcium demortuorum littora obtegat, quae ab vrſis canibusque deuoratur. Hi piſces plerumque e ſalmonum genere ſunt, et piſces rubri dicuntur. Vix vllus piſcis, praeter aericam, vltra ſex menſes hic viuit, ac vel capitur, vel perit. Varia ſunt ſalmonum genera, 1) *Tſchawitſcha*, p. 178.
vulgari latius, longitudine $3\frac{1}{2}$ pedis, roſtro acuto, maxilla ſuperiori longiore, cauda aequali, dorſo maculis paruis nigris referto, auribus longis, carne rubra; 2) *Narka* longitudine 21 poll. capite paruo, roſtro breui, cauda furcata, ſquamis magnis rotundis; 3) *Keta*, priori maius, carne alba, capite plano, ore reflexo; 4) *Gorbuſche* longitudine 18 poll. carne alba, capite paruo, ore acuminato gibberoſo;

tandem

tandem 5) piſcis albus, lineis nigris dorſi, ſapore ſuauiſſimo. Hi piſces colorem mutare ſolent. Praeter hos vel aliae ſpecies piſcium rubrorum notae ſunt, quae *Goltſa*, *Muikiſi*, *Kunſcha*, *Harius* dicuntur. E piſcibus minoribus tres ſpecies murenarum
p. 188. fluuiatilium edunt, praeter harengum. Kamtſchadalia magnam quidem auium copiam habet, incolae vero aucupia parum curant. Ex auibus marinis frequenter hic occurrit anas artica, anas arctica cirrata, lomuia HOIERI, corui marini ſpecies duae, procellaria, mergus marinus, myrtillus grandis, columba Groenlandica, coruus aquaticus maximus.
p. 195. Ex auibus, quae ad aquas dulces habitant, offenduntur cygnus, anſerum ſpecies ſeptem, anatum vndecim, quae, vti anſeres, vere accedunt et hyeme demigrant, colymbi quatuor, curricula. Ex auibus ſylueſtribus notantur aquilarum quatuor ſpecies, 1) aquila nigra, capite, cauda et pedibus albis, 2) alba, 3) maculata ex albo et nigro, 4) fuſca, earumque carnes incolis cibis inſeruit. Praeterea adeſt vultur, falco, accipiter, noctua, coruus, pica, cuculus, mullis, perdrix, tordola, alau-
p. 201. da, hirundo, cet. Inſecta hic coercentur copioſis pluuiis ac ventis, attamen vermes omnia fere ciborum genera erodunt, et culices ac cymices hic valde moleſti ſunt, inprimis pediculi et pulices; araneae rariſſimae ſunt, ranae, bufones et ſerpentes vix inueniuntur, lacertae vero copioſae.

p. 205. Partem IIItiam, de moribus Kamtſchadalium,
p. 287. et IVtam, de hac peninſula, a Ruſſis ſub poteſtatem redacta, differentes, cum ab inſtituto noſtro aliena ſint, fuſius recenſere ſuperfluum putauimus.

XX.

GOTTFRIED REYGER, Soc. Phyſ. Ged. Secretarii. Tentamen florae Gedanenſis methodo ſexuali accommodatae. Dantiſci, ap. Daniel Lud. Wedel, 1764. 8. pl. 18½.

Quamuis WIGANDUS, LOESELIUS, GOTTSCHEDIUS, nonnullique alii, plantas regno Boruſſiae indigenas, indicare dudum iam ſtuduerint, etiam OELHAFIUS, ciuitatis Gedanenſis quondam phyſicus, plantas, in ſpecie circa Dantiſcum ſponte prouenientes, enumerandi operam dederit: horum tamen ſcripta, paullo diligentius disquiſita, rem non omnem exhauſiſſe, vel ex inde cognoſcimus, quod partim hi auctores plantas alphabetico ordine propoſuerunt, partim autem characteres plantarum enumeratarum minus ſufficienter luſtrarunt; vnde ſaepe euenit, vt in perlegendis hiſce ſcriptis obſcura ſaltim nonnullarum plantarum acquiri potuerit notio. Sed cum eo tempore, quo hi ſcriptores de plantis regni Boruſſiae expoſuerunt, ſtudium botanicum nondum ad tantam, qua hodie elucet, perfectionem peruenerit: deſcriptiones quoque plantarum minus accuratas, genio ſeculi potius, quam negligentiae auctorum, attribuendas eſſe, vnusquisque intelliget. Merito itaque Cl. REYGERI operam probamus, qui veſtigiis LINNAEI inſiſtens, plantas circa Dantiſcum ſponte inueniendas, methodo ſexuali enumerare, et inde non ſolum huius quoque regionis prouentus indicare, ſed etiam, quid alii ante eum iam perficere tentarunt, plenius accuratiusque abſoluere voluit. In recenſendis autem definiendisque hiſce plantis, ordinem a LINNAEO receptum in omnibus retinuit; ſynonima

pauca,

pauca, ne limites pagellarum amplificentur, ſpeciebus ſubiecit, vbi tamen ipſi e re viſum eſt, praeter Linnaeana et Bauhiniana nomina, aliorum quoque addidit; LOESELIUM praecipue laudauit, vtpote qui peculiares quasdam in Boruſſia ſponte creſcentes plantas, adiecta icone, melius illuſtrauit. Adpoſuit praeterea nomina Germanica, locum et tempus florendi, et quo tota planta primo quaſi intuitu ſtatim a reliquis internoſcatur, breui deſcriptione, accidentales quoque characteres, ex colore, magnitudine, et habitu deſumtos. Nonnullas etiam inſeruit plantas, quas ipſe non vidit, ſed ex OELHAFII, MENTZELII, BREYNII que catalogis mutuauit, vbi tamen ſemper ad ſcripta horum virorum prouocauit; vnde factum, vt ex OELHAFIO 50 ſpecies, ex MENTZELII pugillo, vnicam monorchidem, ſ. ophrydem LINNAEI, ex IAC. BREYNIO 8, ex IO. PHIL. BREYNII graminibus SCHEUCHZERO miſſis 14, tandem ex rariſſima MENTZELII centuria plantarum Gedanenſium 32 ſpecies deſumſerit, quarum tamen nullam ipſe circa Dantiſcum reperiit. Has vltimas 32 ſpecies ex MENTZELIO mutuatas, in appendice, opuſculo adiecta comprehendit, vbi hinc inde notas quasdam adiunxit, deſcriptiones a MENTZELIO datas, magis illuſtrantes. Summa omnium generum tum in tentamine ipſo, tum in appendice deſcriptorum 346, ſpecierum vero 732 eſt, inter quas 360 reperiuntur, quas OELHAFIUS aeque ac EICHSTADIUS, florae Gedanenſis ſcriptores, omiſerunt. Cumque Auctor plantas ad methodum ſexualem diſpoſuerit, partibus fructificationis data vocabula ad LINNAEI mentem ſtrictim explicauit, quo in deſcriptione plantarum ipſa eo facilius intelligantur.

XXI. Un-

XXI.

Underrättelſer om Barn-Sjukdomar och deras Bote-Medel: tilförene ſtyckevis utgifne uti de ſmå Almanachorna, nu ſamlade, tilökte och förbättrade af NILS ROSEN VON ROSENSTEIN, Kongl. Archiater, Ridd. af Nordſt. Orden. Stockholm, på Kongl. Vet. Acad. Koſtnad, trykte hos Direct. Lars Salvius, 1764. 8. Alph. 1. pl. ½.

i. e.

Praecepta de morbis infantum, antea perpenſa in minoris formae calendariis edita, iam vero collecta, aucta et emendata a NICOLAO ROSEN A ROSENSTEIN.

Vix vlla re de patria ſua melius mereri Ill. Eques potuit, quam praeceptis hiſce, quibus, loco narratiuncularum inertium, conſiliorum valetudinis tuendae vel curandae ridiculorum, praeſagiorumque omni ſanae mentis vi caſſorum, quae per tot annos calendaria repleuerunt et adhuc, proh dolor! multis in locis replent, calendaria Suecica ornauit. Factum harum commentationum iam a. 1753 initium eſt, et adhuc hodie eodem loco ſingulis annis continuantur. Quoniam vero procedente tempore calendaria priorum annorum ſeſe ſubtraxerunt, et varia plenius dici et limatius Ill. Auctori debere viſa ſunt: conſilium cepit a. 1764, vrgente inſuper regia academia ſcientiarum Suecica, vno libro, quae ſeorſim antea prodierant, augmentis inſignibus locupletata, complectendi. Poſt hoc tempus duabus diuer-

diuerſis verſionibus Germanicis *) comparuit, vna Belgica **). Abſit vero, vt, licet vulgi inprimis in vſum opus ſuum Ill. Auctor conſcripſerit, quod et ex dictione intellectu facillima, et in minutiis quoque laudabiliter verboſa, apparet, doctiores medici nihil inde fructuum colligere poſſent, vt hi potius tam exquiſitiſſimas de morbis obſeruationes, quam medendi methodi momenta reperiant grauiſſima.

Totum vero opus viginti tribus ſectionibus conſtat, quibus aliae quatuor addi iam poſſunt calendariis recentioribus inſertae. Ex harum qualibet praecipua ſtatim, vt ne titulis deſcribendis delaſſemur, momenta indicabimus.

Prima

*) Harum vna prodiit ſub titulo: *Des Herrn — Anweiſung zur Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten, aus dem Schwediſchen überſetzt und mit Anmerkungen erläutert von* IOHANN ANDREAS MURRAY, *D. Profeſſ. der Medicin auf der Academie zu Göttingen. Gotha und Göttingen, bey Iohann Chriſtian Dietrich,* 1766. 8. Cuius noua editio emendata capiteque de hydrocephalo et variis animaduerſionibus aucta iam ſub prelo ſudat. Notae a Cl. MURRAY ſubiectae inter alia compoſitionem variorum medicamentorum extra Sueciam ignotorum, e. gr. teſtamenti ſic dicti HIAERNERI, guttarum hyſtericarum DURIERI, pilularum antiſpaſmodicarum et elixirii viſceralis Ill. A ROSENSTEIN illuſtrant.

Altera Germanica verſio ignoti auctoris ſub nomine *Sorgfältiger Kinderarzt*, 8, Hamburgi bis impreſſa eſt.

**) Belgica ex Ill. MURRAY verſione, additis eius notis, translata, inſcripta eſt, *Handleiding tot de Kennis en Geneezing van de Ziekten de Kinderen - geſchreeven door den Heere — vertaald, met Aanmerkingen en Byvoegſelen vermeerderd door* EDUARD SANDIFORT, *Med. Doct. in's Gravenhage, by Pieter van Cleef,* 8. 1768.

Prima ſectio *nutricibus* praecepta impertit neceſſaria indolemque probi lactis definit. Quando ira excanduit, lac in mammis collectum a femina quadam exſugi iubet, non vero emulgeri, quum poſterius artificium non ſufficiat, vimque praeterea mammis inferat. Cephalalgiam et vomitum ex carbonum vaporibus, impoſitis fronti infantis linteis, aceto roſaceo tepido immiſſis, mitigat. Strabiſmum oculorum autem deligatione oculi, vitii expertis, per aliquot menſes protracta, corrigit. p. 8. p. 12.

In *obſtructione alui* tenellorum vtitur Ill. Auctor electuario de manna, et ſi tenacior eſt, ſuppoſitorio; ad regimen tamen nutricis ſimul attentus. Infantem vero paullo adultiorem, hoc malo affectum, iuſculum ex pane, cremore lactis commiſtum, mane ingerere vult, et poſt corporis exercitium laxanti remedio ad excretionem ſtimulari. p. 17.

In *ani procidentia* fouere prolapſam partem ſpongia, calido vino imbuta, valde ſalutare fuit, vel fuliginem ſiue pini corticem, in ſubtilem puluerem redactum, illi inſpergere. Nec minus ſucceſſit maſtiches ſuffitus. p. 19.

Contra *intertriginem*, nouiſſime ortam, farina lycopodii, prouectiorem autem, vnguentum ex vnguento pomato cerato, floribus zinci et farina lycopodii commendatur. p. 20.

Hernia emphyſematica applicato panno ſiue goſſypio, maſtiches fumo impraegnato, vel epithemate ex vino gallico et aqua calcis, vel et emplaſtro diaſulphuris RULANDI, diſcutitur. p. 21.

Coryzam infantum oleum ouorum, naſo illitum, feliciſſime ſuſtulit.

De *torminibus* notat Cl. Auctor, quod ſi infans prae dolorum vehementia mammas reſpuit, eas tamen apprehendat, modo erecto ſitu ab alio ante iſtas teneatur. In mali huius curatione ſollerter anquirit, p. 22.

an obſtructio alui ſimul coniuncta ſit; quod ſi eſt, ſoluendae illi operam dat. Alio caſu placentam ex oleo oliuarum, farina et vitello oui, calidam applicat. Certius vero ſanat puluis abſorbens, lenioribus aromaticis miſtus, ex magneſia alba, flauedine corticum aurantiorum conditorum, ſeminibus foeniculi et ſaccharo albo, nutrici datus; et gelatina cornu cerui, nec non emulſio, ex aquis deſtillatis, oleo amygdalarum, ſale tartari, oui vitello et mucilagine gummi arabici, infanti propinata. Accedat vero neceſſe eſt proba nutricis diaeta. Ruricolarum vero feminis, quae nimium lacte coagulato delectantur, ſuadendum, vt aliquoties de die infantibus cuſpidem pulueris concharum ingerant, ipſae vero ſal tartari, aqua fontana ſolutum, vſurpent.

p. 28. Ad praeuertendum *difficili dentitioni* impenſe Noſter gingiuarum frictionem, digito mature inſtitutam, commendat. Quae ſi neglecta fuerit, calido melle, althaeae vel violarum ſyrupo, oleoſis aliisque huius generis emolliendae ſunt. Niſi haec ſufficiant, ſyrupum de meconio vel et guttam vnam et alteram laudani liquidi non reformidat. Difficilius vero malum nonniſi ſectione vincitur.

p. 36. Decocto foliorum ſaluiae, addito, ſi placet, tantillo vini, melle commiſto, *aphthae* facile praecauentur, modo nutrix linteo, circa digitum conuoluto, et hoc decocto imbuto, os probe purget. Sed exortis illis iamiam, linctum ex roob diamororum, dianucum et roſarum melle, inſtillatis aliquot guttis ſpiritus vitrioli, illinere ſuadet Cl. Auctor, purgato dein ore ope decocti ſaluiae. Ad ſopiendos dolores mitia anodyna permittuntur. In laudibus ſemperuiui maioris BOYLEO ſubſcribit. Delapſis cruſtis, mucilago ſeminum cydoniorum ex vſu eſt. In aphthis vero internis ſuccum raparum aſſatarum, pauxillo melle roſarum commixtum, aliaque eiusdem effica-

efficaciae legimus praecepta. Secedentibus tum per aluum cruſtis, rhabarbarinis locus eſt; et, ſub indiciis dyſenteriae emulſioni arabicae vel decocto miliaceo.

Eclampſiae conuulſionumque apud infantes curationem ſecundum cauſſarum ſeriem proponit. Sunt hae vero alui obſtructio, tormina, ira nutricis, dentitio difficilis, ſcabies retrogreſſa, exanthemata latentia, vermes, febris intermittentis paroxyſmus, calculus ex vrina concretus, opiata improuide data. Quae ipſae pro ſua diuerſitate licet medelam mutent, varia tamen communia habent. Sic, vbi ſanguinis euacuatione opus eſt, vena ſecanda, vel, quod praeſtat, hirudines applicandae; vbiuis quoque ſub paroxyſmo clyſmata vtiliſſima, nec non balnea tepida; prout haud raro, ingruente epilepſia, linteo, vino rhenano humectato, reuiuiſcere quaſi infans viſus eſt. Non poſſumus hic omnia perſequi, nec opus, quum multa referri ad primarium morbum commode poſſint. Contra ſcabiem retropulſam flores ſulphuris vel mixtura camphorata, vel etiam moſchi aliquot grana, ſaccharo trita, commendantur. Calculus ſi torquet, externe veſicae duae ſemine lini contuſo, croco et lacte repletae, vel et balnea ex vſu ſunt; interne infuſum ex maluae floribus, oleo oliuarum, oui vitello et tantillo ſyrupi e meconio. Opiatis male ingeſtis, opus eſt, vt infans copiam tepidae aquae, oleo vel butyro remixtae epotet, et faucium irritatione vomitus cieatur, clyſma applicetur, pedum plantae excutia fricentur et ſinapiſmis tegantur, caput aceto calido foueatur et ante nares ſpongia aceto madida teneatur. Venaeſectioni praeſtat vſus hirudinum, collo vel temporibus applicatarum. Quae omnia et, venenata quadam planta comeſta, conueniunt.

p. 39.
p. 48.
p. 52.
p. 54.

p. 59. *Diarrhoeae* 14 genera memorantur, quorum
diſcrimen cauſſis diuerſis nititur. Initium facit iſta,
quae in tenellos nutricis vitio ingruit. Hanc ſequun-
tur alui profluuia ab ingeſtis vel copia vel ſua natura
peccantibus, a relaxatione vaſorum exhalantium et
reſorbentium vel orificiorum glandularum inteſti-
nalium nimia, a refrigeratione, eſu ciborum nimis
pinguium, medicamento draſtico, ſcabie retropulſa;
diarrhoea in variolis vel morbillis vel poſt aphthas
delapſas emergens; lienteria, fluxus coeliacus;
diarrhoea purulenta. Tandem diarrhoeae colliqua-
tiuae, qua phthiſeos et hydropis ſcena claudi ſolet,
mentio fit. Pro harum cauſſarum diſcrimine me-
p. 79. dela quoque variat. Lienteriam, qua per octidu-
um grauida matrona laborabat, fruſtra adhibitis
aliis, drachma dimidia fabae Pechurei Auctor ſuſtu-
lit. In hoc morbo ructus acidi bonum ſignum prae
p. 81. ſe ferunt. Fluxus coeliaci duas ſpecies Auctor re-
cenſet, quarum altera diarrhoeae chymoſae, altera
chyloſae nomine venit. In illa vel deficit bilis vel
iners nimium eſt, contra quas cauſſas remedia rachi-
tidi aduerſa, quae infra recenſebimus, Ill. Auctor
commendat. In chyloſa autem reſpiciendum eſt,
vtrum mucus inteſtina obliniens, an obſtructio glan-
dularum meſentericarum ſubſit; nam quodſi, vt
quidam volunt, cicatrices ex praeuia dyſenteria na-
tae, nulli auxilio locus eſt. Contra obſtructionem
glandularum, multum commodi exſpectat a frictio-
ne abdominis, corporis exercitio, hydromelle vel
ſero lactis, albumine oui, ſed ex lacte vaccae parato,
quae nouiſſime peperit, et in paſcuo verno tempo-
re ſub vmbrae vſu et riuorum acceſſu pabulum ce-
p. 89. pit. Alia vero iungit Cl. Auctor ſignis acidi ſeſe
ſociantibus. Nec in diarrhoea purulenta omnino
deſperat. Hanc in infante, in quo tuſſis conuulſi-
uae effectus fuit, ptiſana ex roſis, ſero lactis, et
melle,

melle, per longum tempus vſurpata, feliciter coercuit. In alio glandibus quercinis toſtis, quae aluum ſtiparunt, titubantem vitam nonnihil protraxit; prout in alio, deglutitione piſorum toſtorum conticeſcens pro tempore alui profluuium expertus eſt. Faba vero Pechurei ſemel diarrhoeam ex phthiſi p. 92. colliquatiuam, omnibus reliquis remediis ſuperiorem, per hebdomadas binas mitigauit; quamuis non diffiteatur, ſaepe etiam remedium hoc eius ſpem fruſtratum eſſe.

Fuſam hancce tractationem excipit alia non minus prolixa, de *variolis*. De migratione earum exemplum narratur ſingulare, quo nempe Oerebroa Vpſaliam, et ex hac vrbe Stockholmiam, hominum commercio ſeſe tranſtulerunt. Ita et lanceola, qua vena hominis, variolis affecti, aperta fuit, alii contagium attulit. Variolarum emtionem in Oſtrogothia et Weſtrogothia adhuc in vſu eſſe comperimus. Praemiſſis hiſce aliisque, quae naturam contagii varioloſi vlterius extricant, ad ipſum decurſum morbi et prognoſin excutiendam progreditur. Medelam vero ſecundum ſtadiorum diuerſorum ſeriem ſubminiſtrat. Sub primo ſtadio, quae de conclaui, lecto, cibis potuque aegri, ſcitu neceſſaria ſunt, determinat. Febrem effrenam moderatur venaeſectione, clyſmate, rhabarbarinis ciboque et potu refrigerante, remediis antiphlogiſticis, mitiori conclauis calore, ſtragulis tenuioribus, et lecti mutatione. Languentem autem febrem excitat calore conclauis inſigniori, ſtragulis denſioribus, miſcela vini cum cibis vel potu, ſinapiſmo plantis pedum ſubſtrato. Cauere autem aegros iubet Ill. Auctor primis tribus diebus ab omnibus pellentibus, quorum vſus e contrario initio quartae diei et dein per totum ſecundum ſtadium inſignis. Efficaciſſima conſilia ad tuendam faciem, oculos, naſum et collum contra variolarum

Margin: p. 93. (beside "Fuſam hancce…"); p. 96. (beside "commercio ſeſe…"); p. 97. (beside "gium attulit…"); p. 114. (beside "niſtrat. Sub primo…"); p. 120. (beside "nat. Febrem…"); p. 125. (beside "Languentem…"); p. 126. (beside "dium inſignis…")

vim proponit. Quod ad oculos, ſuadet, vt linteum, camphora frictum, ante oculos propendeat. Ne naſus corripiatur, lintea ſpiritu vini camphorato vel balſamo embryonum madida, mel et emplaſtrum de ranis cum mercurio, imponit. Colli muniendi autem cauſſa gargariſma in vſum trahi vult, quod camphoram et liquorem anodynum mineralem HOFFMANNI recipit. Ita et contra reliqua
p. 132. ſymptomata auxilia commoda ſubminiſtrantur. Torpente eruptione, ſecundo ſtadio ſtatim Ill. Auctor corticem Peruuianum in ſubſidium adhibet, exempla Anglorum medicorum imitatus; niſi febris nimius impetus vel lumborum dolor eruptionis languentis cauſſa ſit. Hoc diuinum remedium tertio quoque ſtadio, febre ſuppuratoria in malignioribus variolis ingruente, praebet; licet in mitioribus camphoratis, inciſioni puſtularum, purgantibus, aliisque fidem non derogat. Ptyaliſmum autem promouet gargariſmis emollientibus, vel, quod praeſtat, lacte calido cum ſaccharo potato. Siccefcentibus quarto morbi ſtadio variolis, cruſtis alternatim iuſculum auenaceum ſaccharatum illinit et oleum, conſtans ex oleo amygdalarum vel oliuarum et oleo tartari. Totamque curationem purgante medicina, e. gr. electuario lenitiuo, ſexies vel ſepties dato, terminat. Negat Auctor Cel. aliquem pluries variolis obnoxium
p. 146. eſſe. Nec frigus hiemale progreſſum earum impedire poſſe, a. 1743 Vpſaliae expertus eſt. Ante 15 annos infantem vidit, qui cicatricibus et cruſtis varioloſis diſtinctus, quum ſub matris grauiditate filius natu maximus variolis conflictaretur, in lucem prodiit.

p. 150. Peculiari capite autem *inſitionem variolarum* pertractat, quam ad variolarum periculum auertendum efficaciſſimam iudicat. Initio tamen, quid de BOERHAAVII conſilio antimonio iſtas et mercurio viuo

ſuffo-

ſuffocandi, methodo antiphlogiſtica, emtione variolarum, aethiope minerali, infuſo picis liquidae, moſcho vel mercurio viuo, inſtar amuleti geſtato, ſentiendum ſit, diiudicat, quae a multis vel mitigare vel omnino ſufflaminare contagium viſa ſunt. Hanc p. 157. virtutem, ſi quid aliud, tuentur pilulae praeſeruantes Ill. Auctoris, quae ex calomelano, camphora, extracto aloës et gummi guaiaci conſtant. Calculum ſubiicit annorum, quo patet puerorum quemlibet decimum, puellarum autem nonam quamlibet variolis et morbillis in Suecia interire. De ipſa vero inſitione curatius diſputans, in compendio quaſi aetatem, praeparationem fili, quo inſitio fiat, naturam, tempus commodiſſimum, chirurgiam ipſam et morbi, arte excitati, indolem, adiecta curatione, definit, et vbique ſuas obſeruationes adſpergit. Argumentis vero et exemplis confirmat, nec infir- p. 171. mos ab inſitionis beneficio excludendos eſſe, eodem p. 185. ſtudio demonſtrans, vanum de propagatione contagii per inſitionem metum eſſe.

Morbilli a. 1713 Stockholmiae valde lethales p. 190. fuere. Redire morbillos ea tantum lege Auctor concedit, quando glandula quaedam intumuit, recondens puris particulam, quae alio tempore poſt ſeſe euoluit. Ipſe ſaltim multorum annorum praxi ne vnicum quidem exemplum reuertentis mali animaduertit. In infante quinquenni per 21 dies adeo, mor- p. 197. billis alias graſſantibus, varia eorum prodroma ſigna et tuſſim grauiſſimam obſeruauit, quae in morbillos tandem veros, ſeſe terminarunt. Nunquam vero variolas, morbillorum ſimul ſatellitio ſtipatas, in vno eodemque homine inuenit, ſed altero exanthemate alteri ſuccedente. Curatio morbillorum per tria p. 199. ſua ſtadia eorumque ſymptomatum multum cum variolarum cura conuenit: vomitum tamen hic magis neceſſarium iudicat, quam in variolis, quum in his

 ple-

plerumque ſponte natura colluuiem per os euerrat.
p. 205. In ſecundo ſtadio turbas nimias veſperi ſyrupo de meconio pacat. Quodſi vero tertio ſtadio peripneumonia vel pleuritis accederet, emplaſtrum veſicatorium loco affecto, vel eius loco ſinapiſmum imponere non veretur, vel 5 ad 6 hirudines appli-
p. 212. care. Artem etiam *morbillorum inſerendorum* ſecundum experimenta Cl. HOME deſcriptam inuenimus.

p. 213. Sequitur *vomitus*, cuius ſequentes cauſſae recenſentur: repletio ventriculi ex nimiis ingeſtis; refrigeratio; carbonum vapores; colluuies in ventriculo collecta, quae pro ingeſtorum diſcrimine vel acidae, vel rancidae, vel putridae vel mucoſae naturae eſt vel crudo cibo conſiſtit; aerugo; variolae et morbilli; ſcabies, vermes; tuſſis; hernia incarcerata; terror denique et timor, quibus omnibus commoda medela opponitur. Aeruginem accuſat, ſi cibus vel potus infantis in vaſe cupreo, ſtanno denudato, per tempus fuerit retentus, vel caro aſſata in orbe argenteo moram ceperit. Nec ouum, butyro frixum, inſons habet, ſi in orbem ſtanneum, per noctem repoſitum, colorem nigrum in illo crea-
p. 221. uerit. Fuſius deſcribit Cel. Auctor, quid in hernia incarcerata moliendum ſit, rationemque reddit, cur ſub hac cauſſa anodyna purgantibus, vt pilulas ſuas antiſpaſmodicas cum ſennae foliis, coniungat.

p. 227. *Tuſſis* pertractationi duo capita Cl. Auctor dicauit, quorum alterum tuſſim conuulſiuam comprehendit. Prius vero de *tuſſi ſtomachali*, *catarrhali* et
p. 231. *titillatoria*, nec non *tuſſi a retrogreſſa ſcabie* agit. In ſtomachali linctus pectorales et conſueta remedia pectori opportuna repudiat, quum ventriculum debilitent. Contra ea vomitorio fauet, ſubiuncto dein elixirio ſtomachico, vel puluere ex foliis menthae

criſpae et ſaccharo. Tuſſim titillatoriam, quae in ſuprema larynge ſedem habet, ſaepe zingiber ſufflaminat melle commixtum. Scabie vero retro- p. 238.
greſſa, malum creante, expellere eam floribus ſulphuris, ſuperbibito infuſo florum vlmariae, tentat. Quod niſi ſufficiat loco, quo ſcabies fuit copioſiſſima, veſicatorium applicat, iulapiique e moſcho Lond. cochlear minimum vel pilulas e moſcho exhibet. Caſu obſtinatiori bis vel ter de die 4 ad 5 grana aethiopis antimonialis infanti praebet. Mu- p. 242.
cum, quem in *tuſſi conuulſiua* infantes euomunt, non pro cauſſa, ſed pro effectu ſtimuli, glandulas ſaliuales irritantis, habet; hancque tuſſim valde contagioſam exiſtimat. Nec vnquam pluries vnum eundemque hominem eadem corripi, tot annorum experientia nixus affirmat; licet ipſe ſe ſemel fere deceptum fuiſſe narrat tuſſi quadam vehementiori, ſed exacerbatione alternarum dierum, quae ad characterem huius tuſſis pertinet, deſtituta. Curationis eius duplex genus Auctor ponit, alterum, quo morbus in ſuo ſemine ſuffocaretur, quam vim competere foliis roriſmarini ſylueſtris et moſcho, iam prout et extractum tabaci in alia tuſſi conuulſiua vtile fuiſſe, expertus eſt; alterum, quo ſtimulus p. 246.
vomitoriis excutiatur, ſubiuncto dein cortice Peru- p. 250.
uiano.

Febrem intermittentem ſequenti capite diſquirit, quam tantum abeſt, vt naturae ſolius vi curandam relinqueret, vt moram facere impenſe disſuadeat. Nam in infantibus nullum alium vſum inde percepit, p. 254.
quam incrementum corporis acceleratum; adeo vt Cl. SCHULZIUS, Profeſſ. Stockholmienſis puerum viderit, qui intra $2\frac{1}{2}$ annum febre quartana conflictatus ad vlnae longitudinem ſtatura creuit. Variolis eum profligatum fuiſſe ſemel obſeruauit. Multa vero exempla reconditae ſub aliorum morborum

p. 257. ſpecie febris recenſet. Sub frigore a potu abhorret, vtpote ventriculum grauante, turbas augente et paroxyſmos protrahente. Ab acidis potibus abſtinet, quum acidum, in primis apud infantes, comitem febris iſta habeat. Superato paroxyſmo, vomitorium vel purgans exhibet. Vomitorii autem efficaciam longe maiorem expertus eſt, ſi mox poſt ſuperatum paroxyſmum ingeratur. Dein mixturam ex ſale abſynthii, ſucco citri et ſyrupo corticum aurantiorum propinare ſolet ſudorisque ſedulam curam habet. Quin poſtea arte excitato, verſus id tempus, quo nouus paroxyſmus ingruere de-
p. 265. beret, ſudore, praeuertere febri annititur. Hoc artificio niti affirmat pleraſque a mulieribus factas febrium intermittentium curationes, quarum varia ſpecimina profert, inter quas iſta ranunculi flammulae herba inſtituta maxime vulgaris eſt. Sub diriori autem febre hiſce non fidens, ad corticem Peruuianum confugit. Optimo ſucceſſu illum quondam in pultem redactum, quum ipſe ſemitertiana laboraret, intra linteum abdomini impoſuit; vnde pro infantibus, qui corticem reſpuunt, illius adhibendi modum commendat.

p. 273. Ampla hic de *vermibus* legitur commentatio, in qua multa noua, quae tam ad eorum naturam peritius cognoſcendam faciunt, quam curationem abſoluendam, traduntur. Generatim, qui in inteſtinis nidulantur, hos vel ab ouis, vel iisdem forma perfecta ingeſtis vna cum cibo vel potu deriuat. Taeniam nominatim plerumque piſcibus deglutiri exiſtimat, veriſſime in iis detectam, vnde et iis in locis, vbi piſces abundant, crebrius infeſtat. Neque coctione perire iſtam, ipſe ſub prandio, diſſecto piſce, animaduertit. Quatuor vero vermium inteſtinalium genera cum Ill. A LINNE′ aſſumit, aſcaridem vermicularem, lumbricum, taeniam, et aſcaridem

lumbri-

lumbricoidem. Quanta interdum deliteſcat lumbri- p. 279.
corum copia, puellae octennis exemplo patet, quam
intra 9 dies a 90 lumbricis ope pilularum quarun-
dam liberauit. In ſpiritu vini ſemel lumbricum, fa-
cto tentamine, per totum diem viuere animaduer-
tit. Maxima longitudo, ſub qua taenia prodiit, ex
Ill. Auctoris obſeruatione, 80 vlnas aequauit. Poſt
longam aliquando moram tepida et frigida aqua, al-
ternatim affuſa, reſuſcitare quaſi et necare viciſſim
iſtam valuit. Quod tam difficile autem expellatur,
partim tubis, quibus ſingulus eius articulus inſtrui-
tur, partim quadrigae tuberculorum, qua extre-
mum tenue ſeſe terminat et, quo ipſo ſeſe affigit,
tribuit. Aliquando tamen tabeſcere vel in media p. 286.
parte vel ad marginem vidit. Fuit infans, e quo,
potato ſpiritus frumenti tantillo, omnes recenſitae
ſpecies ſeceſſerunt. Secundum repetitam Auctoris p. 296.
obſeruationem ad finem decreſcentis lunae et ini-
tium nouilunii vermes praecipue mala creant;
quo ipſo temporis ſpatio quoque remediis ſubmini-
ſtrandis in primis Ill. Auctor inuigilat. Ad lenien-
dum praeſens a vermibus incommodum lac, naturali
calore adhuc imbutum, vomitoriumque generatim
commendat. Lumbricos autem guttis DURIERI,
quae ex gummi aſae foetidae, opio, ſale volat. corn.
cerv. eſſentia caſt. conſtant, et taeniam extracto abſyn-
thii expulit. Verum ipſa curatio longe maiorem p. 298.
ſollertiam expoſcit. Contra *aſcarides* minutos,
daucos crudos, vel ſuccum betulae, ſiue pini profi-
cuum cenſet, Suadet et fruſtulum lardi repetitis
vicibus ano immittere, nec non clyſma ex lacte ſa-
lito vel alia iniicere. Quibus tamen omnibus prae-
ſtare clyſma ex aqua, mercurio viuo cocta, addito
melle, aſſeuerat. *Lumbricorum* roſionem inter alia p. 300.
petroleo, abdomini illito, ſedat. Ad necandos vero
illos vel expellendos puluerem ex ſale martis Lon-
dinenſi,

dinenſi, ſemine ſantonici, radice ialappae et melle
depurato cohibet, vſum internum decocti ex mer-
curio viuo coniungens. Si aeger autem puluere
vti detrectet, pilulas ex extracto tanaceti, ſemini-
bus ſantonici, ſale martis, reſina ialappae et oleo
tanaceti ſubſtituit. Optime vero pulueris et pilula-
rum vſus copulatur. Allii ſatiui bulbum non minus
efficacem reperit. Expulſis hiſce, dein ad roboran-
dum ventriculum tincturam rhei amaram Edinb. vel
p. 308. vinum chalybeatum Lond. propinat. *Taeniae* inge-
nioſam curationem proponit. Nimirum ex affuſa
alternatim aqua tepida et frigida, qua modo reuiui-
ſcere, modo mori taenia viſa eſt, conſilium cepit,
ſimilem taeniae mutationem in corpore humano in-
ducendi. Quo fine ſub effectum remedii purgantis
aquam frigidam copioſe bibendam curat; quod ipſum
creberrime ad fontes ſoterios ex voto ſucceſſit. Eadem
p. 308. ratione nixus, tentaminis cauſſa opium cum purgante
medicamine commiſcere ſuadet, vt, ſopitus opii
vi vermis, purgantis efficacia expellatur. Quod
conſilium ſpigeliae virtute aliquam commendatio-
nem recipit. Praeter dicta autem ſuperius, pilulas
efficaces reperit ex extracto tanaceti, aſſae foetidae,
ſemine ſantonici, vitriolo martis, melle ſincero.
Diligens vero ſimul, quod de reliquis ſpeciebus ver-
mium etiam valet, cibi potusque delectus fiat. Vt
primum taeniae pars ex aluo prorepit, pondus ap-
p. 327. pendi iubet, vt ſenſim extrahatur. Allio autem
tantam efficaciam adiudicat, vt taeniam exinde ne-
cari poſſe ſibi perſuadeat, vtque hoc confirmet, no-
tabile exemplum commemorat.

p. 337. De *rachiticis* notat Cl. Auctor, quod, licet
plerumque ſtatura iis contingat breuior, duo tamen,
ſuae curae olim commiſſi, ad ſatis proceram perue-
nerint, nec gibboſum dorſum habuerint. Inuete-
ratum malum rariſſime curationem admittit, quae
vero

vero non tam medicina, quam proba diaeta abſoluitur. Medicamenta in antacidis et roborantibus conſiſtunt. Eo fine pauperioribus commendat guttas ex cineribus clauellatis, aqua fontana ſolutis, et pilulas ex ſapone Veneto, felle bouino et radice ari, et decoctum rubiae tinctorum, vel radicis herbae Britannicae ſubiungendum ſuadet. Ditioribus autem ſubuenit ſale tartari aqua ſoluto, tinctura rhabarbari, pilulis ex offa Helmontiana, felle tauri, radice ari, et ſub indiciis acidi magis ſubacti, cortice Peruuiano. Huic ſubſtitui etiam poſſent aquae Spadanae ex fonte Pouhontio, vel arte ſumtae, vel tinctura martis ex globulo martiato ſoluto, addito balneo frigido.

Scabies originem ab acaris repetit. Ex multis vero remediis, quae contra iſtam expertus eſt, flores ſulphuris plurimum efficaciae praeſtiterunt, quorum halitus ab inſectis reſpuuntur. Infanti eorum grana duo ad decem bis vel ter de die dat, quibus ſi aluus mouetur, doſin minuit. Niſi interne ſumti intra 8 dies ſcabiem diſcutiunt; iuncto interno vſu, linimentum ex floribus ſulphuris et cremore lactis articulis manuum et pedum mane illinit. Si nimia teneritas diſcriminis metum moueat, nutrici lacte calido, quantum duabus vel tribus cuſpidibus cultri capi poteſt, florum ſulphuris exhibeatur. p. 356.

Ad *pediculos* profligandos ſabadilli ſemina veſtibus inſuere, vel vnguentum ex ſeminibus petroſelini et butyro non ſalito capiti illinere ſuadet. p. 363.

Poſt editionem vtiliſſimi, de quo hucusque egimus, libri, acceſſio eius in recentiſſimis calendariis Suecicis facta eſt 4 capitum: de *febre ſcarlatina* ſcilicet, *ictero*, *lue venerea* et *hydrocephalo*, quorum igitur primaria argumenta ex hocce fonte indicabimus.

Febris

Febris ſcarlatina rarum in Suecia malum eſt, vtpote quum per 33 annos modo bis nempe a. 1741 Vpſaliae, et a. 1763 et 64 Stockholmiae epidemice graſſatum ſit. Hiſtoriam eius ex aduerſariis ſuis a. 1741 conſcriptis Ill. Auctor communicat. Vbiuis colli moleſtiis morbus incepit. Eclampſia autem, cuius SYDENHAMUS aliique mentionem faciunt, nullum affectum vidit. Sexto vel ſeptimo die hinc inde veſiculas quaſi miliares, ſed omni liquido vacuas conſpexit, quibus deſquamatio cutis reliquae ſucceſſit, in quibusdam citius, in aliis lentius. Octauo vel nono die pacata iam omnia videbantur, quibus vero indiciis non fidendum erat, ſiquidem in diaetae immorigeris paullo poſt glandulae parotides et ſubmaxillares intumuerunt; in aliis decimo octauo vel viceſimo die hydrops anaſarca febre ſtipatus acceſſit, interitu in quibusdam pediſſequo. Quae ad tumorem hydropicum pertinent, pleraque ex Cl. PLENCIZ, ſiquidem ipſi rarius occurrit, Ill. Eques hauſit. Semel febrem ſcarlatinam, absque exanthemate exortam, ſibi obuiam veniſſe exiſtimat. Licet vero bonum indicium vulgo reputetur, ſi ſenſim, nec ante tertium diem exanthema emergat, nihil tamen mali inde vidit, etiamſi eruptio ſecunda iam die eueniret. Quid de diaeta, venaeſectione, emeticis, purgantibus, refrigerantibus, ſtatuendum ſit, ex ſuperius de variolis et morbillis allatis colligitur; quibus et ad ſymptomata mitiganda praecepta ſubminiſtrantur. Angina curatius disquiritur, quam cataplaſmatibus emollientibus, gargariſmatibus, iniectionibus, deglutitis baccis ribis nigris, vaporibus aceti ſambucini naribus ex ſpongia attractis, et in diriori malo, admotis ſub auribus hirudinibus, ſubigit. Vt commode perſpiret aeger, quarto et ſequentibus diebus infuſum florum ſambuci propinat. Tum febre ſuperata, per tres hebdomadas retinet

aegrum

aegrum in modico calore, abdomen pannis, iuniperi baccarum maſtiches aliorumque eius generis fumo imbutis, perfricat, aluum laxat, et ad lotii, ſi retardatur, ſeceſſum accelerandum, infuſum baccarum iuniperi toſtarum, vel aliquot guttas eſſentiae ſquillae exhibet. Sic hydrops auertitur. Quae vero neglecta ſi fuerint: pauperioribus infuſum baccarum iuniperi toſtarum et puluerem ex nitro, radice ſcillae, zingibere; ditioribus autem vel eundem puluerem vel vinum ſcilliticum Pariſ. et poſt meridiem mixturam ex flauedine corticum aurantiorum, vino Moſellano, arcano tartari, et ſaccharo commendat. Deuicto tumore, victu ſicco, frictione et roborantibus, viribus ſubuenit.

Icterus infantum rarior in Suecia eſt, quoniam vbique fere in vſu eſt, recens natis mannam tabulatam praebere. A calculis felleis, etiamſi adſint, non ſemper in adultis proficiſci, exemplo auguſtiſſimi quondam regis Sueciae, FRIDERICI, demonſtrat, in cuius veſica fellea tres maiores totque minores calculi absque vllis icteri praeuii indiciis reperti. Cauſſas vero icteri infantilis lac, coagulum vel tormina acido creans, cibos non probe digeſtos, vomitum vel alui deiectionem vehementem, vermes, febrem intermittentem accuſat; quae omnia bili, in duodenum effluenti, obicem ponunt. Sanguinem ipſum ſenſim calore flauo imbui, in matrona, cui vena ſecabatur, obſeruauit. Obſtructiones hepatis vel aliorum viſcerum, ex febre intermittente ortas, reſerit in pauperioribus, pilulis ex ſapone Veneto, extracto radicis taraxaci, melle ſincero; ſuperbibito ſero lactis vel decocto ex radicibus graminis et taraxaci, et ſubiuncta diaeta commoda. Ditiorum autem parentum infantes, ſuborta hac cauſſa, vel pilulis ex extracto cicutae, vel pilulis ex ſapone alicantino, rheo, extracto marrubii albi, tartaro tartariſato

riſato et melle ſincero, adiuncto elixirio ex flauedine corticum aurantiorum, vino Moſellano etc. nuperrime dicto, ſanat.

Malum venereum valde contagioſum eſſe Noſter putat, prout Stockholmiae quondam ex nutrice, iſto inquinata, in omnes, eidem domo adſcriptos, promanaſſe obſeruauit. Tineam capitis haud raro indicium labis, hereditario vitio a parentibus acquiſitae, eſſe iudicat. Vlceris venerei a cancroſo vel ſcorbutico diſcrimen ſollicite definiens, experimenti ingenioſi ſimul meminit, quo, mercurio dulci in vlcus lardoſum dubiae naturae apud infantem inſperſo, patuit vna cum reliquis bene multis, venereae eſſe. Nam lardoſa pars diffluere coepit; quod ptyaliſmum in matre excitari anſam dedit. Inunctioni mercurii vnice in curatione luis fidit, ita tamen adminiſtrandae, vt ſaliuae profluium non excitet, quod nimirum ſecure auertitur, modo inunctio parua vnguenti quantitate et per interualla fiat. Inunctionem in grauidis accelerari iubet, in quibus omnis periculi expertem inuenit. Ad curandos autem infantes lactantes inunctioni vel matrem, ſiue nutricem ſubiicit; vel quod tutius eſt, infantem lacte caprae, cui mercuriale vnguentum infricandum curauit, alit. Ante omnia autem corpus balneis praeparandum eſt, quae ipſa ſub nimia debilitate etiam alternis vicibus cum inunctione vſurpentur.

Calendariis a. 1768 commentatio Ill. Auctoris de *hydrocephalo* inſerta eſt. Rarum, vt alibi, ſic et in Suecia, malum eſt. Interim veroſimile Ill. Auctori videtur, multos infantes, qui ignoto morbo interiiſſe in diptychis Suecicis indicantur, initio huius mali vita deceſſiſſe. Quoad originem vero eius non abſonum exiſtimat, vitio conformationis illud tribuere. Non fert inſtituti noſtri ratio, quae

de

de vtriusque hydrocephali, et externi et interni, affinisque mali, ſpinae bifidae natura, pro conſuetudine ſua ſcite et neruoſe disputauit, fuſe repetere, ſed in medelae, quae ſub primordiis mali tantum locum habet, methodo modo ſubſiſtemus. Reſpicit Cl. Auctor in iſta ad communes hydropis cuiuscunque regulas, quae lympham collectam a capite deriuari et nouam eius accumulationem auerti iubent. Hinc teneris infantibus crebro electuarium de manna, rhabarbaro vel ialappa commiſtum vel aliud laxans, et ſi mammis adhuc inhiant, nutrici laxans praebet. His vero ſcillam admiſcet, ſi aetate maior infans eo corripitur, a vomitu tamen ſollicite cauendo. In hydrocephalo autem externo cutem incidit et plagam apertam ſeruans epithemate, ex aqua calcis, ſpirituoſo quodam liquido mixta, caput fouet. Probat in vtroque hydrocephali genere Ill. A SWIETEN conſilium, vt nimirum, iuncta frictione, emplaſtro veſicatorio miti tota capillata capitis pars tegatur. Compreſſionem ſimul in auxilium adhibet, ſed leuem ſpleniorum, aqua calcis et ſpiritu vini humectatorum et conſueto tantum capitis velamine, firmatorum, ope.

XXII.

Diſſ. inaug. Paris quinti neruorum encephali disquiſitio anatomica, in quantum ad ganglion ſibi proprium ſemilunare, et ad originem nerui intercoſtalis pertinet. Auctore ANTONIO BALTHASAR RAYMUNDO HIRSCH, Auſtriaco Viennenſi. Viennae, typis Kaliwodianis, 1765. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Continentur in hac diſſertatione Cel. quondam GASSERI, Profeſſoris Anatomiae in Academia Viennenſi, praematuro fato ante aliquot annos e viuis erepti, obſeruationes de ganglio ſemilunari nerui quinti paris in cauea ante egreſſum ramorum ex cranio, quas Cl. huius diſſertationis Auctor, qui ex diſcipulis eius fuit, edidit. Reliqua enim, quae de neruo quinti paris et origine intercoſtalis profert, ea maxima ex parte cognita ſunt, cum Cl. HIRSCH multum egregia MECKELII Ill. de hoc neruo diſſertatione vſus ſit. Ipſa autem haec intumeſcentia aut lata expanſio, quam truncus quinti paris in cauea ſua, ante quam in ramos diui-
p. 19. ditur, format, ab Ill. MECKELIO cum taenia comparatur: VIEUSSENIUS tamen iam illam nomine *gangliformis plexus* inſigniuit, Cl. BERGEN vero *gangliformem molem* appellauit. Cum vero Cel. GASSER primus ex comparatione huius intumeſcentiae cum aliis gangliis inſtituta, hanc intumeſcentiam omnino ganglii nomine inſigniendam eſſe,
p. 38. demonſtrauerit, Noſter ganglio huic nouo Gaſſeriani nomen imponere haud dubitauit. In hac vero diſſertatione primum Noſter deſcribit adminiſtrationem anatomicam, qua, laminis durae matris ſuperius

rius diſciſſis, neruus in cauea latens, optime in conſpectum venit: deinde de hoc ipſo ganglio notat, *eſſe illud ex transuerſo ſitum, figuram ſemilunae ſeu falcis habere, concauitatem eius originem nerui, conuexitatem autem interiorem frontis partem reſpicere, longitudinem eius ſex circiter linearum, latitudinem duarum, colorem eius rubellum et carneum, ſubſtantiamque duriuſculam eſſe.* Oſtendit porro ex definitione gangliorum, a WINSLOVIO tradita, omnino hanc intumeſcentiam, cum plures ex illa rami nerui egrediantur, quam ingrediuntur, tumor quoque et color conueniat, ad ganglia referendam eſſe: tandemque huius noui ganglii ope conſenſum inter os, linguam, nares, oculos, aureſque gubernari, et adfectuum animi indicia in faciei partibus depingi, probare annititur.

p. 21.
p. 23.

XXIII.

IOANN. NEPOMUC. AB HUMBOURG, Argent. Phil. et Med. Doct. Sacr. Caeſ. Reg. Maieſtatum Perſ. Chirurg. diſſ. ergo haemorrhoidi recenter tumidae ſectio, non hirudo. Vindob. 1765. 8. pl. 1¼.

Proponit Cl. Auctor breuiter illam medendi methodum, qua ille in curatione haemorrhoidum coecarum, externe tumentium et dolentium, felici cum ſucceſſu vtitur. Scilicet non hirudines, vti multi facere ſolent, applicat, ſed veterum potius conſilium ſequens, inciſionem eo loco inſtituit, vbi punctum liuidum vel nigrum latentis in varicoſa vena grumi ſedem indicat. Hac enim ratione morbus, etſi duplex quoque ſit, vena etiam interius tumente, tamen feliciter ſoluitur. Nam grumo infe-

rius euacuato, ſanguis etiam ſuperius haerens, vel proprio pondere, vel compreſſione a foecibus oriunda, expellitur. Hirudinum autem vſum reiiciendum eſſe Cl. HUMBOURG putat, cum venam tumidam pro lubitu medentis non mordeant, floridusque ſanguis per vulnus adeo anguſtum exire poſſit, grumoſo ſucceſſiue tantum ſuppuratione reſoluendo. Sectione inſtituta, venae ſanguine, eas antea diſtendente, nunc liberae factae, conſtringendae et roborandae, curaque interna cauſſae, quae morbum produxerunt, emendandae ſunt.

XXIV.

Dei Moti dell' Iride. In Lucca nella Stamperia di Iac. Giuſti, 1765. 8. pl. 7½.

i. e.

De motibus iridis.

Ex dedicatione huic libello praefixa patet Auctorem illius eſſe Cl. FELICEM FONTANA, qui hoc ipſo opuſculo egregium profecto ſpecimen doctrinae et ſollertiae ſuae in obſeruatione phaeno-
p. 1. menorum naturae dedit. Diuiſum eſt illud ab Auctore Cl. in quinque capita, quorum primo oſtenditur, cauſſam motus iridis, quo a luce valida conſtringitur, in debiliore vero dilatatur, poſitam eſſe non in irritatione quadam ipſius iridis, a lucis radiis profecta, ſed in ſingulari quadam retinae adfectione, pendente ab iis radiis, qui per pupillam ad retinam tranſeunt. Cum Ill. HALLERUS videret iridem, acu aut alio corpore irritatam, non contrahi, concluſit, hanc membranam ita comparatam eſſe, vt nullo alio ſtimulo, quam lucis obediat, motumque

eius

eius a lucis ſtimulo pendere, quo irritata ſe conſtringeret, iterumque, eo ceſſante, dilataret. Quae quidem HALLERI experimenta eo ſucceſſu Cl. FONTANA repetiit, vt cognoſceret, iridem non contrahi ſiue cornea perforata ſtilo irritetur, ſiue, cornea penitus reſecta, ſtimulus aliquis ei adplicetur. Neque ſcintillarum electricarum hac in re aliqua vis eſt. Expertus vero eſt Auctor Cl. cornea ablata humoreque aqueo effuſo, tamen pupillam in luce viuidiore adhuc conſtringi et in debiliore dilatari, licet ille motus paullo languidior tunc ſit, quam antea. Interim plura experimenta, in fele inſtituta et in homine caneque repetita, Cl. Auctorem docuerunt, ipſam hanc contractionem iridis non effectum eſſe radiorum lucis in illam incidentium, ſed ad eam efficiendam requiri, vt radii per pupillam ad fundum oculi tranſeant. Lucis enim radii, per conum in ſolam iridem intacta pupilla incidentes, nullam contractionem eius excitarunt, quae tamen extemplo contingit, vbi radii per pupillam, iride nullo modo tacta, ad fundum oculi peruenerint. Cum vero cryſtallinus et aqueus humor ſenſus et irritabilitatis expertes ſint, patet contractionis iridis cauſſam in ſingulari quadam retinae adfectione ſitam eſſe. Explicat hinc Cl. Auctor, cur in perfecta amauroſi pupilla plane non contrahatur, et in catarracta atque glaucomate tantum ex parte, cum motus pupillae ſemper rationem habeat ad ſenſum, in retina ſuperſtitem, et lucem, quae ad illam tranſit. p. 7.

Secundo capite de cauſſis, ob quas lux in retinam incidens, pupillae conſtrictionem producat et vero ſtatu naturali iridis Cl. FONTANA diſputat. Docuit vero primum nullam inter retinam et pupillam connexionem exiſtere, et hypotheſin Cel. MORGAGNI refellit, qui putauit, cauſſam huius phaenomeni poſitam eſſe in retinae vlteriore ad ciliare p. 17.

 corpus

corpus progreſſu, ob quem pro varia retinae irritatione ab immiſſo lumine continuo quoque ciliare corpus et annexa iris varium quoque motum exerceant. Neruus enim, ex quo retina conflata eſt, non irritabilis eſt, neque in membrana molli et mucoſa tam validae oſcillationes oriri poſſunt, vt ciliare
p. 21. corpus et adnexa iris inde moueri queant. Tranſit porro ad ſtatum iridis naturalem et ex experimentis, in felibus et infantibus captis, cognouit, illam in ſomno penitus clauſam eſſe, vt itaque contractio pupillae pro ſtatu iridis naturali habenda ſit, qua in re a plurimorum phyſiologorum mente Auctoris Cl. ſententiam recedere neminem fugit. Oſtendit porro iridem ad anteriora connexam eſſe in contractione pupillae, ea vero aperta planam illam fieri, neque hanc conuexitatem oriri a lentis cryſtallinae preſſione, cum, cornea exſecta, iris ad lentem depreſſa ſponte iterum conuexa fiat.

p. 36. Tertio capite Cl. FONTANA probare annititur motum iridis, cum neque a luce, in ipſam iridem incidente, pendeat, neque retina cum iride vllo modo cohaereat, plane non mechanicum, ſed voluntarium eſſe, atque ad actiones animales pertinere. Confirmat vero illam ſententiam tum argumentis ſumtis a variis phaenomenis, quae in fele obſeruauit, v. c. ex effectu terroris in pupillam: tum phaenomeno, quo pupillam in contemplatione obiectorum remotorum dilatari, in conſideratione verum minutorum corporum claudi, obſeruatur: vt taceam alia argumenta, a conſenſu duorum oculorum in motibus ſuis, qui vnam cauſſam, in corpore ipſo ſitam, non exterius aduenientem, habent, et a motu oculi aperti, motum oculi clauſi ſequente, ſumta ſunt.
p. 44. Concludit itaque pupillam ex animi voluntate ob moleſtiam, a luce nimia profectam, claudi, eaque moleſtia remota, iterum expandi, atque hac ipſa

quoque

quoque ex re alia phaenomena v. c. dilatationem pupillae matutino tempore, aut, quae ex terrore proficiſcitur, declarat. Addita quoque eſt explicatio variarum aliarum quaeſtionum, qua partim MARIOTTE de choroidea viſus organo, ſententiam refellit, partim oſtendit ſigna prognoſtica, quae in morbis chirurgicis ex pupillae mobilitate petuntur, fallacia eſſe. Probat tandem viſionem non vno, ſed duobus oculis fieri, et pupillas vtriusque oculi vſu adſueſcere huic motui, eodem temporis momento ab ambabus praeſtando.

Quarto capite ad nonnullas obiectiones, quae contra nouam hanc hypotheſin formari poſſint, reſpondet. Contendit itaque primum conſtrictionem iridis non violentam ideoque ſtatum praeternaturalem eſſe, neque dilatationem pupillae, quae in morbis oculi et animalibus mortuis obſeruatur, probare, dilatatam pupillam in ſtatu naturali exiſtere. Deinde magis confirmat, quae ſuperius de motu iridis voluntario prolata ſunt, docetque ex conſuetudine animum ſuum in hanc partem imperium amittere eadem ratione, qua motus palpebrarum et oculorum voluntati animi non amplius ſubiecti eſſe ſolent. Diſtinguit enim actiones animales in tales, quae conſilio, et tales, quae vſu ſine noſtra voluntate fiunt. Actiones mixtas, quae ſcilicet partim vitales ſint, partim voluntati ſubiectae, exiſtere poſſe plane negat, longaque digreſſione oſtendit reſpirationem et ſternutationem ad actiones voluntarias omnino pertinere. Tandem in fine huius capitis explicat, quomodo in coeco pupillae aliquis motus ſupereſſe poſſit. p. 56.

Vltimo capite de ratione huius pupillae motus Cl. FONTANA disputat, et concedit illam non patere. Refellit vero praecipuas phyſiologorum hypotheſes de ea re, oſtenditque neque a muſculoſa p. 92.

vi, neque a congeſtione humorum ſubitanea in iridis vaſa, quae HALLERI eſt ſententia *) illam conſtrictionem oriri, cum ea contractio ſtatus pupillae naturalis ſit. Putat tamen in iridis conſtrictione, ex qua pupillae dilatatio ſequitur, vaſa eius quodammodo inaniri.

XXV.

Diſſertatio inauguralis medica, de elementis et viribus medicis trium aquarum mineralium *Teplenſium*, quam pro ſuprema Doctoratus medici laurea defendit IOANNES BAPTISTA IOSEPHUS ZAUSCHNER, Bohemus Pragenſis. Pragae, typis Fitsky et Hladkyan haered. 1766. 8. pl. 22.

Non ſine voluptate hanc perlegimus diſſertationem, multa enim elaborata eſt diligentia, eiusque Cl. Auctor recentiores optimosque conſulit ſcri-
p. 12. ptores. In duodecim capita libellus diuiſus eſt: quorum *primum de ſalibus generatim ſumtis, aliisque ad eos rite cognoſcendos, praemittendis*, inſcribitur. Poſtquam Cl. Auctor generaliores quasdam notiones, de affinitate, de effectu, de igne et calore, de corporibus, quae eandem, quae maiorem minoremue inter ſe habeant affinitatem, de ſolutione,
p. 36. de praecipitatione etc. ex metaphyſicis, et phyſicis egit principiis, ad definitionem ſalis procedit, nonnullasque communes ſingularesque ſalium proprietates adducit: qua occaſione ſalem ſic dictum eſſentialem corticis Peruuiani, et ſaccharum, quae abuſiue ſalibus adnumerantur, ex claſſe ſalium excludit.

Docet

*) Elem. Phyſiol. T. V. p. 379.

Docet nunc differentiam ſalis acidi, alcalini et ſalis neutrius, rationemque exponit, cur hi ſales, et praeſertim neuter non ſemper conditiones requiſitas habeant, quia ſcilicet mutua et perfecta, vt vocant, ſaturatione careant. Qua de re ſales medii non debent efferueſcere cum acidis, quod exemplis probat, illosque refutat, qui contrarium affirmarunt. Fieri quidem interdum poſſe concedit, vt ſolutiones ſalis acidi, cum ſolutionibus ſalis alcalini, ſi ſcilicet ambae, aut vna, vel altera, nimis aqua dilutae ſint, inter ſe confuſae non ſemper efferueſcant, cuius tamen rationem in nimia quantitate aquae ponit. Hanc quoque copiam obſtare dicit, quod ſolutus mercurius ſublimatus corroſiuus a ſale alcalino fixo non ſemper aurantio praecipitetur colore. Ceterum dari omnino ſalem alcalinum mineralem natiuum euincit, licet complures eum negent, quemadmodum etiam ſalem alcalinum mineralem volatilem extare aſſerit.

p. 54. p. 65. p. 73.

Caput *ſecundum* de principiis proxime conſtituentibus aquam *crucis* agit. Haec aqua prorumpit limpida, ſaporemque habet ſubſalſum, ex acida leniſſime primum adſtringentem, nonnihil dein amareſcentem, paululumque lixiuioſum. Cum reagentibus examinata cum acidis parum, cum oleo tartari per deliquium minime efferbuit, nec mercurium ſublimatum aurantio tinxit colore; ſyrupo tamen violarum viridem, et gallarum turcicarum ſolutioni brunnum impertiuit colorem: de quo vltimo experimento recte monet, id minime ita eſſe comparatum, vt ad ferri praeſentiam, vel abſentiam, inde concludi queat. Interim per tempus et quietem ex aqua hac minerali ſponte ſecedebat ſedimentum flocculentum luteum, quod ſiccatum, et cum puluere carbonum in igne tractatum, ſincerum exhibebat ferrum. Aqua haec a terra modo dicta mar-

p. 81. p. 91. p. 99.

martiali ſeparata, decocta, colata, in filtro reliquit terram fere inſipidam, cum omnibus acidis efferueſcentem, hinc alcalinis accenſendam. Sal euaporatione et coctione, vt decet, acquiſitus cryſtallos exhibuit priſmaticas, quarum pondus ex libra ciuili Bohemica veteri, quae noſtram duabus vnciis ſuperat, drachmam vnam et grana triginta ſex aequauit. Hae cryſtalli non niſi frigore, adderem humidoque aere, conſeruari queunt, calore enim temperato in puluerem album fatiſcunt, et in igne
p. 105. facile fluunt. Prorſus igne exſiccatus hic ſal nullo cum acido, ne oleo quidem vitrioli efferueſcit, aqua autem ſolutus mutationem omnino aliquam cum oleo vitrioli, cum alcalinis nullam ſubit, cuius efferueſcentiae cauſſam Cl. Auctor in ſuperflua aqua quaerit. Quare hunc ſalem neutrorum ordini inſcribit, et *ſalem neutrum acidularem Teplenſem* nominat. Si huic ſali aqua ſoluto ſpiritum vini rectificatiſſimum, alcohol dictum, affundas, ſal ſub flocculorum forma ſtatim ſecedit, quod et ſali mirabili *Glauberi* officinarum ſecundum Cl. Auctorem accidere debet, quod tamen Cl. CARTHEUSER *) huic

*) In *rudimentis Hydrologiae Syſtematic.* §. XXVII. not. 6. p. 40. *Francof. ad Viadr.* 1758. Vt certiores fieremus, ipſi fecimus periculum, et ex duabus diuerſis officinis nobis adferri curauimus ſalem mirabilem *Glauberi*, quorum neuter affuſo alcohol vini, quaeſitas cryſtallos oſtendebat. Quum vero Cl. huius diſſertationis Auctor hoc pure affirmaret, ipſi nobis paramus ſalem mirabilem, duplici quidem via, ex maſſa ſcilicet poſt deſtillationem ſpiritus ſalis *Glauberi* reſidua: et ex vitriolo et ſale communi mixtis et bene vſtis, vti Cl. NEUMANNUS illum parare docet; et fateri debemus, ſolutiones ambas admixto alcohol omnino exhibuiſſe ſeparationem cryſtallorum, hac tamen differentia, quod poſt affuſionem alcohol, lacteus quidam color in ſolutionibus ſalis mirabilis ſimul

huic prorſus denegauit, adeo vt etiam differentiam ſpecificam ſalis mirabilis in eo poſuerit. Quod vero ſal acidularis *Teplenſis* ex acido vitrioli ſit compoſitus, ſingulari probari conatur experimento, dum ex hoc ſale et ſale fixo tartari verum tartarum vitrio- p. 111. latum producit; et ex tartaro hoc vitriolato, ad- p. 116. mixta muria fontana, poſt cryſtalliſationem, vt vocant, remanente, denuo ſalem mirabilem *Glauberi* parat: quae experimenta omnem omnino attentionem merentur.

Sed ſalem muriaticum etiam in aqua acidulari *Teplenſi* contineri euincit cryſtallis, quas ex priore ſuperſtite accepit liquore, qui in cryſtallos priſmaticas redigi amplius non potuit. Liquor vltimus p. 121. omnem cryſtalliſationem, quod aiunt, reſpuens, dabat decoctione ſalem ſapore acriuſculo vrente ſimul et vinoſo praeditum, in igne per ſe non fluentem, in aere facile liqueſcentem, cum omnibus ſalibus acidis efferueſcentem, ſalemque neutrum componentem, vno verbo, verum ſalem alcalinum fixum, qui, quum ex aqua minerali eductus eſt, iure mineralis natiuus dicendus. Differt a ſale alcalino fixo, ſapore minus vrente, difficiliori liquatione, deinde quod cum acido vitriolico et ſolutione aluminis praebeat ſalem neutrum acidulari *Teplenſi* ſimillimum: quum contra ſal tartari cum iisdem acidis exhibeat tartarum vitriolatum *).

Hac

ſimul ſe oſtenderet, in ſolutione autem ſalis *Teplenſis* et thermarum *Carolinarum* pulcherrimae nitidiſſimaeque ſtatim adparerent cryſtalli.

*) Occaſione ſalis medii cryſtallini, quem ex ſale alcalino fixo minerali natiuo, et ſale acido nitri vel muriae acquiſiuit Cl. Auctor, cuiusque mentionem *not.* 69 facit, confectionem tamen pro ſecreto habet, dicere poſſumus, quod nobis ille ſal notus ſit, quemadmodum pari methodo ex acido cremoris tartari cum

p. 125. Hac occaſione Cl. Auctor etiam dirimit quaeſtionem, inter ſcriptores huc vsque agitatam: vtrum ſcilicet alcalinum id, quod ex aquarum mineralium decoctione et cryſtalliſatione, quod aiunt, vltimum remanet, ſit tantum terra alcalina, vt quidam volunt, an verus ſal alcalinus? Quamuis verum ſalem eſſe ipſe demonſtret, tamen Cel. MARGGRAF *Berolinenſi*, qui fixum hunc ſalem alcalinum aquarum mineralium eundem eſſe cum baſi muriae alcalina autumat, aſſentire dubitat, et quidem hac ex ratione, quia tartarus vitriolatus mixtus cum ſale alcalino fixo natiuo minerali nullum dederit ſalem mirabilem *Glauberi* *): nec ex mixtione ſalis alcalini fixi natiui cum acido muriae talis ortus ſit ſal **).

p. 135. Ex ſapore leniſſime acido adſtringente, quem aqua acidularis linguae impertit, et ex principio ferrato ſuperius detecto ad praeſentiam vitrioli martis *fugacis* quidem, concludit, *volatile* enim, vti Cel. quon-

cum eadem muria alium ſalem medium producere didicimus. Innotuit nobis quoque modus, quo ſalem *Sedlizenſem* in verum ſalem *Teplenſem*, vel ſalem thermarum *Carolinarum*, qui alioquin cum *Teplenſi* in omnibus conuenit, mutare valemus.

*) Ex hac mixtione, vt nos quidem arbitramur, nullus ſal mirabilis enaſci poteſt, quoniam, vt ſupra monuimus, contra leges eſſet affinitatis; acidum enim vitriolicum fortius adhaeret ſali tartari, quam vt illum deſerat, et cum alcali minerali natiuo ſe coniungat. Aliud tamen experimentum Cl. Auctori ſuppeditabimus, quod ſuam ſententiam probare videtur, ſcilicet ſi muriae alcalinae ſalis communis admiſcemus acidum vitrioli, nullus inde enaſcitur ſal neuter mineralis, quod tamen fieri deberet, ſi baſis alcalina eadem eſſet.

**) Fallimur ipſi, aut Cl. Auctor ſe ipſum fefellit, quia haec mixtio non ſalem mirabilem, ſed ſalem communem exhibere debuiſſet.

quondam HOFFMANNUS, non audet nominare, hinc Cel. SEIPII ſententiam ſequitur. His prae- p. 139.
miſſis tandem inde colligit principia proxima aqua *crucis* eſſe vitriolum martis *fugax*, terram alcalinam, ſalem alcalinum fixum acidularem, ſalem neutrum acidularem, muriam fontanam et aquam communem ſimplicem.

Sequitur caput *tertium*, quod principia proxime p. 146.
conſtituentia aquam Marianam exponit. Poſtquam Cl. Auctor hanc aquam, quae a priore odore peculiari ſulphureo, hepati ſulphuris non abſimili, diſcrepat, eodem modo examinauit, pariaque cum ea inſtituit experimenta, eundem quidem ſalem neutrum, ſimilemque terram alcalinam ex ea adeptus eſt, ac ex aqua *Ambroſia.* Aſt maſſa ſalina, poſt euaporationem et decoctionem reſidua, a praecedenti diuerſa erat. Erat enim minime ſal alcalinus fixus natiuus ſincerus, ſed inflammabili mixtus. Crucibulo enim commiſſus ac operculo tectus, igne- p. 157.
que tractatus exhibebat maſſam fuſcam, quae non ſolum hepatis ſulphuris colorem, ſed etiam eius odorem habebat, quippe quae aqua ſoluta affuſo aceto ſtillatitio verum ſulphur ad fundum dimittebat. Ergo aqua *Mariana* compoſita eſt ex terra al- p. 166.
calina, ex hepate ſulphuris peculiari, ex ſale neutro acidulari, aqua communi, et ſale alcalino fixo, cui pars quaedam inflammabilis adhaeret.

Caput *quartum* principia proxima conſtituentia p. 168.
aquae tertiae, *Ambroſiae* ſcilicet a Cl. Auctore nuncupatae, exhibet. Sapore gaudet ex acido adſtringente gratiſſimo, quem tamen, aliorſum delata, perdit. Ad fontem deponitur maſſa lutea, ochra dicenda, quippe quae cum ſapone vulgari in crucibulo operto fuſa et magnete examinata verum dabat ferrum, quod etiam maſſa poſt decoctionem reſidua exhibebat. Ceterae cum aqua inſtitutae experientiae p. 179.

pro-

probabant, in hac aqua contineri vitriolum martis
fugax Cl. Auctori dictum, terram alcalinam ſalem
neutrum acidularem, priori, ex aqua *crucis* et *Ma-*
rianae accepto, ſimillimum, et ſalem fixum alca-
linum.

p. 181. Caput *quintum* vires medicas aquarum minera-
lium *Teplenſium* generatim explicat. Vt hoc faci-
liori ratione fieri modusque agendi ſimul exponi
queat, ſingularum partium conſtitutiuarum vires
p. 191. medicas ſingulatim examinat. Hinc caput *ſextum*
de viribus medicis aquae communis ſimplicis, *ſepti-*
p. 236. *mum* de viribus medicis ſalis alcalini fixi acidularis
p. 285. *Teplenſis:* *octauum* de viribus medicis terrae alcali-
p. 266. nae: *nonum* de viribus medicis ſalis neutrius acidu-
p. 275. laris *Teplenſis:* *decimum* de viribus medicis muriae
p. 281. fontanae: *vndecimum* de viribus medicis vitrioli mar-
tis fugacis, cui easdem vires ac Cel. quondam HOFF-
MANNUS ſuo ſpiritui minerali aethereo elaſtico ad-
p. 294. ſcribit: ac denique caput *duodecimum* de viribus me-
dicis ipſarum aquarum mineralium *Teplenſium* col-
lectis principiis in vſum vocandarum agit, ac fide
atque experientiis meliorum auctorum probat.
Quum vero nihil noui vel ſingularis omnia haec ca-
pita contineant, eorum vberiore explicatione et re-
cenſione ſuperſedere poſſumus.

XXVI.

ALEXANDRI BERNHARDI KÖLPIN, M. D. Commentatio botanico phyſica de ſtylo eiusque differentiis externis. Gryphiswaldiae, typis A. F. Röſe, 1764. 4. pl. 6½.

In duas partes hanc ſuam de ſtylo tractationem Cl. Auctor diuiſit, quarum prior in genere de partibus plantarum eſſentialibus, et accidentalibus, ſiue de iis, quae neceſſario adeſſe debent, fructificationisque negotium abſoluunt, et quae non ſemper praeſentes inueniuntur, neque etiam abſolute ad foecundationem requiruntur, exponit. Stylus, primarium huius tractationis obiectum, in multis plantis, quarum catalogum Auctor adiecit, aut plane deficit, aut ad minimum ob exiguitatem vix internoſci poteſt, in vtroque caſu ad ſtigma reſpiciendum, et ex eius differentia, claſſes et ordines plantarum determinandos eſſe bono Auctor ſuadet conſilio, cum nullus flos, deficiente ſtylo et ſtigmate ſimul, perfectus poſſit appellari, ſed ſemper aut vna, aut altera, aut vtraeque partes conſpiciantur. Itaque cum ex ſtylo, aut eius defectu, ex ſtigmate, genera plantarum eruantur, vtriusque partis ſedem et locum in planta ſtudioſius indicauit, et quidem ſtylum, tanquam partem, ſtigmate ſuffultam, piſtillum cum germine nectentem, nunquam infra germen, ſed ſemper inter germen et ſtigma quaerendum eſſe aſſeuerat, verum autem ſtigmatis locum ex phyſicis obſeruationibus Noſter determinat, ita vt, cum foecundationis tempore ſtigma ſingulari ſuo ſibique proprio madidum ſit humore, in quem globuli ex antheris ſucceſſiue apertis, proſilientes deferuntur, omnem etiam locum piſtilli eiusmodi

liquore

liquore irroratum, ad ſtigma referendum eſſe contendat. Altera pars huius tractationis ſpecialius differentias ſtyli externas, in numero, figura, proportione, perduratione, ſitu et nexu, conſpiciendas, exemplis illuſtrat. Non ſemper numerus ſtylorum, numerum diuiſionum germinis ſequitur, ſed interdum ſtylus ſimplex cum germine quintuplici reperitur, veluti in nolana, et dioſma, et in punica germen nouemloculare adeſt, licet vnicus tandum ſtylus inueniatur. Figura ſtylorum differt, partim ratione diuiſionis ramulorum, quibus in ſtigma terminatur, partim ratione analogiae cum aliis corporibus naturalibus vel artificialibus. Harum differentiarum ſex claſſes auctor conſtituit, ſtylosque aſſumit cylindricos in ludwigia, lilio, ſubulatos in commelina, ruta, filiformes, in conuoluulo, anagallide, capillares in collinſonia variisque graminibus, clauatos in leucoio, lathyro, anguloſos in agaue, piſo. Proportio ſtyli ratione reliquarum floris partium varia eſt, breuiſſimus enim deprehenditur in hedera, cochlearia, breuis, in hottonia, vlmo, longitudine calycis et corollae in nicotiana, plumbagine, corolla et calyce longior in hibiſco, aquilegia, longiſſimus tandem in trachelio, ſaluia. Ad perdurationem ſtyli quod ſpectat, illum in plurimis plantis vna cum ſtigmate perire, in nonnullis autem perſiſtere, vel cum ſtigmate ſimul, vel eo pereunte, Cl. Auctor contendit. Prorſus ſingulari ratione in trapa corolla et ſtamina pereunt, perianthium vero totum cum tribus piſtilli partibus in fructum vnitis et commutatis perſiſtit. Nectitur vt plurimum ſtylus cum apice germinis, interdum vero ad latera eius inſeritur in aphane, tormentilla, rubo, nonnullisque aliis. Situs ſtyli quoque variat, pro diuerſitate directionis, frequentiſſime enim erectus eſt; in quibusdam autem floribus ſuperne flecti-

flectitur, vt in labiatis, aut declinatus conſpicitur ſicuti in aſphodelo et glorioſa, aut ſpiraliter reuoluitur in glycine, et phaſeolo. Tandem etiam ſtylus ſingulari quadam ratione cum corolla quaſi concreſcit, ad minimum cum interiori margine nectarii ex petalo corollae facti arctius cohaeret, in orchidibus, cypripedio, et epidendro, quin immo, multo adhuc rariori exemplo, ſtyli ſtaminiferi aut antheriferi deprehenduntur in limodoro, nepenthe, et piſtia.

XXVII.

Noua phyſico-medica.

Quae *Monachi* floret, Electoralis *Bauarica* ſcientiarum Academia in annum 1766 e claſſe philoſophica problema propoſuerat *), de faciliore et minus ſumtuoſo modo, argenti a vilioribus metallis ſeparandi, quam hactenus vſitata eliquatio et cupellatio fuit, atque cum nemo inuentus ſit, qui praefinito tempore illum explicaret, Academia ſequentis quoque anni ſpatium huic rei inquirendae praemio aucto conceſſit. Tanta autem eſt huius rei difficultas, vt Academia, praeter adnotationes varias, quas ignotus quidam Auctor ei miſit, nullas acceperit explicationes. Hic vero cum nomen ſuum non, vt voluerat Academia, celauerit, nec ſententiae eius explicationi ſatisfecerint, quamuis vtique eas vtiles et omni laude dignas Academia praedicet, nec praemii acquirendi ſpem habere idem poterit.

Eadem

*) vid. Comment. h. Vol. XII. p. 164.

Eadem Academia anno 1768 nouam propoſuit quaeſtionem, quae ad claſſem eius philoſophicam refertur: *num lupulus Bauaricus aeque bonus ſit, ac Boëmicus? Et, ſi differant, quaenam illa ſit differentia? Quomodo lupulus indigenus tractandus ſit, a tenerrima plantula, vsque dum ad cereuiſias adhibeatur, vt Boëmico, ſaltem quoad praecipuas qualitates, fiat ſimillimus?* Qui prae ceteris ad has quaeſtiones optime reſponderit, ornabitur moneta aurea, quinquaginta aureorum pondere. Commentarii ante finem menſis auguſti anni huius 1768, adiecta ſchedula obſignata, quae Auctoris nomen continet, mittendi ſunt ad HELEPHONEM KENNEDY, qui munere Secretarii Academiae fungitur.

Defuit etiam ſcientiarum Academiae *Theodoro-Palatinae*, cui publico in congreſſu, qui habebatur *Manhemii* d. 12 menſis octobris 1767, tribui praemium poſſet, quod illa propoſuerat inuentori rei cuiusdam, quae aeque ac cobaltum praeparando pigmento coeruleo, *ſmaltum* dicto, inſeruiret *). Hinc idem problema Academia nunc in annum 1769, duplicato ſimul centum nimirum aureorum Hollandicorum praemio, repetit. Scripta vero ſuper hac re ante finem menſis iulii eiusdem 1769 anni Academia expectat, ad Cl. LAMEY, Academiae Secretarium mittenda.

Praemium ab *Harlemenſi* ſcientiarum Societate bis 1764 et 1765 propoſitum: *qui ſint optimi et minus ſumtuoſi modi, quibus poſſit praecaueri decrementum littoris maris Harlemenſis?* **) in Societatis conuentu d. 21

*) vid. Comment. h. Vol. XII. p. 720.

**) Comment. h. Vol. XII. p. 536.

d. 21 maii 1767 reportauit Cl. DAVIDES MEESE, in Academia Franequerana Botanicus et Societatis Oeconomicae Groeningenſis Sodalis, vir inter botanicos variis ſcriptis celeber.

In *eodem* conuentu Societas praeter illam quaeſtionem de cauſſis difficultatis deglutiendi, in pharynge poſitis, quae ſenſim ortae, vt plurimum mortem adferunt, et nunc frequentius, quam olim obſeruantur, cuius expoſitionem ante calendas ianuarias anni 1768 optauerat *), aliud nouum problema propoſuit. Cum enim Societas hunc inprimis ſibi conſtituerit finem, vt patriae hiſtoriam naturalem, quantum fieri poſſet, illuſtraret, conſilium cepit depromendi in poſterum ex hoc potiſſimum theſauro problemata quotannis proponenda, ſeruata tamen libertate, quaedam, vbi commodum viſum fuerit, ex aliis etiam doctrinis eligendi. Praemium vero anni 1769 huic propoſuit quaeſtioni: *num de hiſtoria patriae naturali huc vsque ſcriptum ſit? quae in ea adhuc deſiderentur? et quaenam ſit optima eiusmodi hiſtoriae conſcribendae methodus?* Scripta, quibus eruditi ad hanc quaeſtionem reſpondere tentauerint, mittenda ſunt ad Cl. virum VAN DER AA, qui ſocietati ab epiſtolis eſt. De legibus, quibus eos ſe adſtringere oportet, qui propoſitam quaeſtionem explanaturi ſunt, et de praemio, quod exſpectare licet, iam alio loco **) ad Lectores retulimus.

Eandem Societatem in eodem conuentu Cl. DEKKERUM Directorem, Cl. vero SLABBER, PALIER, KARSTEN, qui Butzouii Profeſſoris munere fungitur et STEHLIN, qui Academiae Imperiali

Mm 2

*) vid. Comment. l. c.

**) vid. Comment. l. c.

riali Petropolitanae ab epiſtolis eſt, ſocios elegiſſe relatum legimus.

Pluribus iam alio loco *) expoſuimus de praemio, a quodam Academiae Regiae Pariſinae Socio, ei artifici oblato, qui excogitaret *materiam, ad conficienda conſpicilla aptam, quae eandem haberet cum cryſtallo Anglica, aut ſic dicta Stras refractionis vim.* Commemorauimus ibi conditiones, quas Academia, cui iudicium de hoc inuento commiſſum eſt, in eiusmodi materia ſpectari cupit. Diſtribuendum erat hoc praemium in conuentu, d. 29 aprilis anni 1768 habendo, ſcriptaque et ſpecimina addita, tantum vsque ad finem anni 1767 accipere decretum erat. Cum autem nonnulli artifices docerent, ad hanc rem multis experimentis opus eſſe, diſtulit Academia diſtributionem vsque ad annum 1769, ea tamen lege, vt ſcripta et ſpecimina tantum vsque ad 30 nouemb. 1768 mitti poſſent. Liberum tamen relinquit iis, qui iam ſua tradiderunt Academiae, vt, ſi velint, ea retractent mutentque, quae neceſſaria videantur. Nunc quoque nomen illius indicatum eſt, qui praemium hoc propoſuit, quod antea ignorabatur. Fuit is Cl. TRUDAINE DE MONTIGNY. Rex vero Galliae pro ſuo erga literas amore cum hac de re certior eſſet factus, ipſe conſtituit ex ſuo fiſco iſtam pecuniam ſoluere, vt adeo hoc inuentum, ſi perficiatur, ei debeatur, cui ad iuuandum ſcientiarum incrementum, praeter voluntatem benigniſſimam, optima ac certiſſima facultas eſt.

Academia Regia Chirurgorum *Pariſina* publico in conuentu, d. 30 aprilis 1767 habito, ſententiam tulit de iis commentariis, quos acceperat *de vera notione eorum*

*) Comment. h. Vol. XIV. p. 173.

eorum tumorum, *qui patrio vocabulo de Loupes*, *appellantur*, *et medendi methodo ſingulis eorum ſpeciebus*, *ſingulisque partibus*, *quas occupant*, *accommodanda.* Atque cum praemium duplex eſſet, problema enim bis proponendum fuerat *), inter duos diuiſum eſt, vt vterque monetam auream 500 librarum Gallicarum acciperet. Primum ex his praemiis traditum eſt, CHOPART, qui inter chirurgos iuniores (*Eleves*) noſocomiorum Pariſinorum eſt. Alterum accepit CHAMBON, qui *Brevane* prope *Lingones* (*Langres*) chirurgiam facit. Illud vero praemium, quod *prix d'emulation* vocatur, adiudicatum eſt GIRARDEAU, Chirurgo ſupremo legionis, quae a Pedemontio nomen gerit. Quinque inſuper monetas minores Academia diſtribuit.

Rothomagenſis Academia ſcientiarum, praemium propoſitum quaeſtioni *de mineris Normanniae et ratione illas in vſum conuertendi*, cuius diſtributio anno 1768 fieri debuiſſet, in ſequentem diſtulit, honorario duarum monetarum, quarum quaeque 300 libras Gallicas aequat, ab Ill. Duce DE HARCOURT propoſito.

Lugdunenſem Academiam ſcientiarum elegantiorum et artium, quaeſtionem *de aëre in noſocomiis carceribusque noxio*, *eumque corrigendi optimo remedio* bis, anno ſcilicet 1764 et anno 1767 duplicato praemio propoſuiſſe, alio loco ſignificauimus **). Nunc vero praemium illud adiudicatum eſt V. Cl. ALEX. PET. NAHUIS, Doct. Med. qui *Hornii* in Hollandia ſeptentrionali medicinam facit. Secundum praemium Cl. B. C. de BOISSIEN,

*) vid. Comment. hor. Vol. XI. p. 552. et XII. p. 561.

**) Vol. X. p. 718. et XII. p. 166.

SIEN, Medicus Lugdunenſis, et Cl. IULIEN, Chirurgus Lugdunenſis acceperunt. De praemio anni 1768, ei propoſito, qui artificium inueniret, corium adeo durandi, vt glandi plumbeae et enſis aciei reſiſteret, iam alibi diximus *).

Ex eadem vrbe relatum legimus annuam diſtributionem praemiorum, iis diſcipulis Cl. BOURGELAT promiſſorum, qui propoſita ex arte veterinaria themata optime explanaturi eſſent **), factam eſſe d. 31 octobr. 1767.

Praemium ſolutae quaeſtionis *de remediis antiſepticis*, quam *Diuionenſis* Academia ad annum 1767 propoſuerat ***), accepit Cl. BOISSIEN, Medicus Lugdunenſis, cuius ſupra, vbi de Lugdunenſi Academia diximus, iam mentionem fecimus. Laudauit quoque Academia Commentarios Cl. BORDENAVE, Membr. Acad. Reg. Pariſ. et Cl. GODARD, qui *Veruiers* in Archiepiſcopatu Leodicenſi medicinam facit, iisque viris Cl. alterum praemium, quod *acceſſit* dicitur, adiudicauit.

Regia Societas *Lemouicenſis*, quae ab agricultura nomen gerit, quaeſtionem propoſuerat, *de methodo deſtillandi vel praeparandi ſpiritum vini, cum quantitatem, tum qualitatem fructuoſiſſimam* ****). Huius praemium accepit Cl. ROSIER, director ſcholae veterinariae Lugdunenſis. Praeterea quoque Academia commentariorum Cl. VANNES et MEUNIER cum laude mentionem fecit.

Burdigalenſis quoque Academia declarauit, ſe praemio, conſtituto quaeſtioni, *de plantis, quae in*

*) vid. Vol. XII. p. 720. et XIII. p. 160.

**) vid. Vol. XIV. p. 368.

***) vid. Vol. XIII. p. 163.

****) vid. Vol. XIII. p. 693.

in rei frumentariae difficultate, loco panis ſuccedanei inſeruire poſſint, et aliquoties iam propoſito *), non afficere poſſe Auctorem illius commentarii, qui inter omnes, quos ſuper hac re acceperat, ei maxime placuiſſet. Experimenta enim in eo ſemine, quod Auctor indicauerat, iuſſu Academiae inſtituta, oſtenderunt acrimoniam quandam eidem ineſſe, nulli praeparationi cedentem, cuius effectus ſanitati vtentium, omnino noxii eſſe poſſent. Inter libellos vero, qui ad quaeſtionem *de argillae natura et remediis eam fertilem efficiendi* pertinebant, nullus fuit, quem praemio dignum iudicaret. Contra vero cum praemia duo diſtribuenda reſtarent, quia non ſoluta erat quaeſtio de plantis nutrimento aptis, duo quoque auctores praemiis ob ſuos libellos *de balneorum actione et vſu*, de qua et ipſa reAcademia quaeri voluerat, condecorati ſunt, Cl. ſcilicet MARET, M.D. et Secretarius Academiae Diuionenſis, atque Cl. MARTEAU, medicus vrbis *Aumale*. Problemata de morbis ex exſiccatione paludum oriundis et de analyſi aquarum mineralium, quae ad annum 1768 pertinent, iam alio loco indicauimus **). Prima vero quaeſtionum anni 1769 eſt illa de argillae natura, quam Academia repetiit, altera autem verſatur circa remedia deſtruendis lichenibus et muſcis, qui arbores infeſtant, apta.

Poſt tot praeclara inſtituta, quibus Potentiſſima Imperii Ruſſici Domina, non modo apud ſuos, verum etiam in vniuerſo terrarum orbe, nominis ac ſapientiae, inprimisque in literas fauoris gloriam, immortalem ſibi comparauit, nuper etiam nouum conſilium in rei aſtronomicae commodum cepit,

 ſum-

*) vid. Comment. h. Vol. IX. p. 679.

**) Comment. XII, 165. et XIII. 160 et 534.

ſumma admiratione dignum. Aſtronomorum enim exercitatiſſimorum numerum conuocauit, qui tranſitum Veneris per diſcum Solis d. 3 iunii 1769 inſtantem, admodum quippe memorabile phaenomenon, regulisque aſtronomorum illuſtrandis ac firmandis, apprime inſeruiturum, diuerſis in locis latiſſime patentis imperii diligentiſſime obſeruarent. Eorum vero principes commemorantur, Cl. MALLET, EULERUS, filius EULERI magni natu tertius, RUMOVSKI, POPPOF, KRAFT, LOWITZ et ISLENJEW, quem vltimum, iam in locum, ipſi aſſignatum, *Iakutski* in Sibiria, profectum eſſe percepimus. Reliqui vero loci, vbi obſeruationes aſtronomicae inſtituentur, ſunt *Kola*, *Kandalax* et *Kemi* in ſeptentrionalibus Ruſſiae prouinciis, *Orenburg* et *Tobolſk* in Sibiria, tandemque *Aſtracan*. Vt vero hoc inſtitutum non ſolum Aſtronomiae reliquisque ſcientiis ſpeculatiuis, ſed et hiſtoriae naturali, quae vtilitati communi magis inſeruit, eo fructuoſius eſſet, decretum eſt duplex iter, in quo ad phyſicam inprimis variarum Ruſſiae prouinciarum cognitionem attendatur. Fient autem haec omnia ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Comitis WOLDEMIR ORLOFF, qui Praeſidis Academiae Imperialis Petropolitanae munere maxima cum laude fungitur. Cl. GMELIN anno 1767 Tubinga illuc vocatus, qui ex conſanguineis eſt Cl. GMELIN, ſatis orbi erudito noti itinere, per Sibiriam iuſſu Imperatricis ELISABETHAE, quondam facto, Floraque Sibirica, quae huic itineri debetur, cum certo numero ſtudioſorum et delineatorum petet *Aſtracanum*, fines *Circaſſiae* ripasque fluminum *Tanais* et *Donez*, atque per *Vcraniam*, iis regionibus omnibus perluſtratis, redibit. Dux vero ſecundae ſocietatis proficiſcentium erit Cl. PALLAS, filius Profeſſoris Chirurgiae Berolinen-

linenſis, vir egregiis ſcriptis zoologicis clarus, atque inter principes in hoc doctrinae genere omnino referendus, qui olim Hagae Comitum medicinam fecit, et quem praeterito anno Auguſtiſſima Imperatrix Berolino Petropolin vocauit, munere profeſſoris hiſtoriae naturalis et inſpectoris Theſauri rerum naturalium, ibidem collecti, ei clementiſſime demandato. Socii eius erunt Cl. FALK, dignus Cel. LINNAEO diſcipulus, Cl. Viri LEPECHIN et GYLLENSTAEDT. Verſabitur vero eorum ſtudium inprimis in diſquiſitione corporum naturalium, quae ad ripas fluminis *Tanais* et in confiniis *Calmucorum*, atque circa *Orenburg* et *Caſan* reperiuntur. Omnes vero Petropolin medio menſe iunio 1768 relinquent. Cum autem non ſolum ſatis conſtet de doctrina horum virorum, atque in his rebus peritia, verum etiam latiſſimus pateat campus ſtudio perquirendi, in his maxime regionibus, nondum pro dignitate exploratis, non dubitamus fore, vt omnes, qui augmento cognitionis hiſtoriae naturalis nobiſcum delectantur, etiam vota ſua cum noſtris coniungant, pro felici totius huius inſtituti ſucceſſu. Locum, a quo Cl. PALLAS propter iſtud iter auocatus eſt, ad reditum vsque eius accepit Cl. GAERTNER, Vir in hiſtoriae naturali ſtudio egregie exercitatus, qui Tubingam, vbi hactenus Profeſſoris munere fungebatur, reliquit atque nunc in eo eſt, vt Petropolin petat.

Egregium nuper documentum non fauoris modo erga literas, ſed et ſtudii earum etiam apud exteros augendarum Potentiſſimus Rex Daniae dedit. Regiae enim ſocietati Hafnienſi donauit inſignem pecuniae ſummam, ex cuius reditibus praemia ſumantur inter eos quotannis diuidenda, qui ad varias

quaeſtiones ex re phyſica, matheſi et hiſtoria, ab Academia proponendas, optime reſponderint.

Vpſaliae coepit inclareſcere ſocietas, quae a coſmographia ſibi nomen vindicauit, cuius cura et conſilio globi geographici fabricantur, quorum diameter eſt vlnae vnius. Adeptum eſt hoc inſtitutum laudem eam, quam merebatur. Pretium ipſis globis conſtitutum eſt 600 thalerorum monetae cupreae, quod nondum ſummam 80 imperialium aequat.

Locum SAMUELIS AURIVILLII, in Vpſalienſi Academia Med. Prof. Ord. nunc occupare Cl. SIDRE'N, qui hactenus Adiunctus tantum Facultatis Medicae in eadem Academia fuit, accepimus.

Holmiae quoque Cl. ÅMAN, Med. Doct. Profeſſoris munere apud Cl. MARTIN, Anat. et Chir. P. P. ornatus eſt.

Qui variis libris ad rem herbariam pertinentibus egregiam doctrinam ſtudiumque abunde declarauit Cl. Vir. ANTONIUS GOÜAM dignitate Profeſſoris Botanices et Inſpectoris horti regii in Academia Monſpeſſulana condecoratus eſt.

Munus Profeſſoris Medicinae Ordinarii in Academia Ienenſi, Vir Cl. ERNESTUS GODOFREDUS BALDINGER proluſione aliqua Academica adiit, in qua *de lectione Hippocratis medicis ſumme neceſſaria* diſſerit.

Cl. ADAMUS NIETZKI, Med. Doct. qui hucusque in Academia Halenſi Medicinam cum laude docuit, nuper in Academiam *Altdorſinam* abiit munere Profeſſoris Medicinae Ordinarii ornatus. In hac vero Academia d. 22 martii octuageſimo primo aetatis anno fatis ceſſit venerandus ſenex D. IOHANNES IACOBUS IANTKE, Prof. Med. Ord.

et

et Acad Senior, cuius vitam proxime deſcripturi ſumus.

Et in noſtra Academia Cl. GEORGE CHRISTIAN REICHEL, Med. Doct. Ord. Med. Aſſeſſ. et Acad. Imperial. Nat. Curioſ. Socius, Vir multis nominibus laudandus nobisque amiciſſimus, d. 2 octobris ſuperioris anni munus Profeſſoris medicinae extraordinarii, oratione ſolenni, *de cognitionis partium corporis humani ſubtiliorum praeſtantia* adiit, edita ſimul proluſione, qua *de ſanguine eiusque motu experimenta* refert.

Cl. quoque IOHANNES CHRISTIANUS TILLING, Med. Doct. in diſquiſitione aquarum mineralium diu multumque occupatus, nunc a Sereniſſime Saxoniae Adminiſtratore iuſſus aquarum inprimis patriae noſtrae medicatarum vim et vſum docere, Profeſſoris medicinae extraordinarii munus ante hac ei delatum die 9 martii adiit, edita habendae orationis cauſſa proluſione, *de eorum, qui aquas mineralibus vtuntur, diaeta.* Oratione vero oſtendit, *quanta ſit in omnibus medicinae partibus, quae valetudinem ſpectant, diaetae vtilitas.*

Holmienſem Academiam Regiam Cl. Virum DU HAMEL DE MONCEAU, Socium Academiae Regiae Pariſinae in ſodalitium ſuum recepiſſe delatum ad nos eſt.

Cl. IOHANN FRIEDRICH HARTMANNUM, Hannoueranum, attentum tentaminum electricorum obſeruatorem inter ſocios Acad. Imperial. Natur. Curioſ. receptum nuper eſſe cognouimus.

Ante aliquot menſes Cl. Vir BALTHAS. LUDOV. TRALLES, cuius fama ob praeclara in artem ſalutarem merita, iam dudum omnem literarium impleuit orbem Vratislauia Gotham vocatus erat, vt Sereniſſimae Duci LUDOVICAE DOROTHEAE,

graui-

grauiter aegrotanti conſiliis ſuccurreret. Quanquam vero grauior, quo Seren. Dux, affligebatur morbus TRALLESII quoque conſiliis excogitatam medelam eluſit, ipſamque aegrotam tandem conſumſit, ille tamen praeclara praeſtitae operae tulit praemia; nam publico principalis fauoris documento Archiatri et Conſiliarii Aulici dignitate ornatus et magnificis muneribus donatus, Vratislauiam reuerſus eſt.

Inter alia multa, quae ex aliquo tempore in *Polonia* inſtituta ſunt, placuit ſapientiſſimo Regi etiam de re medica et chirurgica inſtituenda cum peritiſſimis vtriusque artis viris deliberare. Nos quanquam et ex multorum narrationibus et literis fide dignis compertum habemus, iam conueniſſe de ſummis edicti Regii capitibus omnemque inſtituti rationem conſignatam atque deſcriptam eſſe, pecuniam quoque haud exiguam ſumtibus deſtinatam, tamen, ne quid a nobis feſtinaretur, plura dicere, in aliud tempus diſtulimus: nam eo copioſius tunc et certius nos de hac re expoſituros eſſe pollicemur.

In Vniuerſitate *Wittenbergenſi*, menſe februario 1768 programma latinum ac germanicum publice propoſitum eſt, quo quatuor Medicinae atque Philoſophiae Profeſſores, et Societatis Oeconomicae Lipſienſis membra honoraria, Amici et Collegae noſtri, D. GEORG. AUG. LANGGUTH, D. GEORG. RUDOLPH. BOEHMER, IO. DANIEL TITIUS, et D. IO. ERNEST. ZEIHER, conſilium ſuum de *Transactionibus Philoſophicis Anglicanis*, per modum *Subſcriptionis* recudendis, aperiunt, eiusque cauſſas et conditiones ſuccincte exponunt. Nimiam operis caritatem, et, quae inde efficiantur, raritatem ac integre colligendi difficultatem, in cauſſis inſtituti ſui praecipuis ponunt, quas ſe ſperant ſublaturos, ſolito immodico pretio

ad

ad duas tertias, prope imminuto operis autem ſplendore, nihilo ſecius pulchre conſeruato. Qua re procul dubio et ipſas bonas litteras egregie iuuabunt, et eruditis plerisque, maxime iis, qui hiſtoriam naturalem, mathematica, phyſica, chemica, medica, oeconomica tractant ac colunt, officium facient gratiſſimum, hocce gazophylacio huc dum aegerrime carentibus. Ad conditiones quod attinet, ab eo tempore, quo hae ephemerides per volumina coeperunt publicari, operis recudendi fieri volunt initium, primumque volumen XLVII. proximis noſtris nundinis autumnalibus publicam in lucem proferri; ſequuturis in ſingulos annos duobus tribusue voluminibus. Patrio ſermone, vt conſcriptae ſunt, deſcribentur, Londinenſi exemplo nulla, nec chartae, nec typi, nec tabularum aenearum, forma, pulchritudine, adcuratione, conceſſurae; quibus pollicitis Programma, nouo nitidoque typo exſcriptum, tanquam ſpecimen, fidem pleniſſimam facit. Praemittentur ſingulis voluminibus ſumma obſeruationum capita, ſubindeque, vbi neceſſitas fuerit, adnotatiunculae addentur, ad rei obiectae hiſtoriam et pleniorem intelligentiam praecipue facturae: Latino tamen ſermone vtrumque exprimetur, vt eorum etiam, qui Anglicam linguam non omnino callent, vtilitatibus conſulatur. Commemorabuntur praeter ea in praefationibus vitae praeſtantiſſimorum Academicorum, aliaque adiicientur, quae operis vtilitatem amplificatura videbuntur harum rerum peritis aequisque arbitris. Pretium, quod palmarium putandum eſt, lucelli cupidinem, ab editoribus alieniſſimam, liquido oſtendit, ſingulis voluminibus 1 thaleri cum 20 groſſis, monetae noſtrae argenteae, conſtitutum, ſaepe ne tertiam quidem pretii tranſmarini partem attin-

attingens; quam eius imminutionem, adeo conſpicuam, editioni ſuae ſe impetraturos confidunt, compendio verſuum, in charta auguſtiore minoribus litteris preſſius ducendorum, tribus plerorumque voluminum alphabetis ad dimidium commode contrahendis. Ectypi tamen, vt idem poſſit eſſe vſus, ac archetypi, huius paginas in eius marginibus ſuis numeris adcuratiſſime curabunt indicari. Sumtus ſane non exiguos liberaliter ſuppeditabunt editores, horumque iam magnam partem operi, deſcripto tempore certiſſime prodituro, impenderunt; ad proſperandos tamen ſucceſſus, conſueta *Subſcriptionis* via, ſuppetias ſibi ferri optant, et aequiſſime contendunt. Fautores igitur ſuos, et quo maxime intereſt, vt inſtitutum hoc frugiferum modis omnibus promoueatur, diligenter rogant, vt nomina ac dignitates ſuas cum deſideratorum exemplarium numero, vel apud ſe, vel apud ſpectatiſſimos quosque Germaniae Bibliopolas, mature, et ante nundinarum noſtrarum proximarum exitum, ſuo tamen admodum modico impendio, profiteantur; quo ampliſſima eorum nomina fronti operis inſcribi, ipſique adeo plurimum dignitatis ac commendationis conciliari, poſſit. Sub finem nundinarum autumnalium primi exemplar voluminis, Lipſiae, ſine noua impenſa, contra tum aut nunc etiam in anteceſſum beneuole, numeratam pecuniam, hi ex promiſſo accipient; ad illosque, qui duodecim exemplaribus nomina dederunt, decimum et tertium, in quam remunerationem gratuitum perueniet. Poſt illa vero tempora, ipſoque iam feruente opere, de auctiore pretio 2 thalerorum cum dimidio, quo ſingula deinceps volumina veneent, nihil derogabitur.

Memo-

Memoria THOMAE SCHWENCKII, Medicinae Doctoris, Phyſici et Poliatri apud Haganos, Profeſſoris Anatomiae et Chirurgiae, Lectoris artis obſtetriciae, Senatoris Hagani, Societatis Harlemenſis Sodalis.

Poſtulat interdum medicorum prudentia, impatiens aegrorum taedium bene promittendo minuere, ſtudiis eorum abuti, et, ſi quod forte ſuperfuerit remedium, quamquam incertum, id euentu proſpero demonſtrando commendare: ſaepe adeo ſpes ipſa remediis omnibus potentior eſt. Et tamen vanitas haec aegrorum, aut, ſi lenius appellare placet, recuperandae ſanitatis naturale ſtudium, plerumque in contemtum medicorum conuertitur, quos cum, in aduerſo morbi exitu, faciles in cedendo, et neceſſitate fere ad hanc lenitatem coactos dicere debuiſſent, artis parum gnaros criminantur. Quae obiurgatio etſi ferenda fortaſſe erat, ſi in quosdam propter aegros nonnullos caderet, tamen, quoniam cum omnibus et arte omni communicari ſolet, haud dubie iniquiſſima eſt. Nam ſi totum illud iudicium de exitu morborum lubricum eſſet, et fraude perpetua impeditum, ſi nec obſeruandi diligentia, nec comparandi acumen, nec ſubtilitas concludendi aliquid valeret, quoad quidem humana vis praeſtare euentum poteſt: aut nemo vnquam fuiſſet in hoc genere verax; fuere autem multi; aut caſu tantum reſpondiſſet non nunquam euentus. Sed totum hoc temeritati caſus permittere, aeque foret ineptum, ac diuinandi vim in iis agnoſcere, qui talia vere praedixiſſent. Reſtat ergo, vt conſilio et arti ſuus honor relinquatur, vt, natura morborum accurate cognita, vſu diuturniore adiuncto, examine et cautione adhibita, diſci poſſe iudicium

de

de euentu concedatur, et quo quis excellentior in hoc genere fuerit, eo plus doctrinae et in agendo prudentiae ei tribuatur. Talem fuiſſe SCHWENCKIUM, cuius vitam enarrabimus, ipſi ciues eius profeſſi ſunt: cum enim omnem eius laudem paucis amplecti vellent, eum et praedicendis morborum euentibus, et inſitarum variolarum proſpera curatione, et ſumma humanitate inclaruiſſe dixerunt. Ac nos quidem mallemus ita de eo agere, vt, quibus inſtitutis veniſſet ad hanc facultatem, appareret; ſed nec conſilium noſtrum patitur, ad ea digredi, nec ſatis multa in hanc partem de eo memoriae prodita ſunt.

Parens eius, MATTHIAS WALRADUS, qui, cum ſuperiore ſeculo exeunte in comitatu Principis Waldecenſis Traiectum ad Moſam veniſſet, finito bello a. 1713 noſodochiorum curam demandatam ſibi accepit, hunc THOMAM, e MARIA BERGERIA, Francica exſule, a. 1694 d. 12 octobris ibi genitum et liberaliter educatum, eadem in vrbe frequentare noſodochia voluit, duce BARTHELEMO, HUYSERO, KETTENESIO, vt pharmaceuticis et chirurgicis diſciplinis praeparatus Leidam adire, ſcholisque ALBINI patris, DECKERI, RAVII, LEMORTII, et BOERHAAVII eo vtilius intereſſe poſſet. Quo cum a. 1712 ſe contuliſſet, captis iam a. 1715 Doctoris honoribus, Hagam Comitum medicinae faciendae cauſſa petiit. Proſper in hoc vitae genere ſucceſſus, et fama obſtetriciae peritiae, ad quam et ipſam SCHWENCKIUS ſe dederat, tantum valuerunt, vt, mortuo REVERHORSTIO, a. 1723 Anatomiae et Chirurgiae Profeſſor Haganus, mox ab eiusdem vrbis Senatu Lector artis obſtetriciae, poliater et phyſicus eligeretur. Secuta ſunt mox alia apud eosdem praemia,

vt

vt dignitas Senatoris, quae tanto magis ei decerni debuit, quanto luculentius amorem erga Haganos declarauerat; recuſato munere medicinae Vltraiecti docendae, quod ei a. 1728 oblatum fuerat. Inſtituta a. 1752 Harlemenſi Societate, cooptatus eſt SCHWENCKIUS, adiutisque omni modo Societatis conſiliis, inter alia ſcribendo ei profuit: certe non nulla eius ſcripta in Actis Societatis exſtant. Hanc virtutis, doctrinae et praemiorum laudem, quam dignitas archiatri Naſſouienſis et vndique expetita eius conſilia medica non parum illuſtrarunt, cum ipſos quinquaginta annos inde a Doctoratu capto meruiſſet, abdicauit ſe a. 1765 muneribus Profeſſoris et Lectoris, quae et ipſa per duos et quadraginta annos geſſerat, et perhonorifico ſuorum iudicio decoratus eſt, donatusque moneta, cuius inſcriptio ſummam in adminiſtrando munere laudem, longumque et vtilem laborem praedicat. Ac ne quid ad legitimam ſenectutis quietem deeſſet, a. 1766 et Phyſici munere fungi deſiit. Iam per ſe debilem aetatem fregerat etiam ex aliquot annis pedum morbus, qui vbi non multo ante mortem euanuiſſet, anxietatibus vexari aeger ſaepe numero ſolebat, ita tamen, vt medicinae locus eſſet: donec a. 1768, nullo ante morbo infeſtatus, d. 11 Februarii ſeptuaginta et trium annorum ſenex ipſi huic anxietati ſuccumbere coactus eſt.

Index ſcriptorum a Cl. SCHWENCKIO editorum.

Diſſ. inaug. med. de ſaliua, L. B. 1715. 4.

Rari caſus explicatio anatomico-medica, Hag. Comit. 1733. 8.

Haematologia ſiue ſanguinis hiſtoria, experimentis paſſim ſuperſtructa. Accedit obſeruatio anato-

mica de acetabuli ligamento interno, caput femoris firmante, cum binis tabulis adiectis, Hag. Comit. 1743. 8. Quem librum Experientiſſimus ABR. WESTERHOFF in Belgicam transtulit linguam, ibid. 1744.

Schets van Heelmiddelen en haar uitwerkingen op het lichaam, s'Gravenhage, 1745. 8. in 1753 herdrukt, en merkelyk vermeerderd.

Noodig bericht over de Inenting der Kinderpokjes in's Hage, s'Gravenhage, 1756. 8.

In Commentariis ſocietatis ſcientiarum Harlemenſis inueniuntur ſequentia:

Aanmerkingen ower de Weer (Callus) der Beenderen, I. D. p. 39.

Bericht wegens eene zeer ſpoedige geneezing eener Beroerdheid, of ten deelen Verlamminge: herſteld door het Ryden op een Wagen, I. D. p. 414.

Aanmerkingen over verſcheide manieren van Bloedſtelpen, en de voornaanſte Bloed-ſtelpende middelen in de Heel-Kunde, II. D. p. 225.

Voorbeld, hoe eene ſamengeſtelde Breuk, gevaarlyk door veele toevallen, gelukkig behandelt en geneezen is, IV. D. p. 133.

Beſchryving van eene Nageboorte, waarm drie Moederkoeken zich vertoonden, IV. D. p. 141.

Aanmerkingen over het getal der Dooden van 1756, 1757 en 1758, in welke twee laatſte jaaren de Kinder-pokjes gegraſſeert hebben in's Gravenhage, V. D. p. 158.

Beſchryving van een nieuw Werktuig, om de Lyfmoeder te onderſteunen, V. D. p. 206.

Aanmer-

Aanmerkingen op het getal der Dooden van a. 1759, 1760, 1761, 1762 en 1763, in welke twee laatſte jaaren de Kinder-pokjes gegraſſeerd hebben in 's Gravenhage, VIII. D. 1 St. p. 485.

Aanmerkingen van een ſtuk been eener Runder-Ribbe, naa het twee-en-twintig maanden en agt dagen in de Long gedraagen te hebben, door hoeſten geloosſt, VIII. D. II. St. p. 203.

XXVIII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1764 prodierunt.

Dizionario compendioſo di Sanità, che contiene l'eſatta deſcrizione delle umane Malattie, compreſe pur quelle degli Artefici, e della Gente applicata e ſedentaria: colla ſpecificazione de' Rimedi ſperimentati da piu celebri Profeſſori dell' Arte medica; tradotto dal Franceſe, ed illuſtrato con oſſervazioni iatrofiſiche dal Dottor. GIAN. PIETRO FUSANACCI. Tomo I. II. III. in Venezia, 8.

Medicus veri amator, ad Apollineae artis alumnos. Pariſiis, 8. (*Auctore* Cl. LE CLERC).

An Eſſay on comparative Anatomy. London, 8.

Faſciculus diſſertationum anatomico medicarum, Amſtelodami, 8. c. tab. aen. (*Continentur*: 1) MADAI *diſſ. anatome oui humani foecundati, ſed difformis, trimeſtri abortu eliſi.* 2) BOEHMER *de vracho humano.* 3) THEUNE *de confluxu trium cauarum in dextro cordis atrio.* 4) THEMELII *comment. qua nutritionem foetus in utero per vaſa*

vmbilicalia ſolum fieri, occaſione monſtri ouilli ſine ore et faucibus nati, oſtenditur.)

Leichte und bewährte Hausmedicamente für den Bürger und Landmann, zu einem innerlichen Gebrauch. Ulm, 8.

Obſervations ſur l'uſage interne du Colchique d'Automne, du ſublimé corroſif, de la feuille d'Oranger, du vinaigre diſtillé, etc. dans lesquelles on trouve des moyens de guerir pluſieurs maladies, qui reſiſtent aux remedes uſités, par Mr. Mr. STOERK, LOCHER, DE HAEN, Medecins de Vienne; precedées d'un Memoire, pour ſervir à l'hiſtoire de ces differens moyens de guериſon. P. M. L. B. D. P. D. M. P. à la Haye et à Paris, 12. (*i. e. par M.* LE BEGUE DE PRESLE, *Med. de la Faculté de Paris*).

Parallele des differentes methodes de traiter la maladie venerienne. à Amſterdam, 12.

Obſervations ſur la nature, les cauſes et les effets des epidemies varioliques, et refutation de quelques ecrits contre l'inoculation de la petite verole. Ouvrage, ou l'on trouve les preuves les plus convaincantes de l'utilité de cette pratique, et les plus propres à determiner enfin tous les citoyens, à l'adopter. à Geneve, 12. (*Auctore Cl.* DAVID).

Diſſertation neutre ſur l'Inoculation de la petite verole. à Amſterdam et à Paris, 12.

Recherches ſur quelques points d'Hiſtoire de la Medecine, qui peuvent avoir rapport à l'arret de la Grande Chambre du Parlement de Paris, concernant l'Inoculation, et qui paroiſſent favorables à la tolerance de cette opinion. à Liege et

et à Paris, 12. Voll. II. (*Auctor eſt Cl.* DE BORDEU).

Das beſtrittene Vorurtheil in zween Abhandlungen, die Einpfropfung der Kindſpocken und die Beerdigung der Todten in den Kirchen und Städten betreffend. Aus dem Franzöſ. überſezt und mit einer Vorrede herausgegeben von I. WETSCH, M. D. *Wien*, 8.

Examen de l'Inoculation, par un Medecin de la Faculté de Paris. à Londres et à Paris, 12. (*Auctore Cl.* DORIGNY).

L'Inoculation de la petite verole renvoyée à Londres, par M***, Doct. en Med. à la Haye, 12. (*Auctore Cl.* LE HOC).

Lettre à M***, ou l'on prouve la poſſibilité des naiſſances tardives, d'apres la ſtructure et le mechaniſme de la matrice. à Paris, 8.

IO. TRAUGOTT ADOLPH diſp. inaug. arteriologiae recte concinnandae leges, cum ſpecimine arteriae carotidis externae exhibens. Reſp. *Dan. Victor Nüſpelin.* Helmſt. 4.

Eiusd. diſp. inaug. de infanticidii notis ſectione legali detegendis. Reſp. *Henr. Chph. Dreyer*, ibid. 4.

Eiusd. diſp. inaug. de morbis catarrhalibus. Reſp. *Car. Gerh. Cahlo*, ib. 4.

De dyſenteria commentarius, auctore MARCO AKENSIDE. Londini, 8 mai.

CHRIST. LUD. ALBERTI, diſp. inaug. de vi electrica in amenorrhoeam, i. e. catameniorum obſtructionem. Gottingae, 4.

BERNH. SIEGFR. ALBINI academicarum annotationum liber ſextus, continet phyſiologica, anatomica, pathologica, phytotomica. Leidae, 4. c. tab. aen.

Nouvelle deſcription phyſique, hiſtorique, civile et politique de l'Islande, avec des obſervations critiques ſur l'Hiſtoire naturelle de cette Isle: donnée par M. ANDERSON: ouvrage traduit de l'Allemand de M. HORREBOW, qui y a eté envoyé par le Roi de Dannemarc. à Paris, 12. Voll. II.

Inſtructions ſimples et aiſées ſur les maladies de l'urethre et de la veſſie, miſes a la portée des perſonnes, qui en ſont affligées, et pour l'avantage des jeunes chirurgiens, dans lesquelles on donne une deſcription des parties de la generation, qui appartiennent a l'un et a l'autre ſexe, avec quelques obſervations phyſiologiques et pathologiques ſur celles des femmes, etc. par GEORGE ARNAUD. à Amſterdam, 12.

IOH. ASTRUCS *Abhandlung aller Venuskrankheiten; aus dem Franz. überſ. durch* IOH. GOTTLOB HEISE. *Frankf. und Leipzig*, 8.

SAM. AURIVILLIUS diſp. de angina infantum in patria recentioribus annis obſeruata. Reſp. *Henr. Chriſt. Dan. Wilcke.* Vpſaliae, 4.

Eiusd. diſp. de glandulis animalibus. Reſp. *Car. Ribe*, ibid. 4.

Eiusd. diſp. de rheumatiſmo. Reſp. *Io. Arcell.* ibid. 4.

EMAN. WENCESL. BACHMANN diſp. inaug. de pleuritide. Prag. Bohem. 4.

ABRAH.

ABRAH. BAECK *Oratio* om farſoter ſom mäſt härja ibland Rikets allmoge. Stockholm, 8.

De catarrho et de dyſenteria Londinenſi epidemicis vtriſque anno 1762 libellus, Auctore GEORGE BAKER. Londini, 4 mai.

ERN. GOTTFR. BALDINGER introductio in notitiam ſcriptorum medicinae militaris. Editio aucta. Berolini, 8.

Queſtion importante: Peut on determiner un terme prefix pour l'accouchement? par M. LE BAS. à Paris, 8.

HENR. BASSII tractatus de morbis venereis, quem obſeruationibus auxit et in vſum auditorum edidit I. W. B. Francof. et Lipſ. 8.

Naturgeſchichte des Mineralreiches, mit beſonderer Anwendung auf Thüringen, herausgegeben von D. IOH. WILH. BAUMER, 2 *Theil. Gotha,* 8. *m. K.*

GOTTFR. SAM. BAUMLERS *präſervirender Arzt, oder gründliche Anweiſung zu einer ordentlichen Diät etc. aus den hinterlaſſenen Schriften des ſel. Verfaſſers herausgegeben von D.* GEO. HEINR. BEHR. *Frankf. und Leipzig,* 8.

Diſſertation ſur la properté et la conſervation des dents, par M. BEAUPREAU. à Paris, 8.

Diſcours prononcé aux ecoles royales de Chirurgie à Toulouſe, le jour de l'ouverture du cours des maladies des os, l'année 1763, ſur les progrés de l'anatomie et les avantages de cette ſcience, par M. BECANE. à Touloufe, 12.

Oſſervazioni intorno alla doppia refrazione del Criſtallo di Rocca dal GIOV. BATT. BECCARIA. In Torino, 4.

— BELGRADO diſſ. delle ſenſazione del calore e del freddo. Parma.

U. N. BELZ *Abhandlung vom Schalle, wie er entſteht, fortgeht, ins Ohr wirket, und wie der Empfang des Schalles kraft der innerlichen Struktur des Ohrs hervorgebracht wird, und wie das Hören geſchieht, welche den von der königl. Acad. der Wiſſenſchaften in Berlin auf das Iahr 1763 ausgeſezten Preiß erhalten hat. Berlin*, 4. (Idem liber ibidem eodemque anno prodiit Gallice conſcriptus).

PHIL. HENR. BENDER disp. inaug. de coſmeticis. Argent. 4.

Obſeruationum medicarum, quae anatomiae ſuperſtructae ſunt, collectio prima, quae morborum hiſtorias complectitur, diſſectis cadaueribus illuſtratas. Recenſuit et proprias addidit IOSEPH. BENVENUTUS. Lucae.

Tal om Kalla Bad i gemen, och Loka Badningar i ſynnerhet af PETER IONAS BERGIUS. Stockholm, 8.

THORBERN BERGMANN *Oratio* om möjeligheten at före komma äſkans ſkadeliga werkningar. Stockholm.

Eiusd. Bref til K. S. A. ſecretererne angaende anmärkningar öfwer de ſwar om ſkadelige frukträds maſkar. ibid.

Vollſtändige Abhandlung vom Wieſenbaue, ſo wohl dem natürlichen, als künſtlichen, nach den Gründen der neuen Landwirthſchaft erörtert vom Herrn IO. CHPH. BERNHARD, *Zweyte, mit einem Anhange und Zuſätzen vermehrte Auflage. Frankf. und Leipzig.* 8.

Principes phyſiques, pour ſervir le ſuite aux Principes mathematiques de NEWTON, par le Pere BERTIER. Tom. I. II. III. à Paris, 12. Voll. III.

AMBR.

AMBR. BERTRAND Operazioni chirurgiche. Tom. I. II. in Torino, 8. c. tab. aen.

De l'eau relativement a l'economie ruſtique: ou Traité de l'irrigation des près, par M. BERTRAND. à Avignon, 8.

A Diſſertation on the inutility of the amputation of Limbs, by I. U. BILGUER. London, 8.

Diſſertation ſur l'inutilité de l'amputation des membres; par M. BILGUER, traduite et augmentée de quelques remarques par M. TISSOT. à Paris, 12.

IOH. CHPH. BISCHOFS *Betrachtungen des Weltgebäudes und einiger Merkwürdigkeiten der Natur. Danzig und Leipzig,* 8. *m. K.*

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum, i. e. ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum vſum aſſeruantur, quarum deſcriptio et vires ex Anglico idiomate in latinum conuerſae ſiſtuntur, c. praef. CHPH. IAC. TREW. Excutit, figuras pinxit atque in aes incidit NIC. FRID. EISENBERGER. ſ. *Neu vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch u. ſ. w.* a tab. viv. color. pict. 548-560. Norimb. fol.

PHIL. AD. BOEHMER disp. inaug. de febre ſcarlatina epidemice hactenus graſſante. Reſp. *Dieter. Herm. Ehrlich.* Halae, 4.

Eiusd. disp. inaug. de purgantibus chronica cutis exanthemata nonnunquam exacerbantibus. Reſp. *Io. Abr. Gerbes*, ibid. 4.

Eiusd. disp. inaug. de tranſitu febrium benignarum in malignas, praeſertim in Friſia orientali. Reſp. *Nic. Herm. Eſchershauſen,* ibid. 4.

Eiusd. disp. inaug. de vlcere putridam praecauente febrem. Reſp. *Henr. Matth. Gutfeldt,* ibid. 4.

Von der Wendung. Ob die Wehmütter bey gefährlichen Geburten den Kopf zuerſt zur Welt zu helfen verſuchen, oder ohne ſolchen Verſuch das Kind, ſo bald das Waſſer ſpringfertig iſt, wenden und bey den Füßen herausziehen ſollen? von G. D. BÖSSEL, M. D. *Flensburg*, 8.

IOH. CHPH. BOHLIUS *von der nöthigen Vorſichtigkeit bey denen in lebendigen Geſchöpfen anzuſtellenden Erfahrungen von der Unempfindlichkeit der Sehnen. Königsberg*, 4.

Contemplation de la nature par M. BONNET, T. I. II. à Amſterdam, 8 mai.

ADOLPH. IULIAN. BOSE epiſt. gratul. de motu humorum in plantis vernali tempore viuidiori. Lipſiae, 4.

Recherches ſur la conſtruction la plus avantageuſe des digues. Ouvrage, qui a remporté le prix quadruple propoſé par l'Academie Royale des Sciences, Inſcriptions et belles Lettres de Toulouſe pour l'année 1762, par M. l'Abbé BOSSUT et par M. VIALLET. à Paris, 4.

Diſſertation ſur les depots du Sinus maxillaire, par M. BOURDET, Dentiſte du Roi, cet. à Paris, 12.

Conſultation contre la legitimité des naiſſances pretendues tardives, par M. BOUVART, *ſ. loco*, 8.

IO. CAR. BREDTSCHNEIDER quaeſt. inaug. an foetus in vtero materno per os nutriatur? *Neg.* Pragae Boh. 4.

Oeconomical and Medical Obſervations, in two Parts; from the Year 1758 to the Year 1763 incluſive. Tending to the Improvement of Military Hoſpitals; and to the Cure of Camp Diſeaſes, incident to Soldiers. To which is ſubjoined

joined an Appendix containing a curious Account of the Climate and Diſeaſes in Africa, upon the Great River Senegal, and farther up than the Island of Senegal. In a Letter from Mr. BOONE, Practitioner in Phyſic to that Garriſon for three Years to Dr. BROCKLESBY; by RICHARD BROKCLESBY. London, 8.

Abhandlung von der mediciniſchen Erziehung der Kinder und den Krankheiten derſelben. Aus dem Franz. des Herrn BROUZET *überſ. von* IOH. SAM. BISTEN, *I und II Band. Altenburg*, 8.

M. TH. BRÜNNICHII entomologia, ſiſtens inſectorum tabulas ſyſtematicas cum introductione et iconibus, (*latine et danice*). Hafniae, 8. c. tab. aen.

Eiusd. Ornithologia borealis, ſiſtens collectionem auium ex omnibus imperio Danico ſubiectis prouinciis inſulisque Borealibus Hafniae factam cum deſcriptionibus nouarum nominibus incolarum, locis natalium et icone. ibid. 8. c. tab. aen.

ANDR. EL. BÜCHNER disp. inaug. de aetiologiae variolarum per hypotheſin tentata explicatione. Reſp. *Iac. Phil. Peliſſon.* Halae, 4.

Eiusd. disp. inaug. ſiſtens caſum rariorem affectus ſpaſmodico conuulſiui vagi. Reſp. *Chriſt. Gottlob Leonh. Schwarzenberg.* ibid. 4.

Eiusd. disp. inaug. de cauſis quibusdam ſpecialibus apoplexiae obſeruationibus anatomicis rarioribus confirmatis. Reſp. *Sam. Sigism. Adami.* ibid. 4.

Eiusd. disp. inaug. de criſibus cum febribus tantum, non aliis morbis connexis. Reſp. *Car. Cuhlemeyer.* ib. 4.

ANDR. EL. BÜCHNER disp. inaug. de conſenſu primarum viarum cum perimetro corporis humani. Reſp. *Gerh. Henr. Rocholl.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug. ſiſtens dyſenteriam ex principiis chemiae ſublimioris perluſtratam. Reſp. *Chriſt. Gottl. Müller.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug., de fluxus menſtrui ratione ad ventriculum et inteſtina. Reſp. *Io. Bernh. Lorbeer.* ibid. 4.

Eiusd. disp. inaug. de frequentiae ortu calculi renum et veſicae eiusque cauſis. Reſp. *Io. Frid. Achilles.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug. de gummi-reſinis Kikekunemalo, Look et Galda. Reſp. *Rud. Seelmatter.* ibid. 4.

Eiusd. disp. inaug. de morborum acutorum et chronicorum differentia vera. Reſp. *Hans Venninghauſen.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug. de oſſificatione durae meningis ſingulari obſeruatione confirmata. Reſp. *Frid. Lud. Albrecht.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug. de ſalutari vis vitae in morbis actione. Reſp. *Car. Ephr. Thalheim.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug. de ſcorbuti cum lue venerea complicatione. Reſp. *Eric. Lud. Siefart.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug. de ſecretione lactis muliebris et praecipuis ab ea impedita pendentibus morbis. Reſp. *Io. Gottlob Fritze.* ib. 4.

Eiusd. disp. inaug. an ſymptomata, per cauſſas non explicata, poſſint vera eſſe prognoſtica morborum ſigna? Reſp. *Erdm. Dan. Kluge.* ib. 4.

Traité hiſtorique des Plantes, qui croiſſent dans la Lorraine et les trois Evechès, contenant leur deſcription, leur figure, leur nom, l'endroit ou elles croiſſent, leur culture, leur analyſe et leurs pro-

proprietés, tant pour la medecine, que pour les arts et les metiers, par M. I. P. BUCHOZ, Tome III. à Nancy, 8. c. tab. aen.

Sacra Embryologia, ſiue de officio Sacerdotum, Medicorum et aliorum circa aeternam paruulorum in vtero exiſtentium ſalutem Libri IV. S. T. et V. I. D. FRANC. EMAN. CANGIAMILLA Auctore et Interprete: Editio prima in Germania. Monachii et Ingolſtadiae. fol.

IAC. SMITH CARMICHAEL diſp. inaug. de paralyſi. Edinburgi. 8.

IOSEPH. CARRERE diſp. de ſanguinis motu et circulatione. Reſp. *Bern. Souler.* Perpiniani.

IOAN. FRID. CARTHEUSER diſp. chem. phyſica, de genericis quibusdam plantarum principiis hactenus plerumque neglectis. Ed. 3tia prioribus auctior. Francof. ad Viadr. 8.

Eiusd. diſp. inaug. de incitamentis motuum naturalium internis. Reſp. *Car. Ferdin. Pfitzner.* ibid. 4.

Eiusd. diſp. inaug. de morbis potioribus ex praeternaturali conſtitutione glandularum capitis, colli et thoracis naſcentibus. Reſp. *Io. Sam. Kruttge.* ibid. 4.

Eiusd. diſp. inaug. de morbis potioribus ex praeternaturali glandularum abdominis et artuum conſtitutione oriundis. Reſp. *Car. Ludov. Schulze.* ibid. 4.

Eiusd. diſp. inaug. de ſale mirabili Glauberiano natiuo. Reſp. *Car. Theoph. Steinberg.* ib. 4.

Eiusd. diſp. inaug. exhibens theſes quasdam generales de ſimplicibus balſamicis et aromaticis. Reſp. *Io. Dan. Schulze.* ib. 4.

Refle-

Reflexions generales ſur l'Isle de Minorque, ſur ſon climat, ſur la maniere de vivre, de ſes habitans, et ſur les maladies, qui y regnent par M. CLAUDE FRANCOIS PASSERAT DE LA CHAPELLE. à Paris, 12.

Le Manuel des Champs, ou Recueil choiſi inſtructif et amuſant de tout ce, qui eſt le plus neceſſaire et le plus utile pour vivre avec aiſance et agrement a la Campagne, par M. de CHAUVALLON, Pretre de l'Ordre de Malthe: ouvrage diviſé en quatre parties: la premiere traite du potager, des arbres fruitiers, de la taille, de la greffe, de la culture des fleurs, des arbriſſeaux, enfin du Jardin d'ornement: la ſeconde des terres labeurables, des près, des vignes, de la façon et qualité des vins, de la bierre, du cidre, de l'hydromel etc. des bois, de la chaſſe et de la peche: la troiſieme des chevaux, des betes a cornes, des betes a laine, des volailles, des oiſeaux ſauvages, qui s'apprivoiſent aiſement, des mouches a miel et des vers a ſoye: la quatrieme de la cuiſine, de la patiſſerie, des confitures, des liqueurs et autres choſes neceſſaires ou utiles pour l'uſage de la vie. à Paris, 12 maj.

L'art de conſerver la ſanté des perſonnes valetudinaires, et de leur prolongér la vie; traduit du latin de CHEYNE, et augmenté d'un Dictionnaire des alimens. à Paris, 12.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Journal de Medecine, par Mr. ROUX. Tom. XXI. XXII — p. 387

II. Parallele des differentes methodes de traiter la maladie venerienne — 405

III. BAUMER *Naturgeſchichte des Mineralreichs, II. Buch* — 408

IV. RELHAM 's Refutation of the reflexion againſt inoculation published by Dr. RAST, ob Lion, cet. — 409

V. GODAR Diſſertation ſur la nature, la maniere d'agir, les eſpeces et les uſages des antiſpaſmodiques cet. — 412

VI. HARDUINI animaduerſionum botanicarum ſpecimen alterum — 422

VII. A. CORN. CELSI de medicina libri octo. Edit. KRAUSII — 426

VIII. BRÜNNICHII Entomologia — 431

IX. *Eiusdem* Ornithologia borealis — 432

X. ARNAUD Inſtructions ſimples et aiſées ſur les Maladies de l'urethre et de la veſſie — 433

XI. *Phyſicaliſch-mikroſcopiſche Beſchreibung eines beſondern phoſphoreſcirenden und faſerichten Steins,* cet. — 437

XII. BRUGMANNI Tentamina philoſophica de materia magnetica cet. — 438

XIII. HOMPECK *Abhandlung von der electriſchen Abſtoßung* — 441

XIV. OEDER Elementa botanica — 442

XV. BECHERS *neue Abhandlung vom Carlsbade, I. Theil* — 454

XVI. CRANTZ Inſtitutiones rei herbariae, T. I. et II. p. 460

XVII. Hiſtoire naturelle generale, et particulaire avec la deſcription du Cabinet du Roi, T. XII 471

XVIII. VON GLEICHEN *das neueſte aus dem Reiche der Pflanzen* 489

XIX. KRASCHENINNIKOW *Beſchreibung des Landes Kamtſchatka* 498

XX. REYGER Tentamen Florae Gedanenſis 509

XXI. VON ROSENSTEIN Underrättelſer om Barm Sjukdomar och deras Bote-Medel etc. 511

XXII. HIRSCH Paris quinti neruorum encephali diſquiſitio anatomica cet. 530

XXIII. AB HOUMBOURG Diſſ. ergo haemorrhoidi recenter tumidae ſectio, non hirudo 531

XXIV. Dei Moti dell' Iride 532

XXV. ZAUSCHNER de elementis et viribus medicis trium aquarum mineralium Teplenſium 536

XXVI. KÖLPIN Commentatio phyſico-botanica de ſtylo eiusque differentiis externis 543

XXVII. Noua phyſico-medica 545

XXVIII. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1764 prodierunt 563

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XIV. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXVIII.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences, Année 1760. Avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique etc. à Paris, de l'Imprimerie Royale, 1766. pag. 212 Hiſt. pag. 476 Comment. 18 tab.

i. e.

Academiae regiae ſcientiarum Pariſinae hiſtoria, et Commentarii Mathematici ac Phyſici, ad annum 1760.

Inter *obſeruationes*, *ad phyſicam generalem ſpectantes*, primo loco occurrunt aliquot obſeruationes, ex epiſtolis Cl. DE LA NUX, in *Bourbonnia* inſula degentis, excerptae, quibus perhibet, p. 16.
boues Indicos gibberos (*Bizons*) eiusdem cum noſtris bobus ſpeciei eſſe, contra autem anates noſtras domeſticas, et Indicas, ſpecie differre; gigni nonnunquam ab Aethiopibus in diuerſis climatibus, qui neque ad Aethiopes, neque ad albos referri queunt, cuticula maculis badii coloris conſperſa; ventos conſtantes, qui vulgo dicuntur in Oceano, qua Africam et Aſiam alluit, per ſex menſes regnare, neuti-

quam eſſe conſtantes, ſed ſaepe ter quaterue in menſe mutari; ventum in praedicta inſula interdiu flare ex plaga oppoſita illi, vnde noctu ſpiret, et ſimiliter vndas maris in his regionibus meatus reciprocantes habere.

2. Aquas Sequanae principio huius anni ab altitudine trium pedum ad plus, quam viginti pedum altitudinem intra 14 dies creuiſſe, memoriae proditur.

p. 20. 3. Fontes, quorum aquae incruſtandis corporibus ſolidis aptae ſint, non eſſe tam raros in Gallia, quam hactenus creditum fuerit, Cl. DEPARCIEUX exemplis docuit.

p. 21. 4. MUSSCHENBROEKIUS ſcripſit Cl. NOLLETO, narratum ſibi eſſe, in *Carabania* Americae reperiri piſcem fluuiatilem de genere gymnotorum, a quo illi, qui manus verſus eum ſub aqua extendant, vel baculo eum tangant, percuſſionem electricam ſatis vehementem patiantur. Sed monet Hiſtoriographus Academiae, non deficere graues rationes, de veritate huius narrationis dubitandi, et videri piſcem hunc eundem eſſe, atque illum, cuius iam mentionem fecerit RICHER (in itineris in Cayennam deſcriptione), et qui hominis, a quo attactus eſt, manum brachiumque ſtupore quidem afficiat, ſed nulli vi electricae tribuendo.

p. 23. 5. De terribili tremore terrae, qui anno 1759 Syriam, Phoeniciam et Palaeſtinam per plus quam quadraginta dies afflixit, quaedam narrantur.

6. Sub ſolo montis Peſſulani in ſtrato argillaceo venas natiui hydrargyri eſſe, Cl. SAUVAGES obſeruationes comprobarunt.

7. Narratur, quomodo Petropoli quidam Academiae Imperialis ſodales hydrargyrum congelari poſſe inuenerint.

Obſer-

Obſeruationes anatomicae. 1. In cadauere viri, 51 annos nati, repertum eſt, inter os pubis et veſicam corpus quaſi oſſeum, pendens vncias 20, inuolutum tenuiſſima membrana, quae meſenterio alligata erat per interiectum corpus ſpiſſum, glanduloſum, coniforme, cuius apex ſuperiori iſtius oſſei corporis parti excauatae erat inſertus. Ceterum hoc corpus liberum pendebat; durius etiam et denſius erat aliis oſſibus. Effecerat, vt vir ille inde ab anno aetatis quinquageſimo retentione vrinae laboraret, quam paulliſper pronus in dextrum latus cubans, ſuperare ſolebat. Medicus, qui hanc obſeruationem cum Academia communicauit, omiſit, in naturam huius corporis oſſei paullo curioſius inquirere, quod omittere non debebat. p. 44.

2. Viri robuſti et pinguis, hydrope pectoris mortui, cor repertum eſt, extrinſecus ſubſtantia celluloſa, goſſypium referente, tectum, et intrinſecus pinguedine alba et denſa veſtitum.

3. In mala ſiniſtra infantis, annum nati, tumor fuit, qui paullatim ab aure vsque ad angulum labiorum creuerat, mollis, albus, non doloroſus, mobilis, et tanquam e granis glanduloſis compoſitus, in cuius ſuperficie hic illic vaſa ſanguifera repere ſpirarum in modum viſa ſunt. Nil aliud fuiſſe hunc tumorem, quam parotidem, quae ſanguinis copia, quam arteriae ampliores, e carotidibus et maxillaribus externis, partem illius inferiorem intrantes, aduexerant, tantopere, vt veriſimile eſt, extenſa fuerat, poſt mortem infantis, aliis quidem cauſſis debitam, compertum eſt. Quod ſi antea conſtitiſſet, potuiſſet forſan incremento vitii, compreſſione paullatim augenda, reſiſti. Sed plerique de hoc tumore conſulti, multas diuerſas eius cauſſas ſuſpicati, et hinc multa remedia fruſtra adhibita ſunt. p. 46.

4. Foetus generis feminini, qui vtraque clauicula, ſterno, et cartilaginibus, quae coſtis adiunctae eſſe ſolent, carebat, legitimo tempore in lucem editus, et, octo demum horis a partu elapſis, mortuus eſt. Syſtole et diaſtole cordis huius infantis quum manifeſto apparerent, obſeruatum eſt, corde tacto, motus eius viuaciores reddi, contra quorundam opinionem, huic organo ſenſibilitatem negantium.

5. Vir quidam dolorem queſtus erat ad ſpinam dorſi perpetuum, modo leniorem, modo fortiorem; cauſſa rheumatiſmo attributa fuit. Sed poſt obitum viri, hoc dolore oppreſſi, inuenta eſt vera eius cauſſa, aneuryſma aortae, inter capita inferioris muſculi diaphragmatis ſitum, et duabus imis vertebris dorſi, primisque tribus lumborum adhaerens, magnitudine capitis infantis recens nati. Ventriculus hoc tumore in hypochondria laeua propulſus erat, et diaphragma conuexius redditum, et adhaeſione tumoris ad diaphragma in loco, vbi oeſophagus tranſit, effecta erat conſtrictio oeſophagi atque inflammatio.

p. 51. 6. Felis, cui os femoris dextrum lapſu fractum fuit, poſtquam eam fracturam ſola natura ſanarat, ita claudicauit, vt os illud flecteretur, dum ipſi animal in inceſſu inniteretur. Quod animaduertens Cl. TENON, ſtatim coniectabat, naturam inter partes fracti oſſis pro callo articulum quendam formaſſe ſingularem. Poſt annum, mortua fele, quum iſtud eius femur cultro anatomico ſubiiceret, vidit, ſe bene conieciſſe. Namque ex loco interioris lateris partis inferioris fracti oſſis, pollicem diſtanti a condylo, enata erat apophyſis magna, quae ſemet incuruans, antrorſum verſus extremitatem partis ſuperioris aſcendebat, et in magnam cauitatem articularem, fere oualem, deſinebat; extremitas autem partis

partis ſuperioris, quae pars inferiorem partem decuſſabat, et ante hanc ſita erat, terminata erat duabus apophyſibus, quarum altera anguloſa retrorſum, altera teres antrorſum directa erat, et a cauitate articulari apophyſis praedictae recipiebatur; totusque hic articulus cinctus erat texto albo, fibroſo, ſatis denſo, quod ex ipſa ſubſtantia vtriusque partis oſſis prouenerat. Hocce textum vice ligamenti capſularis functum erat, et ita ambas partes oſſis continuerat, vt tamen illis motus duos oppoſitos concederet. Hinc quum felis femori laeſo innitebatur, flectebatur illud paullum extrorſum et deorſum; quum autem onus ſui corporis in alterum femur reiiciebat, femur laeſum rurſus extendebatur et erigebatur.

7. Exhibentur aliquot obſeruationes de ſingulari illo oculorum morbo, quum maculae fuſcae vel nigrae ante oculos verſari, ſeu aeri quaſi innatare videntur, praeſertim vbi res, in multa luce poſitas, intuentur. Conſtat ex his, non eſſe presbytis proprium hunc morbum, quod affirmauit DE LA HIRE, qui primus de eo ſcripſiſſe dicitur, ſed neque myopes ab eo tutos eſſe. Sedem eius in humore p. 59.
aqueo eſſe, et ea quidem eius parte, quae inter corneam et vueam tunicam continentur, probabile habetur, et propterea punctione corneae, qua ille humor vitiatus educatur, hunc morbum forſitan tolli poſſe.

In claſſibus chymica et botanica nullas quidem obſeruationes nobis offert hocce volumen: ſed legitur hic elogium IACOBI BENIGNI WINSLOVII, ex quo non poſſumus, quin, quae praecipua nobis videntur, breuiter excerpamus. *Othinii* natus eſt in *Fionia*, altero aprilis die anno ſuperioris p. 288.
ſeculi vndeſeptuageſimo, patre *Petro*, qui in ea vrbe ſacra curabat, e gente nobili *Manſenia*, Suecicae originis; *Winslouius* enim primus appellatus eſt

auus *Iacobi Benigni* paternus a nomine vici cuiusdam in *Scania*, in quo ſacerdotio functus eſt. Proauus maternus STENO fuit, qui eadem ſcientia magnum ſibi nomen peperit, qua etiam WINSLOVIUS ipſe maxime inclaruit. Cuius ſcientiae occultum amorem, a natura animo eius ingenitum, quum aliquando excitaſſet amicus medicinae ſtudioſus, non prius quieuit, quam patrem exoraſſet, vt ſibi permitteret medicinae ſeſe dare, relicto theologiae ſtudio, in quo iam eos fecerat progreſſus, vt muneri publico ſacro proxime admotum iri, ſpem haberent parentes certiſſimam. *Hafniae* in *Collegio Borrichiano* noui ſtudii initium fecit; anno autem elapſo, in exteras regiones, augendae ſcientiae cauſſa, iter ſuſcepit, regis Daniae munificentia adiutus. Primum in *Belgium* contendit; hinc anno ſequenti *Lutetiam Pariſiorum* petiit, vbi accidit, anno ſuperioris ſeculi vltimo, vt, lectis BOSSUETI ſcriptis, et inprimis *expoſitione doctrinae eccleſiae*, dubitare de veritate doctrinae Lutheranorum inciperet, et deinceps, in colloquiis cum hoc Epiſcopo habitis de falſitate huius doctrinae perſuaſus, Pontificiam religionem ſuam faceret. Qua profeſſionis commutatione facta, quum nulla amplius vitae ſubſidia ex patria ipſi venirent, incertus conſilii fuit, vtrum medicinae ſtudio porro incumberet, an ad theologiam rediret, et ſe in monaſterium abſconderet. Manſit tamen in iſto ſtudio, *Patris* cuiusdam *Oratorii*, cui ingenium ſuum explorandum tradiderat, conſilium ſecutus, vtique prudentiſſimum. In quo propoſito ipſum etiam adiuuit BOSSUETUS, cuius liberalitate hactenus ſuſtentatus erat, commendans illum TOURNEFORTIO et DODARTO. Quum autem ille patronus, anno 1704, morte eſſet ipſi ereptus, res ſuas in ſummis anguſtiis vidit. In eo erat, vt facultatem exercendi medicinam adipiſci

neceſſe

neceſſe haberet, neque tamen par erat tolerandis ſumtibus, qui ipſi eam in rem faciendi reſtabant. Cepit tunc id conſilii, vt ab ordine medicorum, oratione ad illum habita, gratuito ad examen pro praxi admitti peteret; quem permouit hac oratione, vt illos ipſi ſumtus remitteret. Et ſimile etiam poſthac argumentum fauoris idem ordo ſponte ipſi exhibuit, iuribus Doctoris Regentis, quae poſt duodecimum annum petiit, gratis in ipſum conferendis; quae res ſine exemplo fuit. In curſu ſtudiorum ſuorum WINSLOVIUS per doctiſſimum DU VERNEY in arte anatomica tantum profecerat, vt iam anno 1707 Academia Scientiarum eum haberet dignum, quem inter ſuos reciperet. Multas inde ab eo tempore egregias commentationes in conuentibus Academiae praelegit, quas Academia in commentariis ſuis edidit; inter quas plurimae ſunt, quae nouas obſeruationes anatomicas exhibent, aut communes anatomicorum errores indicant et corrigunt. Cordis enim ſtructuram rectius deſcripſit, meliorem rationem, anatomen cordis inſtituendi, docuit, verum huius viſceris, nec non ventriculi, ſitum naturalem oſtendit, vſum cartilaginum ſemilunarium in genibus propoſuit, muſculorum potentiam et functiones, parum ante eum cognitas, luculenter demonſtrauit, vt alia taceamus. Anno 1732 in lucem emiſit notum et iuſtis laudibus celebratum opus, in quo corporis humani anatomen expoſuit. Poſthaec ſcholia nonnulla in BORELLI librum ſecundum de motu animalium in commentariis Academiae praedictae propoſuit; cauſſam inuoluntariae capitis contorſionis, eiusque medelam expoſuit; rationes, cur ambabus manibus, vel ambobus pedibus, motus quosdam facile, alios difficulter efficere queamus, ex ſtructura neruorum reddidit; et in commoda thoracum balaenato-

rum docuit. De pluribus aliis rebus, quas animo agitauerat, ſcribere impeditus eſt, partim controuerſiis quibusdam, partim laboribus, quos publica munera ipſi imponebant. Controuerſias enim habuit primum cum LEMERIO ſuper origine monſtrorum, quam hic in coaleſcentia duorum germinum, ipſe in primitiua conformatione monſtroſa vnius germinis, quaerebat; deinde cum MONROO, et denique cum Cl. FERRENIO. Multas autem ipſi occupationes dedit quum officium Doctoris Regentis in Facultate Medica, tum munus publici Profeſſoris Anatomiae in horto regio, quod anno 1743 nactus erat, tum medicinae praxis, in qua aeque aſſiduus, atque in ceteris officiis fuit. Summa in eo fuit modeſtia, et ſemper credidit, plus ſibi eſſe honorum et fortunarum, quam meritus ſit. Hinc titulos illos honoris, quos ambire nunc hominum litteratorum mos eſt, nunquam affectauit; quod enim in numero fuit ſodalium Academiae regiae Berolinenſis, eum ipſi honorem haec Academia vltro detulit. Et quum eius amici, ipſo inſcio, obtinuerant, vt ſalarium eius a rege augeretur, ipſe hanc eorum operam et ſtudium irritum fecit, quia non potuit perſuaderi, vt id augmentum peteret. Sed hoc vitii in eo eſt deprehenſum, quod nimis facilem ſe aliis praebere ſueuit, ad eorum ſententiam amplectendam. Quamobrem, qui eum norant, vt ex eius doctrina et experientia, quantum poſſent, fructum ſibi caperent, cauere ſolebant, ne poſt alios ſententiam ſuam de aliqua re diceret. Cui eidem vitio, vt nobis quidem videtur, recte attribuas, quod, Lutheranorum coetu relicto, ad Pontificios tranſiit. Etſi conſtitutione corporis infirma vtebatur, temperantia tamen vitam ad inſolitam ſenectutem protraxit. Maraſmo ſenili conſumtus obiit die

3 octo-

3 octobris anno huius ſeculi ſexageſimi, anno aetatis vno ſupra nonageſimum exacto.

Progredimur ad *commentarios*, quos hoc volumen continet.

I. *Tentamen nouae rationis numerum hominum, qui morbo variolarum pereunt, et vtilitatem inſitionis variolarum, aeſtimandi*, auctore DANIELE BERNOULLIO. Agitatam noſtra aetate magno cum motu animorum quaeſtionem de vtilitate inſitionis variolarum Vir Cl. multa arte ad calculos vocauit, p. 44. conſtruxitque duas tabulas, per quas colligere licet, quanta probabiliter ſit generis humani iactura, ob morbum variolarum, et quantum ea iactura imminuatur, ſi hunc morbum prorſus e natura ſublatum fingas. Praeterea oſtendit prima tabula, quot e numero certo hominum, qui vno die omnes naſci ponuntur, per 24 annos, quotannis morbo variolarum tollantur, quotque eorum aliis morbis quotannis perimantur; item, quot ex certo illo numero quotannis in morbum variolarum incidant. Omnia confectaria, quae Auctor ex ſuis numeris ducit, magnam vtilitatem inſitionis variolarum ob oculos ponunt, ſiquidem experientia docuit, eos, quibus variolae non incaute fuerunt inſitae, fere omnes conualuiſſe, nullumque illorum poſtea naturalibus variolis eſſe infectum. Inter principia, quae Vir Cl. ad ineundos calculos ſumſit, haec duo ſunt; ſenibus, qui huius morbi adhuc expertes fuerint, aeque eum timendum eſſe, ac iuuenibus; et par eſſe ab eo mortis periculum, in quotocunque aetatis anno aliquis in illum incidat. Quae principia licet experientiae ſatis conformia eſſe exiſtimet, tamen non diſſimulat, ea certiora reddi potuiſſe, ſi in natorum mortuorumque indicibus aetatis annus, quo quis-

quisque morbo variolarum periit, ſemper annota-
p. 9. tus fuiſſet; hincque medicos clinicos hortatur, vt impoſterum aegrorum, quos in hoc morbo tractabunt, aetatem, morbique felicem aut letalem exitum ſibi notent, et hos catalogos ad Decanos Facultatum Medicarum mittant, qui eorum edendorum curam gerant. Ceterum quia, ſecundum ipſius calculos, totius numeri, quem ex certa multitudine ſimul natorum hominum variolae rapiunt, non
p. 34. niſi dimidium poſt quintum annum ſupereſt, ſuadet, vt inſitio variolarum quantocius adminiſtretur infantibus, poſtquam de gremio nutriculae fuerint abſtracti; niſi forſan experientia docuerit, infantes in primo aetatis anno rarius infici variolis, aut aliud quid obſtet.

2. *Commentatio de diametro apparente ſolis, eiusque vera magnitudine. Auctore* DE LA LANDE.

3. *Obſeruationes cometae, qui anno* 1759 *apparuit. Auctore Abb.* DE LA CAILLE.

4. *Obſeruata quaedam occaſione incendii, fulmine excitati, in templo Abbatiae Regii Montis, et Hameti in aede Virginis. Auctore* TILLET. Duo obſeruata ſunt memoria digna. Alterum rapidus motus, quo ignis, qui in templo *Regii montis* (*Royaumont*) ſub cruce turris ortus erat, et in faſtigio turris per tres horas quaſi haeſerat, deinceps, quum contignationem, campanas portantem, attigiſſet, totum aedis culmen corripuit. Quod idem quum etiam in incendio templi *Hametenſis* eadem nocte, et olim in
p. 68. incendio templi cathedralis *Trecarum* obſeruatum ſit, veriſimile putat Auctor, ſpatium culminis multam continuiſſe materiam fulminis, nondum incenſam, quam deinceps contactus ignis ſubito inflammaue-

mauerit; quod ſi verum ſit, non ſine ſummo periculo licebit in locum clauſum, fulmine ſine incendio tactum, lucernam portare. Alterum, quod obſeruatione dignum deprehenſum eſt, fuit hoc, quod plurimae tegulae in tecto templi Regii Montis, ex ardeſia factae, a vehementiore ignis actione intumuerant ad ſextuplum priſtinae craſſitiei, poroſaeque erant redditae et tam leues, vt in aqua natarent. Ex qua harum tegularum ſimilitudine cum pumice, quem e viſceribus igniuomorum montium eiici conſtat, colligit Cl. TILLET, hunc etiam lapidem in ſtatu primitiuo alias habuiſſe qualitates, et ex lamellis etiam fuiſſe compoſitum, leuitatemque ſuam certo gradui ignis debere. Nam maiori ignis vi tegulas illas aeque, ac pumicem fundi poſſe comperit. Ceterum non omnem ardeſiam ignis actione intumeſcere, tegulae ex tecti templi *Hametenſis* ruina deſumtae, et recentis ardeſiae fruſta *Hameto* miſſa, ipſum docuerunt, quae ſine intumeſcentia fundere potuit.

5. *De parallaxi ſolis definita per ſimultaneas obſeruationes martis et veneris, in Europa et in Promontorio Bonae Spei habitis anno* 1751. *Auctore* Abb. DE LA CAILLE.

6. *Obſeruationes cometae, qui menſe ianuario* 1760 *in conſtellatione orionis apparuit. Auctore* DE THURY.

7. *Obſeruationes et theoria cometae, qui* 1760 *menſe ianuario in conſtellatione orionis apparuit, vna cum animaduerſionibus circa apparentem celeritatem cometarum. Auctore* DE LA CAILLE.

8. *Mars,*

8. *Mars, ſoli oppoſitus, obſeruatus d. 7 martii an. 1760. Lutetiae a* DE LA LANDE.

p. 114. 9. *Commentarius de analogia inter corallia et tu-
bulos marinos, qui vermiculares dici ſolent, nec non
inter hos tubulos ac conchylia* *). *Auctore* GUET-
TARD. Initio huius commentarii Auctor repre-
hendit Cl. ELLIS, quod in introductione in librum
ſuum de corallinis ita ſe geſſerit, quaſi nihil ſibi eo-
p. 115. rum innotuiſſet, quae antea in Gallia circa corallia
fuerant obſeruata. Deinde de nominibus, quae
quibusdam ſpeciebus tubulorum vermicularium a
nonnullis ſcriptoribus impoſita ſunt, diſputat, et
totam claſſem horum tubulorum in plures ordines
diuidit, ex quibus ſingulis ſingularia quaedam exem-
pla per icones, aeri eleganter inciſas, repraeſentat.
p. 117. Tubuli primum vniuerſim, aut ſimplices ſunt, aut
ramoſi. Deinde ſimplices, vel recti ſunt, vel con-
torti. Simplices porro vel cylindricam figuram
(aut paene cylindricam) habent, vel conicam. Hos
Auctor *dentalia*, illos *anthalia* appellat cum POME-
TO. Denique contorti, vel ſimpliciter circa ſuum
quisque axem magis minusue ſe torquent, vel plu-
res circa ſe inuicem contorti ſunt. Omnium au-
tem harum ſpecierum tubuli, aut ſolitarii reperiun-
tur, aut aggregati. Quibus praemiſſis, Vir Cl.
propius accedit ad ſcopum ſuum, qui hic eſt, vt
oſtendat tubulos eſſe genus medium, per quod na-
tura a genere coralliorum, madreporarum etc. gra-
dum faciat ad genus conchyliorum. Quod ad ex-
ternam formam attinet, vix negari poteſt magna ſi-
militudo tubulorum cum conchyliis; et ad analo-
giam inter tubulos et corallia, corallinas, madreporas
euincendam, Auctor argumenta non leuia propoſuit.
Sed

*) lectus d. 29 Mart. 1760.

Sed quod attinet animantium ſimilitudinem, quae hinc tubulos, hinc corpora illa marina habitant, difficilior videtur quaeſtio. Certe, quae in tubulis vermicularibus reperiuntur, teſtis ſuis incluſa ſunt; ea autem, quae corallia et madreporas habitant; extrinſecus in papillis illius quaſi membranae, qua haec corpora teguntur, deprehendi conſtat. Veruntamen, Cl. Auctor monet, quum quidam vermes, qui ſuos ſibi tubos conſtruunt, criſtas habeant, vti polypi criſtati, alii autem alias partes, criſtarum vice fungentes, et corpore carneo, ac facultate ſeſe extendendi, vel contrahendi, omnes ad polyporum naturam proxime accedant; polypis autem haud dubiam cum coralliis et madreporis coniunctionem eſſe conſtet: analogiam, quae tubulos vermiculares et corpora haec marina intercedit, non carere veriſimilitudine, licet ob defectum obſeruationum nondum poſſit ſtricte demonſtrari.

10. *Obſeruationes et theoria cometae, qui menſibus februario et martio anni* 1760 *in conſtellatione leonis apparuit.* *Auctore* Abb. DE LA CAILLE.

11. *Elementa theoriae cometae, in leone obſeruati.* *Auctore* PINGRÉ.

12. *Obſeruatio eclipſis ſolis die* 13 *iunii anni* 1760. *Lutetiae habita a* DE CHABERT.

13. *Obſeruationes cometae; qui in orione apparuit, habitae in obſeruatorio regio d.* 8 *ianuarii anni* 1760. *a* MARALDI.

14. *Aſtronomicae obſeruationes anni* 1756, 1757 *et* 1758 *Bidiſci peractae, ab* Abb. CHAPPE D'AUTEROCHE.

15. Ob-

15. *Obſeruatio eclipſis ſolis habita in obſeruatorio regio d.* 13 *iunii an.* 1760. *a* MARALDI.

16. *Commentarius de theoria duorum cometarum, initio huius anni* 1760. *obſeruatorum. Auctore* Abb. CHAPPE D'AUTEROCHE.

17. *Nouae ſolutiones problematum quorundam, ad diſciplinam naualem pertinentium. Auctore* CLAIRAUT.

18. *Diſſertatio de cometa anno* 1264 *viſo, eiusque theoria. Auctore* PINGRÉ.

19. *Obſeruatio eclipſis lunae d.* 22 *nouemb. an.* 1760. *Auctore* CASSINI DE THURY.

p. 209. 20. *Commentatio de oſſibus foſſilibus d.* 28 *ianuarii an.* 1760 *prope aquas ſextias repertis* *). *Auctore* GUETTARD. Quum primum haec oſſa reperta eſſent, fama erat, permulta eorum eſſe humana, et inter haec integra capita humana, in quibus oculi, nares, labia, mentum, diſtincte cerni poſſint. Sed Cl. Auctor reputans ſecum, oſſa illa in rupe ex marmore duriſſimo, tunc primum vi pulueris pyrii diffracta, fuiſſe reperta, vna cum dentibus, qui humanis minime ſimiles eſſent, neque credibile eſſe, muſculos faciei ſub aqua tam diu integros perſtitiſſe, donec materia lapideſcens ſuper illis, tanquam formis, ſeſe figurauerit, fidem iſti famae habere non potuit. Operam igitur dedit, vt illorum oſſium copia ſibi fieret. Nactus deinde complura, intellexit, eos, qui iſtam famam ſparſerant, phantaſia deceptos fuiſſe; et eas inprimis maſſas, quas illi pro

*) lecta d. 22. Mart. 1760.

pro capitibus humanis venditauerant, nullo iure hoc nomen occupare potuiſſe. Ipſi autem hae p. 217. maſſae, quarum aliquam icone hic repraeſentauit, ex nautilis petrefactione ortae eſſe videntur, et cetera etiam oſſa, habita pro humanis, ad beſtias marinas pertinuiſſe.

21. *Obſeruatio eclipſis lunae d. 23 nouemb. an. 1760 in obſeruatorio regio facta a* DE THURY.

22. *Tertius commentarius de oſſium exfoliatione, Auctore* TENON *). In hocce commentario Vir Cl. operam impendit decidendae quaeſtioni, an et ſub quibus conditionibus methodus BELLOSTII in curatione vulnerum recentium, quibus cranium nudatum eſt, probanda ſit. Quo conſilio crania p. 225. duorum canum circa ſuturam ſagittalem denudauit, et in vtroque oſſa ex vno latere ſuturae perforauit, non autem ex altero, et deinceps vulnus totum, impoſito vni cranio remedio humectante, alteri vnguento baſilico, deligauit, ac, quae ſingulis diebus in his vulneribus euenerant mutationes, annotauit. Quae obſeruationes ipſum edocuerunt, per- p. 233. forationem oſſis, iunctam vſui medicamentorum humectantium vel balſamicorum, vtique huiusmodi vulnerum curationem accelerare plerumque. Semper enim id fieri, non perſuaſerunt Viro Cl. haec experimenta, quippe conſideranti, fieri poſſe, vt in tenera aetate, in qua oſſa minus dura ſunt, ideoque ſubſtantia ſpongioſa, ſeu parenchymatoſa oſſium minus referta eſt materie cretacea, quam in adulta, haec ſubſtantia ſit ad emittenda tubercula illa rubicunda, quorum extenſione ſanatio vulneris perficitur, aptior. Igitur catulum grandem et robuſtum eodem modo

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. XII. p. 593.

modo tractauit, quo ſupra commemoratos duos canes: viditque tubercula in foraminibus, BELLOSTII methodo factis, biduo tardius prouenire, quam in ſuperficie partium cranii denudatarum. Concludit ergo, inutilem eſſe BELLOSTII methodum in adoleſcentibus, vtilem vero in adultis et ſenibus, quibus oſſa duriora ſunt; ſed ſimul bene monet, in hac propoſitionis limitatione non tam aetatem vulnerati, quam duritiem et craſſitiem cranii eſſe ſpectandam. Reperiuntur enim nonnunquam oſſa adoleſcentium aeque craſſa et dura, atque adultorum; et rurſus ſenes dantur, quibus ne-
p. 236. que dura, neque craſſa ſunt crania. Quae res, iuncta periculo, quod a perterebrata vtraque oſſis caluariae tabula timendum eſt, efficit, vt *Belloſtiana* methodus ſuaderi non debeat, antequam de oſſis cranii duritie et craſſitie certus ſis. Quare quum permagni referat, ſigna habere certa, quibus nimis tenues partes oſſis noſci queant, Cl. Auctor his ſignis tradendis huic commentario colophonem imponit. Sunt ea fere haec: Superficies oſſis in ea regione, vbi nimis tenue eſt, depreſſa eſt extrinſecus; color ibi eſt fuſcus, in circumferentia autem albus; et quum os in ea regione inſtrumento ferreo vel argenteo percutitur, ſonum debiliorem atque obſcuriorem edit.

23. *Inueſtigatio parallaxis lunae. Auctore* DE THURY.

24. *Obſeruatio de morbo frumenti Turcici, Mais*
p. 256. *dicti. Auctore* TILLET. Morbus ille ſe prodit, extuberatione nata, in aliqua partae plantae, plerumque in ſpica. Adiacentes partes maceſcunt, atque interdum areſcunt. Ipſum autem tuber eſt initio album, carnoſum, firmiter adhaerens; tractu temporis

poris fit ſpongioſum, et manu preſſum, liquorem fundit limpidum et foetidum, tandem totum conuertitur in puluerem nigrum et ſimilem illi, quem lycoperdon emittit. Ex quo apparet, morbum hunc conſiſtere in nimio affluxu ſucci ad vnius partis plantae vtriculos ſeu textum cellulare. Multum differre eum a vulgari aliorum ſatorum morbo, rubigine, Cl. Auctor ſibi perſuaſit. Cauſſae huius morbi reperiundae multum impendit operae, ſed hactenus fruſtra; id tamen ſe experimentis didiciſ- p. 260. ſe ait, non eſſe contagioſum, neque nigro iſto puluere conſperſa grana morbidos culmos ferre.

25. *Eclipſis ſolis d.* 13 *iunii an.* 1760 *obſeruata a* LE MONNIER.

26. *De applicatione equorum ad trahenda onera. Auctore* DEPARCIEUX. Hoc praecipue hic oſtenditur, equum maiore vi trahendi pollere, ſi funes, ad ipſum alligati, non ſint horizontales, ſed deorſum inclinati.

27. *De natura baſis aluminis commentatio. Auctore* BARON. Vir Cl. repetens Cl. MARGRAFII experimenta circa baſin aluminis, deprehendit cum ipſo, ab hac terra, cum nitro vel ſale marino combinata, acidum expelli. Quod quum eſſet p. 276. miratus, quia hanc terram, eodem modo, quo Cl. MARGRAFIVS vſus erat, edulcatam, omnino puram acidi vitriolici crediderat, coepit dubitare, an ea reuera omni acido vitriolico priuata fuerit; et poſthac, quum aliquam eiusdem terrae portionem, cum aequali portione pulueris carbonum mixtam, igni expoſuiſſet, ex odore hepatis ſulphuris oborto intellexit, vtique id eſſe, quod ſuſpicatus erat. Certus igitur non poſſe vulgari modo obtineri baſin

aluminis, omnis acidi vitriolici puram, alium mo-
p. 277. dum excogitauit, qui ſic ſe habet. Baſis aluminis,
per alcali fixum praecipitata, et conſueta methodo
edulcata, per horam coquitur in lixiuio forti cine-
rum clauellatorum; deinde, quae in hoc liquore
quieſcente praecipitatur terra, poſtquam multa aqua
eluta eſt, rurſus coquitur in aqua pura; hic liquor
turbidus adhuc et feruidus percolatur, vt alcali fi-
xum, in illo ſedimine forſan reſiduum, inde abſtra-
hatur; tandem quod in percolato liquore fundum
petiit, exſiccatur, quo facto habetur maſſa candida,
quae in puluerem ſubtilem in mortario marmoreo
redigenda eſt. Hac ratione impetrauit Cl. Auctor
baſin aluminis tam puram, vt mixta cum nitro, aut
ſale marino, neutrius compoſitionem in igne deſtru-
p. 279. xerit, neque adeo mutauerit. Quod autem ad na-
turam huius terrae attinet, quae hactenus pro cal-
caria ſeu cretacea habita eſt, coniicit Vir Cl. eam
eſſe metallicam; tum, quia nullam haec baſis alumi-
nis proprietatem cum aliis terris habet communem,
cum metallicis autem in hoc conuenit, quod acidis
iuncta, ſaporem adſtringentem vitriolicum adipiſca-
tur; tum, quod ſpiritus vini (vt nuper Auctor expe-
rientia didicit) ſuper alumine regenerato digeſtus,
flamma viridi ardet, quae ſalis ſedatiui proprietas
p. 281. eſt. Quin baſin huius ſalis forſitan eandem eſſe, at-
que baſin aluminis exiſtimet, e noua obſeruatione
id coniiciens. Videlicet crucibulo ignito iniecerat
aequales partes boracis et nitri depurati, atque in-
tumeſcenti mixto adiecerat puluerem carbonum re-
petitis vicibus, donec fulgurationes ceſſaſſent, et
ignem ſat viuidum deinceps diu aluerat; denique,
extincto igne et frigefacto crucibulo, maſſam in eo
inuenerat duram, e ſtratis dilute coeruleis compo-
ſitam, ſapore valde ſtyptico praeditam. Maſſam
hanc quum aqua ſoluiſſet, praecipitauit ſe materia
carbo-

carbonacea, cui admiſta fuit magna copia terrae albae, inter digitos friabilis, et prorſus inſipidae; huic ſuperfuſo acido vitriolico, expertus eſt, magna cum efferueſcentia natum eſſe mixtum, ſaporem habens aluminis, et ex eo mixto, per multam aquam diluto, cryſtallos nactus eſt, quae non ſolum ſtyptico et aluminoſo ſapore fuerunt praeditae, ſed etiam prunae impoſitae intumuerunt more aluminis, et terram inſipidam reliquerunt. Ceterum de cryſtallorum aluminis figura, quae octaëdra dici ſolet, obſeruat Cl. BARON, occurrere quidem inter eas, quae hanc figuram habeant, ſed eam imperfe- p. 278.
ctae cryſtalliſationi deberi, perfectis autem cryſtallis aluminis propriam eſſe figuram polyedri, quatuordecim lateribus planis terminati, quorum duo, oppoſita et parallela, ſint hexagona ordinata, reliqua triangula aequilatera.

28. *De relatione ſummae ſeriei infinitae, cuius termini numeratorem habent eundem, et pro denominatoribus numeros naturales, aut horum quaslibet potentias, ad ſummas partialium ſerierum, quae ex illa deriuantur, ſumendo illius ſeriei terminos ſecundum, quartum, ſextum etc. in infinitum, aut tertium, ſextum, nonum etc. aut quartum, octauum, duodecimum etc. et ſic porro. Auctore* DE MAIRAN.

29. *Deſcriptio anatomica duorum ligamentorum vteri, nuper repertorum. Auctore* PETIT *). Prae- p. 288.
ter nota ligamenta vteri quatuor inuenit Vir Cl. duo, quae appellat *rotunda poſteriora.* Sunt enim, qua figuram, ſimilia rotundis ligamentis, quae ad anticam vteri partem alligata ſunt; oriuntur autem e media partis poſticae regione, latera verſus, et deſcen-

*) lecta d. 16 iul. 1760.

deſcendunt vsque ad ceruicem vteri, vbi ſeſe curuo itinere reflectunt verſus poſticam peluis minoris partem, atque inde aſcendunt rurſus, et in ſuperiore parte oſſis ſacri terminari videntur. Paullo craſſiora ſunt rotundis anterioribus, ſed minus rubicunda, et admodum pauca vaſa ſanguifera continent. Vſum eorum Cl. Auctor hunc eſſe coniectat, vt impediant, quo minus vterus initio grauidatis nimis in peluim minorem deprimatur, vtque ceruicem vteri in venere ſic figant, vt internum vteri orificium eiaculato ſemini recta obiiciatur. Id ſaltim certum eſſe, ait, renum dolores, de quibus grauidae ſub finem grauiditatis queri ſoleant, a tenſione horum ligamentorum proficiſci.

30. *Obſeruatio eclipſis ſolis d.* 13 *iunii* 1760. *Auctore* CASSINI DE THURY.

31. *Phaſes eclipſis ſolis d.* 12 *iunii* 1760. *Auctore* PINGRÉ.

32. *Inueſtigatio parallaxis martis et veneris ex obſeruationibus ſimultaneis in promontorio Bonae Spei et obſeruatorio regio Pariſienſi habitis. Auctore* CASSINI DE THURY.

33. *Eclipſis ſolis d.* 13 *iunii an.* 1760, *Lutetiae obſeruata, et hinc determinati errores tabularum, habita ratione figurae telluris verae. Auctore* DE LA LANDE.

34. *Obſeruatio eclipſis ſolis d.* 13 *iunii* 1760, *Lutetiae in obſeruatorio regio habita, ab Abb.* CHAPPE D'AUTEROCHE.

35. Com-

35. *Computatio inaequalitatum motus veneris, quae per attractionem telluris efficiuntur. Auctore* DE LA LANDE.

36. *Obſeruationes botanico-meteorologicae ad ann. 1759 etc. Auctore* DU HAMEL.

37. *Commentarius de maſſarum aurearum vel argentearum exploratione. Auctore* TILLET *). Principio confirmat Cl. Auctor, maſſae argenti puri ſemper aliquid perire, quoties operationi docimaſticae exponatur; et hanc iacturam, quamuis exiguam, maiorem tamen eſſe, vel minorem, pro gradu ignis et quantitate plumbi adiecti maiore vel minore. Cui conſequens eſſe monet, vt etiam maſſa argenti non puri in operatione docimaſtica aliquantulum argenti puri perdat. Hinc rationem repetit, cur ii, qui maſſas aureas et argenteas explorandi munus gerunt, ſaepe in aeſtimatione puritatis eiusdem maſſae argenteae diſcrepent. Cuius rei conſideratione commotus, de applicatione thermometri ad fornaculam docimaſticam cogitauit, quam hic docet. Fit ea ope normae ferreae, cuius crus vnum imponitur baſi fornicis docimaſtici, alterum, extra fornaculam ſuſtentatum, habet in ſua extremitate cauitatem, quae bulbum thermometri recipit, quod affixum eſt laminae ferreae, parieti fornaculae iunctae; huic laminae alia lamina craſſa ad angulum rectum affixa eſt, quae thermometrum a calore fornaculae defendit, ſicuti etiam pars normae, quae a prunis tangi poſſet, ſpecie capſae, ex ſimili lamina paratae, tegitur. Hocce pyrometro adhibito, ait Cl. Auctor, obtineri poſſe eundem caloris gradum diuerſo tempore, ſeque edoctum eſſe,

p. 362. p. 366.

 cente-

*) lecta d. 20 dec. 1760.

centeſimum et vigeſimum gradum in thermometro *Reaumuriano* eſſe illum, quo, ſimulatque indicauerit inſtrumentum, conueniat plumbum immitte-
p. 369. re cupellis, eoque facto, et carbonibus impleta fornacula, ſine vlteriori artificis opera perfici opus, thermometro indicante, gradum fere centeſimum trigeſimum quintum, ſiquidem duas tantum drachmas plumbi adhibuerit docimaſtes. Sub finem huius commentarii fornaculam docimaſticam Auctoris deſcriptam lector reperiet.

38. *De cometa anni* 1759, *ſeu de reditu cometae anni* 1682. *Auctore* DE L'ISLE.

39. *De multis montibus in Occitania inferiore, olim igniuomis, quorum ignis nunc extinctus eſt. Auctore* MONTET, regiae ſocietatis in monte Peſſulano ſodali. Hic inter alia nouis argumentis Cl. Auctor confirmat, ignem iſtiusmodi montium ſulphuri et ferro originem debere.

II. The

II.

The vegetable Syſtem, or the internal ſtructure and the life of Plants etc. By JOHN HILL, M. D. Vol. VII. Containing the firſt Series of the One petal'd Plants. Sold by R. Baldwin. London, 1764. fol. pl. 17. tab. aen. 60. Vol. VIII. Containing a ſecond Series of the One petal'd Plants, 1765. pl. 17. tab. aen. 60. Vol. IX. Containing a third Series of the One petal'd Plants, 1765. pl. 17. tab. aen. 60.

i. e.

Syſtema vegetabile, ſiue explicatio internae ſtructurae et vitae plantarum. Auctore IO. HILL, M. D. Vol. VII. VIII. IX.

Pergit pro eo, quod iam alibi probauimus adhibuiſſe Cl. Auctorem, ſtudio, nunc in recenſendis plantis, quibus corollae datae ſunt monopetalae, et quidem regulares, quibus demum abſolutis, ſubſequentur irregulares. Numeroſiſſimae quidem eae ſunt, ex ſuis tamen naturalibus notis facile diſtinguendae, quae etiam ſuppeditant nouos ſubdiuiſionibus faciendis characteres. Hinc illarum tres conſtituuntur tribus, in quibus corollae vel ita integrae ſunt, vt nullam diuiſionem oſtendant, vel vndulatum et integrum marginem habent, vel in lacinias abeunt. His deinde ſubiunguntur ordines, vbi opus eſt, et familiae, tanquam genera media. *Claſſis ſeptima:* Corollis monopetalis. Vol. VII. p. 5.
Tribus I. flore ſimplici, integro, plano, indiuiſo. Calyce irregulariter ſexfido, corolla ouali clauſa,

 fructu

p. 6. fructu bacca polyſperma. *Marcgrauia.* *Tribus II.*
flore plicato, margine indiuiſo. Calyce quinquifi-
do, capſula ouali, biloculari, loculo diſpermo.
p. 18. *Conuoluulus.* *Tribus III.* flore diuiſo. *Familia* 1.
corolla trifida: calyce trifido, fructu ouali, trilo-
culari. *Bromelia.* *Familia* 2. corolla quadrifida:
p. 20. *ordo* 1. corolla campaniformi: calyce quadridentato,
fructu bibaccato, ſeminibus dentatis. *Rubia; or-*
p. 21. *do* 2. *corolla plana:* calyce quadrifido, fructu bica-
pſulari, glabro, ſemine reniformi. *Gallium;* ca-
pſulis rugoſo-villoſis. *Aparine;* calyce minimo,
capſula monoſperma, rotunda, floribus hermaphro-
p. 29. ditis et maſculis mixtis. *Valantia; ordo* 3. *corolla*
tubulata: calyce breui, quadrifido, fructu bicapſu-
lari, rotundo, monoſpermo. *Aſperula;* calyce
perſiſtente, fructu bicapſulari globoſo, ſingula ſe-
men vnum habente. *Sherardia;* calyce duplici fo-
lio conſtante, fructu bicapſulari. *Crucianella;* caly-
ce quadridentato, fructu bicapſulari, conuexo pla-
no, bidentato. *Spermacoce;* calyce oblongo, fru-
p. 36. ctu biloculari, diſpermo. *Houſtonia.* *Familia* 3.
corolla quinquifida:

Series I. ſeminibus nudis: *ordo* 1. fauce nuda:
calyce monophyllo, quinquifido, ſeminibus quatuor,
apice dentatis. *Aſperugo;* calyce monophyllo, pro-
funde quinquifido, ſeminibus quatuor, in calyce
latentibus. *Echium;* calyce oblongo, cylindrico, ſe-
minibus quatuor nudis. *Pulmonaria;* calyce breui,
campanulato, ad baſin vsque quinquifido, corollae
tubo perlongo. *Pneumaria;* calyce profunde quinqui-
fido, ſegmentis acutis, corolla ventricoſa, ſemini-
bus quatuor, cortice duro obductis. *Cerinthe;* ca-
lyce oblongo, quinquifido, cauo, acuto, ſemini-
p. 44. bus quatuor duris, oualibus. *Lithoſpermum; or-*
do 2. fauce dentata: calyce quinquifido, acuto, ſe-
minibus quatuor, rotundo acuminatis, calyce aucto
com-

comprehenſis. *Symphytum;* calyce ad baſin vsque quinquifido, corolla rotata, ſeminibus quatuor rugoſis. *Borrago; ordo* 3. fauce inflexa: calyce profunde quinquifido, ſeminibus quatuor oblongis. p. 46. *Lycopſis;* calyce oblongo, cauo, quinquifido, ſeminibus quatuor aſperiuſculis. *Cynogloſſum;* calyce cylindrico, ſeminibus quatuor oblongis, obtuſis. *Anchuſa;* calyce tubuloſo, quinquifido, ſeminibus quatuor acutis. *Heliotropium;* calyce baſi ſubrotundo, ſeminibus quatuor, calyce dilatato complexis. *Myoſotis.*

Series 2. ſeminibus tectis capſula: *Ordo* 1. capſula monoſperma: calyce quinquifido, ventricoſo, capſula vno globoſo ſemine foeta. *Mirabilis;* calyce tubuloſo, oblongo, quinquedentato, capſula ouali. *Plumbago; ordo* 2. capſula polyſperma: calyce oblongo, acute quinquifido, capſula ſubrotunda. *Ipomoea;* calyce profunde quinquifido, capſula ouali, triloculari. *Polemonium.* p. 56. p. 58.

Continuatur nunc in octauo volumine plantarum harum recenſio. Sequitur enim ex plantis monopetalis regularibus, ſeminibus tectis capſula polyſperma: calyce monophyllo, germini inſidente, acute quinquifido, corollae fauce tecta ſtaminum valuis, capſula rotunda, ſemina per foramina emittente. *Campanula;* calyce monophyllo, profunde quinquifido, corolla ſtellata, capſula ſubrotunda, triloculari. *Phyteuma;* calyce monophyllo, anguſto, quinquifido, corolla infundibuliformi, capſula ventricoſa, triloculari. *Trachelium;* calyce amplo ſupra germen, monophyllo, ad baſin vsque quinquifido, corolla rotata, capſula cylindrica biloculari. *Roella;* calyce monophyllo baſi obtuſo, capſula ouali, vniloculari. *Samolus;* calyce pentaphyllo, corollae tubo amplo, capſula ouali, ſeminibus connexis foeta. *Creſſa;* calyce monophyllo, campanulato, denta-

dentato, corollae laciniis dentatis, capſula globoſa. *Coris;* calyce monophyllo, profunde quinquifido, corolla pene rotata, decem ſquamis ad baſin laciniarum, capſula ſubrotunda, diſperma. *Hydrophyllum;* calyce profunde quinquifido, corolla rotata, tuberculis ad baſin laciniarum, capſula oblonga acuminata. *Cortuſa;* calyce campanulato, monophyllo, quinquifido, capſula ouali, polyſperma. *Aretia;* calyce octophyllo, imbricato, capſula rotunda, triloculari. *Diapenſia;* calyce monophyllo, quinquifido, capſula globoſa, vniloculari. *Hottonia;* inuolucro florum vmbellato, calyce monophyllo, pentagonio, quinquifido, capſula globoſa, vniloculari. *Androſace;* inuolucro vmbellato florum calyce monophyllo, oblongo, quinquifido, capſula cylindrica, apice dehiſcente. *Primula;* calyce monophyllo, quinquifido, corolla rotata, capſula ouali, biloculari, quandoque ſucculenta. *Chironia;* calyce oblongo, quinquedentato, capſula ouali, trigona, triloculari, loculo monoſpermo. *Phlox;* calyce monophyllo, quinquifido, corolla rotata, capſula globoſa, decemualui, vniloculari. *Lyſimachia;* calyce monophyllo ſegmentis acutis, capſula rotunda, biloculari, ſuperius dehiſcente. *Verbaſcum;* calyce monophyllo, quinquifido, corolla rotata, capſula globoſa vniloculari, horizontaliter dehiſcente. *Anagallis;* calyce monophyllo, quinquifido, corolla tubuloſa, capſula ouali. *Menyanthes;* calyce ſubrotundo, corollae tubo deorſum, laciniis ſurſum ſpectantibus, fructu globoſo, baccato, vniloculari, quinquefariam dehiſcente, ſeminibus oualibus. *Cyclamen;* cuius varietates, vt ſpecies, recenſet; floribus inuolucratis, calyce monophyllo, acute quinquifido, corollae laciniis acutis, reuolutis, capſula ouali, vniloculari. *Dodecatheon;* calyce quinquifido, corolla campanulata, capſula cylindrica, ſtriata,

ſtriata, vniloculari, quinquifida. *Soldanella;* calyce ouali, quinquifido, corolla infundibiliformi, capſula ouali, biloculari. *Nicotiana*, cuius tamen ſpecies, regularibus corollis praeditae, tantum adducuntur; calyce monophyllo, campaniformi, ſtriato, quinquifido, deciduo, corolla infundibiliformi, capſula ouali, biloculari. *Datura;* calyce monophyllo, cylindrico, quinquifido, corolla infundibiliformi, quinquifida, lacinia vna maiore, capſula ouali, operculo tecta, biloculari. *Hyoſciamus;* calyce duplici, exteriore triphyllo, interiore monophyllo quinquifido, corolla intus villoſa, capſula globoſa. *Epigaea;* calyce monophyllo, quinquifido, corolla infundibiliformi, capſula biloba. *Ophiorrhiza;* calyce paruo, monophyllo, acute quinquifido, corolla infundibiliformi, tubo longo, capſula ouali, biloculari. *Xranthemum;* calyce monophyllo, quinquifido, corolla infundibiliformi, capſula duplici, biloculari. *Spigelia;* calyce monophyllo, excauato, quinquifido, corolla ad baſin integra, capſula oblonga, acuminata, vniloculari, biualui, ſeminibus duobus receptaculis adhaerentibus. *Gentiana;* calyce monophyllo, quinquifido, corolla patente, ſegmentis ad vnguem nectariferis, capſula oblonga, vniloculari. *Swertia.*

Eodem, quo in priori volumine, plantae recenſentur monopetalae regulares, et quidem iam ad eas accedit Cl. Auctor, quae ſemina, fructui ſucculento incluſa, ſeu baccas oſtendunt, paucae tantum ad priorem ordinem pertinent. Monet autem, eum ſe ordinem etiam hic elegiſſe, qui ſenſim ad cognitionis gradus deducat botanicum, hinc neglexit ſexus diuerſitatem, antherarum coalitum, corollae exortum, id, quod melius ex ipſa recenſione ſubordinationis nunc apparebit.

Ad

Ad plantas monopetalas regulares, corolla quinquifida, ſeminibus tectis capſula polyſperma adhuc refertur: calyce monophyllo, profunde quinquifido, corolla campanulata, ſtaminibus inaequalibus, capſula oblonga, ſtriata, quinqueloculari. *Oxalis;* calyce quinque dentato, capſula ouali, triloculari, loculo monoſpermo, floribus relatiuis diſtinctis. *Iatropha.*

p. 7. *Ordo* 3. flore quinquifido, fructu baccato ſimplici. *Familia* 1. fructu amplo ſucculento. In his flores maſculi et feminini diſtincti ſunt eadem ſtructura: calyce longo, quinquifido, corollae laciniis villoſis, fructu longo, triloculari. *Trichoſanthes;* calyce concauo quinquifido, corollae laciniis rugoſis, planis, fructu oblongo, triloculari, maturo, ſubito fiſſo, *Momordica;* calyce campanulato, corollae centro nectarifero, fructu triloculari. *Cucurbita;* calyce campanulato, laciniis villoſis, corollae laciniis oualibus, fructu triloculari, ſeminibus planis, inferius acuminatis. *Cucumis;* calyce campanulato, corollae laciniis oualibus, fructu ouali, ſpinuloſo. *Sicyos.*

p. 17. *Familia* 2. fructu bacca minore. Calyce campanulato, quinquifido, cui innaſcitur corolla cylindrica, fructu, bacca ouali, trifida. *Melothria;* calyce ouali, corolla cylindrica, quinquifida, ſaepe abortiens, trifida et bifida, filamentis nectariferis nouem, fructu bacca vniloculari, triſperma. *Caſſytha;* omnia eadem, bacca biloculari. *Cuſcuta;* calyce campanulato, acute quinquifido, corolla profunde ſecta, bacca glabra ouali, polyſperma. *Bryonia;* calyce pentaphyllo, longitudine corollae, corolla cylindrica, laciniis inaequalibus, bacca ouali, angulata, triloculari. *Trioſteum;* calyce concauo, anguſto, corolla vrnae ſimili, bacca rotunda. *Arbutus;* calyce anguſto, quinquifido, corolla ouali, fructu

fructu bacca, parum ſucculenta, aliquando fere ſicca, quinqueloculari, polyſperma. *Andromeda;* calyce duplici externo diphyllo, interno monophyllo, corolla ouali, apice reflexa, bacca quinqueloculari, calyce ſcilicet interius carnoſo. *Gualtiera*, (eſt *Gaultheria* LINN.); calyce campanulato, acute quinquifido, tubo corollae breui, bacca ouali, biloculari, parum ſucculenta. *Capſicum;* calyce campanulato, quinquangulo, quinquifido, bacca biloculari, polyſperma, calyce aucto contenta. *Phyſalis;* calyce, baſi ventricoſo, bacca rotunda, transuerſim ſulcata, biloculari, calyce increſcente. *Atropa;* calyce, baſi anguſto, quinquifido, corolla campaniformi, bacca ouali, vniloculari. *Mandragora;* calyce baſi rotundo, acute quinquifido, corolla cylindrica, bacca rotunda, profunde ſulcata. *Lycoperſicum;* calyce campanulato, quinquifido, corolla rotata, bacca rotunda. *Battata*, (eſt *ſolanum tuberoſum*), calyce ſimili, corolla tubo paruo inſtructa, bacca rotunda, polyſperma. *Solanum.*

Ordo 4. flore quinquifido, fructu folliculis duobus, ſiliquis ſimilibus. Calyce acute quinquifido, p. 42. baſi rotundo, tubo corollae calyce longiore, folliculis longis, acuminatis, polyſpermis. *Vinca;* calyce anguſto, profunde quinquifido, corolla rotata, glandula in centro quinquangulari, folliculis oblongis, tumidis, vnilocularibus ſeminibus pappoſis. *Periploca;* calyce anguſto, concauo, quinquifido, corollae tubo breui, cylindrico, glandula in medio fere oblonga, quinquedentata, folliculis oblongis, acuminatis, vnilocularibus. *Cynanchum;* calyce breui, conico, quinquifido, corolla rotata, glandulis in centro floris quinque, ad baſin ſtellatis, intus corniculatis, ſtaminibus tectis corpuſculo quinario ſquamoſo, folliculis campanulatis, vnilocularibus. *Aſclepias;* calyce anguſto, quinquifido, corolla

cam-

campanulata, quinque glandulis oualibus et ſetis totidem in centro floris, folliculis longis, vniualuibus, polyſpermis. *Apocynum.*

p. 52. *Ordo* 5. flore quinquifido, folliculis quatuor. Calyce anguſto, quinquifido, corolla rotata, laciniis expanſis, glandulis in centro duabus, folliculis oblongis, vnilocularibus polyſpermis. *Stapelia.*

p. 53. *Ordo* 6. flore quinquifido, capſulis ſeminalibus quinque. Calyce anguſto, acute quinquifido, laciniis conniuentibus, corolla pene pentapetala, ſquamis quinque glanduloſis in centro, capſulis oblongis, acuminatis, intus apertis, polyſpermis. *Craſſula;* calyce anguſto, profunde quinquifido, corolla campanulata, ſquamis nectariferis quinque in centro floris, capſulis oblongis, campanulatis, vniualuibus, polyſpermis. *Cotyledon.*

Etſi vero hic finiatur volumen nonum, nondum tamen omnes abſolutae ſunt plantae monopetalae, tres enim in poſterum adhuc pertractabit Cl. Auctor earundem familias, quarum corollae in ſex, ſeptem et plures partes diuiſae inueniuntur. Interim nec hic praeterire poſſumus, quin moneamus denuo, ſingulas ſpecies, quod vix inuenies alibi, ſingulari icone ſiſti, vt differentes characteres eo melius appareant. Ex his etiam pleraeque bonae ſunt, aliquae mediocres. Optaremus tamen, vt placuiſſet Cl. Auctori, notas genericas paullo ſtudioſius diſtinctiusque addere. Nihil enim de ſtaminibus et piſtillorum ſtigmatumque forma notatur, etſi hinc illincque deſcribantur, quas partes, quamuis ad ſuum ſyſtema vix neceſſarias arbitretur, in tanta luculentorum exemplorum quantitate neglexiſſe, boni hiſtorici non eſt.

Species non ſolum omnes hic recenſentur, quas Ill. LINNAEUS habet, ſed etiam nouae aliquae, vtut paucae, adiiciuntur, quas adnotaſſe non poeni-

poenitebit. Sic inter *campanulas* ſpec. 21 et 33, Vol.
quae vtraque triuiali nomine *ſaxatilis* dicitur, et VIII.
quarum priorem LINNAEUS recenſet tantum, ita p. 7. 11.
inter ſe diſcrepant, vt altera folia habeat margine
crenata, flores cum foliis alternos, petiolatos, nutantes, coeruleos, altera vero folia inuerſe ouata,
apice vndulata, margine integra, leuiter villoſa,
caulem alterne ramoſum, floribus pendulis, pallide coeruleis. *Samoli* duas ſpecies diſtinguit, ſolo p. 19.
ramorum diuiſorum numero diſcrepantes. *Primulam* p. 25.
acaulen, quam LINNAEUS pro varietate vulgaris adſumit, ob florum pedunculos ſolitarios, vt
ſingularem ſpeciem deſcribit. Ad *ſolani* ſpecies ad- Vol. IX.
ditur *mexicanum*, caule lignoſo, calyce et foliorum p. 39.
coſtis ſpinoſis, fructu magno ouali, foliis villoſis,
rugoſis, obſcure viridibus, corollis purpureis, fructu aurantii coloris, nec non aliud *trilobatum*, caule lignoſo, aculeato, foliis obtuſe trilobis, floribus faſciculatis, quod parum a *trilobato* LINN. differre videtur.

Tandem obſeruationes aliquas, paſſim inſperſas, omittere nequimus, cum in hiſtorica de plantis relatione non negligentem obſeruatorem fuiſſe Cl.
Auctorem doceant. In *cuſcuta* plantulam ſemina- Vol. IX.
lem nudam videri poſſe ſcribit, ſub forma corporis p. 18.
ſpiralis. De vſu *vuae vrſi* in calculo animaduertit, p. 22.
eum quidem egregium eſſe, neque tamen adeo efficacem et mirabilem, vt vulgo creditur, nec non plantam hanc, minus recte cognitam, in horto regio alio nomine fuiſſe educatam, florentem demum recte diiudicatam. *Andromeda poliifolia*, nomine p. 23.
theae Indicae cognita, vt remedium diaphoreticum,
in pertinaci rheumatiſmo cum aqua feruente infuſam breui reſtituit nautas et alios, docente Cl.
OGILVIO, cuius litterae hic inſeruntur. Itidem p. 25.
capſicum fruteſcens, quod piper *Cayennenſe* nominant,

p. 26. diureticum eſt, et hydropem ſanat, ſicut *alkekengi* fructus in calculo, maturus cum ſaccharo come-
p. 30. ſtus, prodeſt. *Belladonnae* vſum in cancro perſanando non omni modo commendandum eſſe iudicat, venenatam eius vim adſerens. Baccae comeſtae infantes ſane ac adultos enecant, vinum acidum aut acetum vim deleteriam eius delet. De *ſolano* adhuc notamus, Noſtrum hoc genus in tria diſtin-
Vol. xiſſe, in *lycoperſicum*, *battatam* et *ſolanum*, ſicut *pul-*
VII. *monariam*, ob diuerſam calycis longitudinem in
p. 40. *pulmonariam* et *pneumariam* diuiſerat. *Apocynum*, quod Angli *dogsbane*, ac ſi canem interficeret, nominat, potius *flybane*, ſeu muſcas occidens, vocari mauult, cum in flore eiusdem muſcae pereuntes inueniantur, ſimulque ab helleboro ſeſe paratum mel accepiſſe notat, nec odore, nec effectu moleſtum.

III.

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG, Ord. Med. in Acad. Lipſ. Decani. Methodus doctrinae medicae vniuerſae praelectionibus academicis accommodata. Lipſiae, in officina libraria Gleditſchiana, 1766. 8. pl. 14.

Inſtitutiones vniuerſae medicinae in variis libellis academicis hucusque ediderat Cl. Auctor, et ita primas lineas et theoreticarum et practicarum diſciplinarum duxerat, ſequutus normam, quam in introductione in vniuerſam medicinam phyſiologiae, anno quinquageſimo ſecundo editae, praemiſerat. Cum itaque ab eo tempore omnes doctrinae medicae partes elaboraret et in praelectionibus academicis explicaret, praeterea etiam in exercitio artis et in medi-

medicina potiſſimum facienda verſaretur, et anno ſexageſimo quinto etiam inſtitutiones medicinae forenſis, vt tertiam partem medicinae practicae ederet, de laboribus incipiendis et de vniuerſo diſciplinarum medicarum nexu denuo cogitauit. Id vero potiſſimum curae cordique habuit, vt ordinem doctrinae facilem et certum, ab hypotheſibus medicorum, quantum fieri poterat, alienum, in ipſa medicina colenda et facienda recte applicandum eligeret, quam ob rem praecipue de noua in vniuerſam medicinam introductione edenda cogitabat. Hac tamen re accuratius perpenſa, facile cognoſcebat, non tantum tirones in arte medica addiſcenda regi et iuuari debere, ſed etiam vlteriorem huius ſtudii culturam iis commendandam eſſe, qui artem, quam didicerunt, faciunt, indeque porro ad inuentionem rerum vtilium et ad doctrinam tironibus medicis inculcandam diſponuntur.

Ideam totius methodi doctrinae medicae ſequenti tabula expreſſit.

I. In addiſcenda medicina.

Cap. I. Succincta artis medicae hiſtoria traditur.

II. Definitio medicinae inde eruitur.

III. Res, in quibus medicina verſatur, generatim explicantur et tabula ſynoptica vniuerſae medicinae ſubiicitur.

IV. Diſciplinae ad medicinam pertinentes ſigillatim adumbrantur.

V. Libri, qui medicinam addiſcendam iuuant, recenſentur.

VI. De indole tironis medici diſſeritur.

II. In colenda medicina.

Cap. I. De dexteritate et officio doctoris medici agitur.

II. De medico inuentore.

Cap. III. De medico profeſſore.
IV. De medico practico ſigillatim diſſeritur.
V. De publica rei medicae cura agitur.

Quo vero totius libelli ratio melius perſpiciatur, ſingulorum capitum contenta breuiter indicabimus.

Caput primum de hiſtoria et fatis medicinae tantum ſummatim exponit, quo primum eius conditio ante et poſt tempora HIPPOCRATIS inter
p. 13. Graecos et Romanos perſpiciatur. Poſt Chriſtum natum ſcientia naturalis a PLINIO et medicamentorum recenſio a DIOSCORIDE, ex aliorum libris compilata, adumbratur, et GALENI aliorumque medicorum, qui eum ſequuti ſunt, vtiles et minus ſaepe vtiles labores indicantur. Barbaries porro in vniuerſa Europa regnans et Arabum ſtudia in medicina conſeruanda et colenda ſeculo nono diiudicantur, et ſimul medicorum barbarorum conamina in reſtituenda medicina declarantur. Progreditur tandem ad literas humaniores, ſeculo decimo quinto reſtitutas, et emolumenta, quae arti medicae inde acceſſerunt, indicantur, ſimul vero PARACELSI et chemicorum labores et in his verae medicinae impedimenta oſtenduntur. SENNERTI cura in combinandis Galenicorum et Hermeticorum ſententiis laudatur, et facies medicinae, poſt inuentam ab *Haruaeo* circulationem ſanguinis, breuiter proponitur.

p. 21. In *capite ſecundo* ex diuerſa, diuerſis temporibus, artis medicae facie definitio generalis medicinae eruitur, quod nimirum *ſit cognitio remediorum, quibus morbis medemur.* Proponitur inde diſtinctio in naturalem, ſiue empiricam et artificialem, ſiue rationalem.

nalem. Prior, ex ſola obſeruatione euentuum enata, aucta et per traditionem continuata eſt, et remedia, per mechaniſmum corporis et caſum fortuitum inuenta, complectitur; altera in cauſſas inquirit, ſanitatis et morbi phaenomena diſtinguit, inter ſe comparat et praeſidia ſanitatis conſeruandae et reſtituendae ex principiis logicis et phyſico methematicis diſtinguit et ordinat. Officium itaque medici in duas partes diuiditur, quoniam ille, vt phyſicus, in indaganda corporum natura ſollicite verſatur, vt practicus vero conſeruandae et reſtituendae ſanitatis conſilia exhibet. Ampliſſimis itaque doctrinae limitibus accommodata definitio *medicinae* oſtendit, eſſe eam *ſcientiam eorum, quae in homine fiunt.* Poteſt itaque medicina phyſica, ſeu ſcientia naturalis hominis dici, tum vero non tantum mutationes, quae per corpus humanum, in ſe conſideratum, eueniunt, ſed etiam eas, quae per corpora alia, in humanum corpus agentia, efficiuntur, conſiderat, quae res vlterius declaratur et methodus tractandi medicinam breuiter ſubnectitur. p. 23.

Caput tertium itaque ex iis rebus, quae medico ſcitu neceſſaria ſunt, colligit, quasnam doctrinas medicinae tractatio exigit, easque in tabula ſynoptica adumbrat, quae ab ea parum differt, de qua iam alia occaſione diximus *). p. 28.

Capite quarto haec tabula explicatur, vt ſumma capita, dignitas et ordo diſciplinarum medicarum inde intelligantur. Ad praemittenda generalia, quae eruditionis vniuerſae fundamenta ſiſtunt, linguarum veterum et recentiorum ſtudia, hiſtoriam, philoſophiam, matheſin et praecipue phyſicam generalem, his ſuperſtructam, refert, et porro oſtendit, tironem, ad medicinam ducendum, hiſtoriae p. 34.

 natu-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. I. p. 143.

naturalis cognitionem, eamque methodicam, habere debere, quo illa cum phyſica cognitione et ſpeciali quidem trium naturae regnorum combinari poſſit, et, vti anatome fabricam corporum, imprimis humani, declarat, ſic chemia mixtionis indagandae rationem docet. Cum autem potiſſimum de remediis morborum inueniendis inſtruendus ſit medicus, ſelectum corporum, quae ad materiam medicam ſpectant, ſibi cognitum faciat et exquiſita quaedam ſimplicia, praeparata et compoſita medicamenta examinet.
p. 46. Praemiſſis itaque his doctrinis, tiro medicus in ipſa medicina addiſcenda felicius progredi poterit. Phyſiologia eſt ſcientia eorum, quae in corpore humano ſano eueniunt. Expoſita itaque diſtinctione actionum, vulgo recepta, in vitales, animales, naturales et ſexus, ipſe diſciplinam hanc in quatuor partes diuidit, et generales functiones, quae in vniuerſo corpore eueniunt, primum, poſtea particulares, quae a prioribus diriguntur, conſiderat, et, idea hominis ſani ita delineata, in tertia parte de ſignis ſanitatis, quae in diuerſis hominibus diuerſos gradus obtinet, exponit, in quarta tandem diaeteticam ſiue praecepta de ſanitate conſeruanda ad metho-
p. 52. dum ſex rerum non naturalium ſubiungit. Pathologia differentias morbi eſſentiales et accidentales, cauſſas occaſionales, praediſponentes atque proximam, ſymptomata ad normam actionum ſanarum, in phyſiologia declaratarum, et tandem ſigna anamneſtica ex cauſſis, diagnoſtica ex ſymptomatibus coniunctis et prognoſtica ex vigore actionum vel aucto, vel perſiſtente, vel imminuto, in quarta parte proponit. Therapia generalis, quae oſtendit, quid in aegroto corpore mutandum ſit, et quibus auxiliis hoc efficiatur, indicationum rationem in vniuerſum conſiderat, et in ſequentibus partibus vitalem, prophylacticam, curatoriam et ſymptomaticam diſtinctim per-

perpendit et, praecipuis remediis commemoratis, contraindicantia vbique ſubiungit. Theoreticis his tribus medicinae partibus ſubordinantur tres practicae, clinica nimirum, chirurgia et medicina forenſis, in quibus ratio docetur, praecepta artis vniuerſalia ad ſingulos morbos applicandi, et in conſultatoria ſic dicta medicina euentus ſingulares, obſeruationibus accurate inſtitutis, definiuntur.

Caput quintum praecipuos libros, in quibus principia et fundamenta artis medicae traduntur, proponit, et bibliothecam medicam compendiariam, editionibus praeſtantiſſimis laudatis, ſiſtit. p. 60.

Caput ſextum demum de indole tironis, ad artem medicam addiſcendam admittendi, agit, et in corporis animique vires inquirit. Ratione corporis vigorem in vniuerſum exigit, cum in colenda et facienda medicina duris ſaepe laboribus ſe exercere teneatur, imbecillos itaque et viſceris labe affectos excludit: ſenſus externi non ſolum, ſed interni etiam organorum praeſtantia excitati, exercitio aequali acuantur et conſeruentur, qua in re potiſſimum non ingenii viribus permotus per obiecta externa erret, ſed etiam iudicii acumen perficere tentet. Ordo doctrinarum, qui ſuperius traditus eſt, recte obſeruetur, ne tiro in vna, vel altera parte diſciplinarum praeparantium haereat, nec nimis feſtinanter per ſcholas tranſeat, nec inſtitutionem doctoris, quam non aſſequi poteſt, contemnat, ſed vera attentione et repetitione rerum propoſitarum difficultates ſuperare conetur. p. 72.

Ad partem ſecundam poſtmodum accedit Cl. Auctor, in qua praecepta de arte colenda traduntur. *Capite primo* in dexteritatem eius, qui in ſcholis medicis recte praeparatus eſt, et facultatem artis colendae atque faciendae acquiſiuit, inquirit et p. 80.

 ita

ita Doctoris medici officium perpendit. Cognitio itaque multarum rerum medicarum in eo etiam ordinata ſit, quo concluſiones, ex variis praemiſſis propoſitionibus deductas, non ſolum colligat et ſuo modo applicet, ſed eas quoque, ſi neceſſe eſt, ex principiis deducat: quae res cum ab initio difficilis ſit exercitio perficitur. Sunt vero alii praeſtantioribus, alii moderatis animi viribus praediti, quapropter, quomodo omnes ad vltimum finem accurate ducendi ſint, in hoc capite in genere, in ſequentibus autem ſigillatim conſideratur.

p. 86. *Caput ſecundum* de inuentore medico agit, et in variis ſectionibus eius officia diſquirit, non ſolum in vniuerſum, ſed ratione hiſtoriae naturalis in mineralogia, botanica et zoologia, ratione phyſices, anatomes et chemiae et tandem de officio compilatorum differit. Nos, qui haec breuiter indicata excerpere et breuius proponere non poſſumus, ſpecimen tamen in anatomica inuentione dabimus, quam ſectione quarta diiudicatam videmus.

p. 117. Corpora naturalia in vniuerſum, inprimis vero humanum in fabrica recte diſquirendum eſt, anatome igitur ſeparatio partium ad compoſitionis rationem intelligendam dici poteſt. Haec diſquiſitio in corporibus ante obitum ſanis inſtituenda eſt, ne reſolutionis morboſae, nec raro verae putredinis veſtigia figuram, ſitum, nexum, numerum et proportionem partium vehementer turbent. Inprimis vero ad ſitum et nexum partium reſpiciendum eſt, per quorum accuratam perluſtrationem vtiliora a recentioribus anatomicis inuenta addita ſunt, quam per ſubtilium partium diſquiſitionem. Non niſi anatomici, qui ſani corporis fabricam recte cognouerunt, ad ſectiones cadauerum, morbo defunctorum, et animantium brutorum admittendi ſunt, ſi anatome practica et zootomia illuſtrare debet artem medicam.

dicam. Optimum autem eſſet, ſi verae obſeruationes in operibus compilatis colligerentur, quo norma eſſent practicorum, qui caſu ſaepe ad noua inuenienda ducuntur. In ſubſidiis fabricae corporum detegendae diſſectio praeſtantiſſimum eſt, iniectiones enim et macerationes nexum partium per contextum celluloſum valde mutant. Si multae partes coniunctae, ad vnam functionem pertinentes, diſquirendae ſunt, ſectio interdum alio, quam hactenus conſueto, ordine fiat, quo nexus ratio et reliquae corporum conditiones eo melius pateant. In microſcopicis obſeruationibus exercitati requiruntur obſeruatores, ne obſcura videndo multa ſibi fingant. Rebus nouis inuentis, noua nomina addenda ſunt, quae ex eſſentia corporum ſumantur. Etſi vero multa veterum nomina minus apta inueniantur, non temere tamen mutanda ſunt, cum nimia ſynonimorum augmenta diſcentes confundant. In iconibus efficiendis natura rei recte exprimenda eſt, hoc ſi attingi nequit, deſcriptiones accuratae praeſtantiorem et certiorem ideam excitant. Cum ex fabrica vſus partium diſquirendus ſit, hic ab anatomico non citius aſſumendus eſt, quam, illa detecta; hoc qui negligit, in ipſa diſſectione ſaepe fabricam non recte detegit, ſed fingit. Ab attenta enim phaenomenorum obſeruatione diſſector ſaepe ad accuratiores diſquiſitiones ducitur.

Caput tertium de medici profeſſoris officiis in quinque ſectionibus exponit, quarum prima de cultura ſtudii vniuerſi agit. Cl. Auctor enim ab eorum ſententia recedit, qui putant, profeſſores in ſua arte excellentes eſſe non poſſe, niſi vnam vel alteram tantum doctrinam tractent, cum hi profeſſoris et inuentoris officia confundant, is potius, qui vnam doctrinam tradit, ad principia artis non ſolum recurrere, ſed etiam ad vltimum finem reſpi- p. 131.

 cere

cere tenetur, ex qua re patet, profeſſoris officium omnino ad vniuerſae artis cognitionem ducere. Nec hiſtorica tantum cognitio ſufficit, ſed vera vbique demonſtrationis ratio exigitur, ad quam etiam hypotheſes examinandae ſunt, quo vniuerſae artis ſyſtema ſtruatur. Antequam vero hunc laborem ſuſcipit profeſſor, inuenta aliorum recte diiudicet, cuius rei ratio in altera ſectione, in tertia vero ſoler-
p. 139. tia in applicandis his inuentis deſcribitur. In quarta ſectione de ſyſtemate vniuerſae medicinae ſtabiliendo agitur, quod non, niſi ab eo effici poteſt, qui omnes diſciplinas praeparantes accurate peruеſtigauit, et in medicina ipſa docenda faciendaque occupatus eſt, quo nexum diſciplinarum in theoria et praxi cognoſcat, et tirones ſimili ratione ducat. Haec ideo doctrinae ratio ſententiis veris, non opinionibus, ſuffulta ſit. Quamquam autem non ab omnibus profeſſoribus exigitur, vt ſyſtema ipſi ſtruant, in explicando tamen ſyſtemate alius auctoris cum cura verſari debent. Etſi vero nullum ſyſtema perfectum dici poteſt, is tamen ordo doctrinarum, qui omnes corporis ſani et aegri mutationes ex principiis phyſicis, anatomicis et chemicis non ſeparatis, ſed coniunctis, declarat, et id, quod ex defectu primae cognitionis explicari nequit, per phaenomena oſtendit, eum quidem in finem, vt in applicatione ad diſciplinas practicas normam concluſionum exhibeat; verum ſyſtema eſt, quod ex diſciplinis theoreticis ad practicas ducit, nec in medicina
p. 145. facienda vſu deſtituitur. Qua autem methodo diſciplinae medicae tradendae ſint, in ſectione quinta oſtenditur. Delineationes integrarum diſciplinarum et ſingularum doctrinarum ideoque nexus rerum proponendarum exhibeatur et repetatur, definitiones reales et verbales tradantur et obſeruationibus illuſtrentur, theoremata eliciantur et in fine

animad-

animaduerſiones addantur. Explicationes autem ſuccinctae ſint et faciles, quo ideae, rebus iunctae, animo recte informentur, in ſelectis itaque propoſitionibus vis probandi oſtendatur; in controuerſis doctrinis praecipui auctores commemorentur et, vbi diſſenſus confundere poſſet diſcentes, non ſolum rationes dubitandi, ſed etiam diiudicandi fundamenta addantur; limites etiam cognitionis definiantur, nec in rebus obſcuris docens diſcentibus perſuadeat, ſe de iis conuictum eſſe, ne creduli ſaepe alumni doctrinae excellentiam, quam aſſequi non poſſunt, coeci admirentur. Id vero praecipue agant doctores, vt oratio grauitate vocis, res ordine placeant, cum etiam optima diſciplinarum fundamenta libris latinis contineantur, latino quoque ſermone exponantur.

Caput quartum de officiis medicorum practicorum in octo ſectionibus agit. In eligendo ſyſtemate praeceptoris doctrinis inhaereat, easque repetendo, rerum ordinem et nexum ſibi imprimat, et ipſe interdum breues delineationes doctrinarum efficiat, aduerſariis vbique annexis, ne meris nominibus inhaereat. Hunc in finem libros medicos conferat, quorum prudenti lectione ſcientiam augeat, et veram doctrinae methodum vbique obſeruet. His in prioribus ſectionibus explicatis, in tertia examen aegrorum, caute inſtituendum, delineat. In principio morbi et vbi ſymptomatum vehementia omnes perturbat, animos depreſſos conſilio et ſolatio erigat, vniuerſales corporis actiones, vel adhuc integras, vel maxime laeſas inprimis reſpiciat, ſumme vrgentibus effectibus occurrat, et praecipuas cauſſas et ſymptomata ſibi cognita reddat. Si morbus chronicus vel acutus etiam quandam cunctationem admittit, ſigna accuratius colligat, et ideam generalem morbi ſibi formet. Si morbus

p. 146. p. 154.

morbus latens altioris indaginis eſt, dubiam tantum prognoſin faciat; ſymptomatibus grauioribus occurrat et, quid porro inquirendum ſit, perpendat. Difficile enim in principio examen morbi, omni attentione adhibita, facilius redditur. Quibus praemiſſis, Cl. Auctor monet, quomodo alii medici, vel ordines medicorum in conſilium ducendi ſint. Sectio quarta normam praeſcribit, quomodo praecipuae res, ad morbos eorumque medelam pertinentes, conſignandae ſint, quo hiſtoriae morborum et medendi methodus melius cognoſcatur. Quoniam vero haec varietatibus climatum, tempeſtatum et vitae generis accommodanda ſunt, ſectio quinta
p. 169. de his exponit; ſectione autem ſexta de inſtruendo medicamentorum et aliorum remediorum apparatu agit, qua in re pharmacopoliorum notitiam ſibi comparet, et, cum diſpenſatoriorum ratio non vbique bene inſtituta ſit, iunior medicus cum pharmacopoeo amice agat, quo medicamenta ſelecta, quibus in praxi vtendum eſt, bona accipiat. Inprimis vero in ſimplicibus et praeparatis medicamentis ſelectum inſtituat, in principio praxeos paucis tantum vtatur, poſtea ex lectione librorum plura addat. Specifica ſic dicta, hoc eſt, ea, quae indicationi cuidam therapiae generalis praecipue ſatisfaciunt, et heroica medicamenta caute examinet, ſimilemque curam in apparatu chirurgico adornando ſeruet. Sectio ſeptima, de modo inter aegros verſandi agit, et ſpeciminis tantum loco ea monita, quae alios medicos, aegros ipſos et amicos aegrorum
p. 189. concernunt, pertractat. Sectio octaua docet, quomodo optimae obſeruationes ſeligendae et exponendae ſint, quo medicus arti reddat, quae ab ea accepit. In aegris nimirum, quorum vitae rationes bene cognoſcit et epidemicis morbis attentus ſit obſeruator et, cum haec in aduerſariis ſuis annotauerit,

uerit, crebrius accidere, et vel ſimili, vel alia ratione ab aliis practicis obſeruari percipiat, alias itaque obſeruationes certas reddit, alias falſas pronuntiat, alias limitatione circumſcribit. Inprimis vero in ſignis morborum, ex cauſſis et ſymptomatibus petendis, attente verſetur, et cum aliquo tempore in lectione librorum exercitatus ſit, ipſe difficiliorem obſeruationem in mutationibus morborum eruat, et cum priori coniungat. Quod etiam porro in ſelectu medicamentorum ex materia medica curam adhibuit, ſimili ratione, vt therapeuta, vires medicamentorum annotet, et cum aegrorum indolem atque naturam cognoſcat, laudatis auctorum remediis veras limitationes addat. Hoc autem negotium, per totum vitae practicae tempus non intermittendum, in primo praecipue decennio in ſuam tantum inſtitutionem dirigat medicus, nec tum de diuulgandis immaturis huius laboris fructibus cogitet, qui poſtea, ſi cum vlterioribus aduerſariis ſemel iterumque comparata, et in aptum ordinem redacta ſunt, publici iuris fiant. Laudantur varia huius rei ſpecimina, a veteribus aeque, ac recentioribus edita, et quomodo rariores morborum hiſtoriae concinnandae ſint, quomodo medici, phyſici et noſodochiorum publicorum curam habentes, ad hoc officium ducendi ſint, breuiter oſtenditur.

Caput quintum, quod de publica rei medicae cura agit, potiſſimum de ſummorum imperantium in iuuando ſtudio medico cura exponit. Vniuerſitates literariae ſapientiſſima ſunt principum inſtituta, in iis tamen nemo ad altiora ſtudia admittendus eſſet, niſi in principiis doctrinae ſatis confirmatus. Qui in phyſicis et reliquis doctrinis, eo pertinentibus, ſatis exercitati ſunt, ad oeconomica quoque ſtudia tranſire, et ex ea parte reipublicae vtiles eſſe poſſunt, medici vero ex praemiſſis his diſciplinis p. 196.

ſalu-

ſalubritatem prouinciarum dirigant, conſilia, de diaeta ad ſanitatem conſeruandam apta exhibeant, et poſtea ad curandos morbos ſe conuertant. Ad omnes vero hos fines aſſequendos ſumtus priuati non ſufficiunt, niſi publica inſtituta in condendis bibliothecis, hortis botanicis, theatro anatomico, et laboratorio chemico, vniuerſitates literarias illuſtres faciant, et occaſionem largiorem diſcendi concedant. Cum autem haec publica inſtituta tantum doctrinam ipſam concernant, et vlterior rerum naturae inuentio, et diiudicatio a profeſſoribus non ſatis perfici queat, ſocietates hominum eruditorum conuocandae ſunt, a quibus res dubiae vlterius enodantur, et partes doctrinarum, nondum ſatis cultae, diſquiruntur et illuſtrantur. Horum officium ex idea inuentoris diiudicandum eſt, nec ſufficit, ſi in diſſertatiunculis partes doctrinarum tangunt, ſed coniuncta opera diſciplinarum phyſico-medicarum culturam perficere, et cognitionem rerum augere tenentur. Tandem noſodochiorum publicorum ratio, et in colenda arte et in doctrina practica per inſtitutionem iuniorum medicorum et chirurgorum perficienda commendatur.

IV.

IOSEPH. IAC. PLENCK, chirurg. et art. obſtetric. Mag. Methodus noua et facilis argentum viuum aegris venerea labe infectis exhibendi, cui accedit hypotheſis noua, de actione metalli huius in vias ſaliuales. Vindobon. 1766. 8. pl. 5.

Debemus hunc tractatum colloquio Cl. MARHERR, cui et hic libellus dicatus eſt, cum Noſtro alius libri occaſione, quo mercurii ſublimati corroſiui efficaciam diſquiſiuit, inſtituto: quippe qui ex maiore mercurii cum ſaliua et muco, quam cum reliquis corporis humani humoribus, affinitate, efficaciam eius explicandam eſſe putabat. Quapropter Noſter primum cum ſaliua et muco, dein cum aliis mucilaginoſis cum animalis, tum vegetabilis regni, corporibus mercurii mixtionem tentauit. Et quidem cum *muco faucium per exſcreationem reiecto*, *cum oui vitello et albumine*, *cum ſanguine eiusque ſero*, *cum bile recente lucii piſcis*, *et cum ichtyocolla* fruſtra, ideoque colligit Cl. Auctor, mercurium multo maiore cum muco, quam cum aliis animalium fluidis gaudere affinitate atque, ſi quid inſit his, quod mercurium quodammodo ſuſcipiat, illud eorundem mucilagini tribuit. Quam ob cauſſam gummi Arabicum elegit, quod cum mercurio per trituram et affuſionem aquae paucae ita coniunxit, vt ſenſim diſpareret mercurius, totaque maſſa in gryſeum abiret mucum, nec per aquam diluta, nec conquaſſata, a vinculo liberaretur, ſed illo eodemque colore imbueretur, atque, quiete accedente, gryſeum ſedimentum quidem, liberum tamen a globulis mercurii et quod, leni concuſſione facta, iterum ſeſe

p. 2. p. 3. p. 8.

cum

cum aqua combinabat, vaſis fundum occuparet. Atque ſic per plures hebdomadas hanc mixtionem ſine vlla mercurii dimiſſione obſeruauit Noſter.
p. 12. Pergit tum *cum gummi tragacanthae, mucilagine ſeminum cydoniorum, farina radicis altheae, amylo, manna Calabrina, melle crudo et deſpumato, cum ſyrupo ſimplici, ex ſaccharo et aqua, nec non aliis ſyrupis e. g. diacodii, violarum cet. cum oleo lini et pinguedine,* vel fruſtra, vel minori, ratione gummi Arabici,
p. 17. cum ſucceſſu pericula facere et concludit ex his omnibus experimentis, ac inprimis quidem a ſeptimo vsque ad decimum quintum, gummi Arabicum proxime cum muco animali conuenire et ad mercurium ſubigendum omnium omnino eſſe aptiſſimum, nec hoc firmum ac tenax vinculum ſolummodo a mechanica proficiſci ratione, nec a lentore mucilaginis tantum pendere, alias gummi tragacanthae ſ. ſeminum cydoniorum mucilago, multum conueniens cum gummi Arabico, idem praeſtaret, ſed a vera et genuina mercurii et gummi Arabici prouenire debere affinitate.

p. 22. Secundum caput continet duodecim obſeruationes practicas, partim a Noſtro, partim ab aliis factas et cum Eo communicatas, quae morbos venereos ſpectant. Purgatis nimirum primis viis, externe et interne hunc gummoſum mercurium ſine vlla ſaliuatione, niſi mercurius antea in corpus erat ingeſtus, multo cum ſucceſſu adhibuit, ita tamen, vt aliorum morborum, ſimul cum venerea labe corpus inuadentium, rationem habuerit. Vſus enim eſt e. g. hellebori albi vnguento contra ſcabiem. In omnibus autem auctam vrinae mucoſae, graueolentis obſeruauit ſecretionem, in nonnullis ſudorem ſpontaneum cum leuamine, nunquam autem diarrhoeam, liberam tamen aluum et in iis quoque, qui obſtipata alias vexati fuerunt:

nec

nec minus in aliis gonorrhoeam, in aliis fluorem album excitauit. Bubones vero induratos externe molleſcere quidem, reſolui tamen nunquam vidit.

Ex his nunc, nec non ex aliis, in tertio capite conſectaria, ad morbos venereos pertinentia, Auctor proponit, ad demonſtrandum, vtrum ſua methodus, an aliorum hunc morbum melius tollat? Triplicem Noſter, ceteris miſſis, mercurii exhibendi aſſumſit methodum, quarum vna in inunctione vsque ad ſaliuationem, altera in inunctione ſine ſaliuatione, interpoſitis purgantibus, tertia in variis praeparatis mercurialibus, ore aſſumendis, verſatur. Quoniam autem ſaliuationem dicit incommodam, periculoſam, incertam, nec criticam, ad omnia ſubiecta non aptam, nec neceſſariam, altera methodus minus perfectas ſiſtit curationes et tertia plane Noſtro diſplicet, ideoque omnia remedia praeter mixturam Swietenianam reiicit, ſuam medendi rationem, quae omnibus his caret, ſemper tuta eſt, omnibusque ſubiectis conuenit, reliquis anteponit. p. 48. p. 51. p. 55.

Quartum caput nouas hypotheſes de actione mercurii in vias ſaliuales proponit, quae ex affinitate mercurii cum muco, ex mercurii gummoſi natura et effectu in organa ſaliualia, ex horum ſpecifica irritabilitate, et mercurii ſpecifico ſtimulo in ea, ex eius facili et aequabili per vaſa itinere et ex mixtionibus ac curationibus antea commemoratis, deſumtae ſunt. Finem huius libri ponunt formulae mercuriales variae cum gummi Arabico. p. 58.

V.

Quaeſtio medica: an cancer vlceratus cicutam eludat? praeſ. LUD. GUIL. LE MONNIER, auct. et reſp. *Car. Lud. Franc. Andry.* Pariſiis, 1763. 4. pl. ½.

Principio ponit Cl. Auctor, creatorem hominis gratia, quem ſui cauſſa in hoc mundi theatro collocauerit, omnia produxiſſe: quasdam tamen res ob imperitiam noſtram nobis inutiles, multas vero pernicioſas eſſe. Hae venena dicuntur; quorum autem vim vniuerſalem eſſe nullam, plurima exempla probant. Imo multa ſunt, nonnullis in medicinam cedere viſa: quorſum et cicutae extractum aduerſus cancros vlceratos refertur. Conſultius tamen eſt, vbi probatiora praeſto ſunt auxilia, a minus tutis et periculoſis abſtinere. Hiſtoria ſcirrhi eiusque mutationis in carcinoma expoſita, ferrum vnicum eius remedium eſſe euincitur. Quod cum ſaepe applicari nequeat, et vnice in mitigandis ſymptomatibus ſubſiſtendum ſit, de ſpecifico cogitatum eſt, quod hodie cicutae extractum proponunt. Cicuta iam olim in tumoribus inflammationibusque hepatis ac lienis vſurpata eſt: ſolis tamen ſucco et radice vſi ſunt, quod in extracto partes praecipuae perderentur. Docet enim chemicum examen, graueolentem odorem cito euaneſcere, vtilioresque partes comburi potius, quam conſeruari. Multi miros effectus ab vſu extracti cicutae ſe vidiſſe ſcripſere. In Gallia vel nullus ſequutus eſt effectus, vel ſiniſter, cuius rei veritatem varia laudata a Cl. Auctore exempla euincunt. Scirrhus in vtero, continuato per menſes ſex cicutae vſu, extractique eius integra libra deuorata, aeque ac antea perſtitit.

p. 2.

In

In magno, quod Lutetiae eſt, noſocomio cicuta per octodecim menſes in vſum vocata, plurimi aegri obiere, reliqui languent, ſanitas nemini reddita. Scirrhus in abdomine, cicuta per plures menſes tentatus eſt, non leuatus, quin, doloribus atrocioribus redditis, macies aegram confecit. Cancer mammae a PETITO praeciſus poſt nouem menſes recruduit; cicuta per annum fruſtra adhibita, aegra fatis ceſſit. Cancer vteri quum cicutam Pariſinorum eluſiſſet, a STOERKIO extracti Auſtriacae inſignis moles transmiſſa eſt; neque tamen felicior euentus ſubſequutus. Vir quinquaginta annorum, inſigni lymphatico tumore vexatus, Auſtriacam cicutam aſſumſit, adiuncto nonnunquam medicamento, quod *Rotrou* vocant: imminutus eſt tumor, ſed hepar inflammatione correptum, quae die ſeptimo aegrum ſuſtulit. Ab externo etiam vſu vertigines ac deliria obſeruata ſunt. Poſſet forſan culpa coniici in diuerſum clima, aut minus exactam praeparationem: ſed et extractum, ab exteris transmiſſum, eadem incommoda induxit. Experimenta Viennenſium in dubium vocari nequeunt; neque tamen ex his ad Pariſienſes concludere licebit, ob temperamenta debiliſſima et aerem Lutetiae innumeris inquinamentis refertiſſimum. Belladonnae vſus in iisdem morbis ante paucos annos propoſitus, ſtatim reiectus fuit. Si quid vmquam, certe ſuccus et radix tantum in vſum trahenda videntur, niſi iis plane abſtinuiſſe praeſtet.

VI.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et Belles Lettres. Année 1758. à Berlin, chez Haude et Spener, 1765. 4. Alph. 2. pl. 17. tab. aen. 9.

i. e.

Hiſtoria Academiae Regiae Scientiarum et elegantiorum litterarum. an. 1758. Berolini etc.

In claſſe philoſophiae experimentalis ſequentes commentationes occurrunt:

p. 2. 1) *Effectus ſalis alcalini communis in regulum antimonii.* Auctore Cl. MARGGRAF. Regulum antimonii, ad methodum KUNCKELII paratum, cum alcali ſalis communis aliquoties fudit Cl. Auctor ſemperque ſcorias virideſcentes et regulum magis, ac magis purum obtinuit. Puriſſimus hicce regulus non ſolum fractu difficilis fuit, ſed etiam cum mercurio ope aquae tritus facili negotio cum eodem connubium iniit. Caeterum antimonium, cum creta mixtum, fuſioni commiſit, et ex quatuor vnciis antimonii cum vncia una cretae fuſis, duas vncias cum duabus drachmis ſeptemue granis reguli antimonii, rurſusque ex duabus vnciis antimonii, cum drachmis duabus cretae fuſis, drachmam vnam et grana quinque reguli ſplendentis obtinuit; cretae autem pondere aucto, quatuor nimirum vnciis antimonii, cum duabus vnciis cretae fuſis, ne moleculam quidem reguli antimonii in maſſa, bene caeterum fuſa, deprehendit, ſed totam maſſam in ſcoriam, lapidi cupri vulgo *Rohſtein* dicto ſimilem, abiiſſe,

abiiſſe, quae cum limatura martis fuſa, regulum denuoque ſcoriam, praecedenti ſimilem, exhibuerit, notat.

2) *Experimenta quaedam de lapide lazuli.* Auctore EODEM. Lapis lazuli, tenuiſſime comminutus, affuſum ſpiritum ſalis ammoniaci non mutat; calcinatus colorem coeruleum nequaquam amittit, nec eundem cum ſpiritu ſalis ammoniaci affuſo communicat. Acidum vitrioli dilutum lapidem lazuli cum efferueſcentia aggreditur; idem cum ſpiritu nitri communi et ſpiritu ſalis fumante obſeruatur. Lapis hicce, cum dictis menſtruis digeſtus, colorem coeruleum amittit. Solutio memorati lapidis, cum acido vitrioli facta, laminae ferri per guttas inſtillata ne minimum quidem cupri indicium praebet. Solutionibus, cum acido vitrioli et ſpiritu nitri ſpirituque ſalis factis, affuſus ſpiritus ſalis ammoniaci puluerem album deiicit; ſanguinis vero lixiuium affuſum inprimis ex ſolutione, cum ſpiritu nitri facta, praecipitatum coloris pulchre coerulei dat. Solutioni cum ſpiritu nitri, vel cum ſpiritu ſalis factae affuſum acidum vitrioli ſelenitici quidquam praecipitat. Idem fere accidit, ſi lapis lazuli calcinatus cum dictis acidis commiſcetur, praeter id, quod nulla efferueſcentia oboriatur, omnesque ſolutiones gelatinoſae euadant, cum tamen eaedem ſolutiones, cum crudo lapide factae, dilutae et fluidae maneant. Lapis lazuli aliquoties candefactus inque aqua frigida extinctus, aquam turbidam facit, quae colata cumque lixiuio alcalino mixta, praecipitatum album indolis calcareae dat; aqua ſuperſtes euaporata tartarum vitriolatum praebet. Lapis lazuli, igne fortiori in crucibulo per horam detentus, funditur, nec minus in maſſam ſpumeſcentem ex nigro flauam cum maculis coeruleis abit, aliudque p. 10.

 dicti

dicti lapidis fruſtum, fortiore igne fuſum, vitrum albeſcens cum punctulis coeruleis dat. Lapis lazuli calcinatus, cum ſale ammoniaco ſublimationi ſubiectus, ſublimatum coloris pulchre flaui praebet; cum ſulphure rurſusque cum mercurio ſublimato corroſiuo ſubiectus, nullam mutationem patitur, neque etiam vlla mutatio, tum in ſulphure, tum in mercurio ſublimato deprehenditur. Cum ſale tartari fuſus, in maſſam poroſam, ex viridi flaueſcentem, abit, cumque nitro fuſus, maſſam griſeam praebet, quae adhuc calida, cum aqua deſtillata mixta, huic colorem coeruleum, in viridem vergentem, tribuit, qui vero, aliquot horis praeterlapſis, rurſus euaneſcit. Nitrum hac fuſione in alcali abit, lapisque lazuli colorem coeruleum prorſus amittit. Tandem lapis lazuli, cum fritta fuſus, vitrum pellucidum coloris citrini, cumque alcali minerali et ſilicibus calcinatis fuſus, vitrum pellucidum album, radios lucis colore rubeſcente reflectens, cumque borace calcinata, vitrum coloris chryſolithi praebet. Itaque lapidem lazuli ne minimam quidem particulam cupri, ferrum contra et terram gypſeam continere, ex his experimentis Noſter colligit.

p. 20. 3) *Examen chymicum minerae argenteae lamelloſae, vel ſpeciei cuiusdam ſuberis montani, quod in parua quantitate in fodinis metallicis Clausthalienſibus, Dorothea et Carolina dictis, reperitur.* Auctore Cl. LEHMANN. Minera haec ita deſcribitur: *Eſt*, inquit Noſter, *ſpecies minerae, argentum continens, friabilis, obſcure rubra, flexilis, leuis, aquae ſupernatans, digitos colore inficiens, ex paruis, valde tenuibus lamellis, ſibi inuicem impoſitis, compoſita, cum ochra ferri talcoſa ad rubrum vergente, nec non cum particulis tenuiſſimis ſpati, quarzi, galenae etc. inter has lamellas diſſeminatis, remixta.* Per ſublimationem

tionem diſquiſita haec minera non niſi pauxillum ſulphuris exhibuit, atque cum arſenico albo mixta et ſublimata, arſenicum aurantii coloris, et cum ſale ammoniaco grana aliquot ſalis volatilis vrinoſi et ſublimatum coloris aurantii dedit, et cum mercurio ſublimato corroſiuo mixta, mercurium ſublimatum maximam quidem partem reddidit, ſed, aucto calore, grana aliquot cinnabaris praebuit. Caeterum mineram hanc in omnibus hiſce ſublimationibus facillime fuſam eſſe, Noſter perhibet. Minera poſthac tenuiſſime comminuta et ſub fornice ſub continua agitatione calcinata, odorem ſulphuris de ſe ſparſit, et colorem cinereum obtinuit. Calcinata haec, cum plumbo mixta et ſub fornice fuſa, coniunctionem cum plumbo diu reſpuit, tandem autem connubium iniit. Plumbum, poſthac per cupellationem diſquiſitum, argentum dedit, ita vt in centum pondio octo fere vnciae computarentur. Porro affuſum acidum nitri mineram cum impetu aggreſſum eſt, eamque maximam partem ſoluit, praeter pauca grana terrae albicantis, quae diſquiſita ex terra argillacea per talcum album, cum quarzo remixtum, producta eſſe viſa fuit. Idem fere accidit cum aqua regis. Solutiones poſtea colatae et cum alcali remixtae, praecipitatum flauum martiale, ac cum lixiuio ſanguinis praecipitatum coloris coerulei dederunt. Affuſum oleum vitrioli mineram cum impetu ſoluit, et odorem vt hepar ſulphuris de ſe ſparſit; aqua dein diluta ſolutio et cum alcali mixta, nihil, niſi minimam portionem terrae cuiusdam calcareae deiecit. Lixiuium alcalinum cauſticum, cum hac minera per aliquot dies digeſtum, nihil niſi tartarum vitriolatum exhibuit, ex quo Noſter colligit, partem marcaſitae ſulphureae, in hac minera contentae, ſolutam fuiſſe. Spiritus ſalis ammoniaci mineram non aggreſſus

 eſt.

eſt. Ex omnibus his coniicit Cl. Auctor, mineram hanc ex terra argillacea, cum ochra ferri talcoſa et ſulphure remixta, conſtare, ita vt, dum ſub lamellarum forma dictae ſubſtantiae ſibi inuicem imponantur, particulae marcaſitae ſulphureae, plumbi, calcis et ſpati vitreſcibilis cum pauxillo quarzi ſe interponant. Caeterum mineram hanc, vt matricem pro recipiendo argento conſiderandam eſſe, Noſter autumat.

p. 34. 4) *Diſquiſitiones hiſtoricae et chemicae gummi copal, quatenus apud pharmacopoeos et mercatores plerumque venditur.* Auctore EODEM. Gummi copal pro ſpecie bituminis a Noſtro habetur, quod colorem, mox flauum, ad aureum vergentem, mox album, vel fuſcum habet, in fruſtis plus minus puris occurrit et multum cum ſuccino conuenit. Dubium eſt, ad quodnam regnum pertineat: dicunt quidem, fluere ex arbore quadam, ſed verum copal, quod ſuccino adeo ſimile eſt, et a nonnullis ſuccinum orientale ſeu Indicum vocatur, bene diſtinguendum eſt ab illa gummi reſina, quae itidem copal appellatur, et ex arbore quadam Canadenſi, ob id planta copalifera dicta, fluit. Licet autem plures ſint, qui de vero gummi copal mentionem fecerint, nondum tamen certo conſtat, vndenam proueniat. Vt itaque ſcire liceat, ad quodnam regnum iſtud corpus referri poſſit, chemico examini copal ſubiecit Noſter, et haec experimenta cum eo inſtituit. Copal cum oleo vitrioli, leni igne digeſtum, ſoluitur, non aeque a ſpiritu ſalis fumante. Spiritus nitri, cum copal digeſtus, iſtud non mutat, coctus vero cum eodem limpidam ſolutionem praebet, qua refrigerata, ſubſtantia glutinoſa flaua, ſpongiae inſtar ſe ſeparat et menſtruo ſupernatat. Aqua regis illud non ſoluit, ſed cocta cum

eo

eo et per coctionem euaporata, corpus glutinoſum coloris fuſci relinquit. Acetum deſtillatum et aqua ſimplex deſtillata copal non aggrediuntur, acida vero mineralia dulcificata, cum copal cocta, hoc quidem non ſoluunt, ſed in ſpongiam quaſi, et, colore flauo ablato, in maſſam albam, glutinoſam et mollem mutant, quae cum oleo therebinthinae vernicem limpidam bonae indolis largitur. Menſtrua alcalina nihil praeſtant. Affuſus ſpiritus vini rectificatiſſimus aeque, ac ſpiritus vini tartariſatus copal non niſi per agitationem, per quatuor horas continuatam, itidemque iſtud absque agitatione, ſola tantum coctione adhibita, maximam partem ſoluunt, maſſam tamen albam et glutinoſam relinquunt, quae cum oleo terebinthinae cocta, vernicem limpidam, ad fuſcum colorem vergentem, praebent. Spiritus vini camphoratus, cum bituminoſo illo corpore digeſtus, et per interualla cum eo agitatus, maximam in partem copal ſolutum ſiſtit. Optime autem ſe gerit oleum therebinthinae, itidemque oleum ſabinae et menthae, quae cum copal cocta, vernicem claram coloris aurei optimae notae praebent. Olea vero expreſſa vix quidquam praeſtant. Accenſum copal comburitur, et maſſam relinquit ex nigro fuſcam, ſplendentem et fragilem, quae, vt copal non mutatum, adhuc electrica eſt, accenſionem reſpuit, et fundi ſe patitur, tuncque poſt fuſionem maſſam relinquit nigram, ſpongiae inſtar, quae cum oleo therebinthinae vernicem rubram praebet. Deſtillatum copal nihil niſi aquam inſipidam et magnam copiam olei trideſcentis praebet, quod rectificatum colorem pallidiorem obtinet, et per reiteratam rectificationem album prorſus euadit, in aere libero tamen facile colorem viridem recuperat. Oleum non rectificatum cum oleo vitrioli aeque, ac cum ſpiritu ſalis fumante mixtum,

connubium init, et cum hoc quidem non, niſi digeſtione per octo dies in loco tepido continuata. Spiritus nitri dictum oleum non ſoluit, flauum tamen colorem ab eo obtinet. Idem oleum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo aeque, ac tartariſato per octo dies digeſtum, non quidem omni ex parte ſoluitur, ſed ſpiritus vini quidquam tantum extrahit. Si dictum oleum cum oleo tartari per deliquium vel cum ſpiritu ſalis ammoniaci ſimplici miſcetur, pauca eiusdem portio ſoluitur; verum, cum ſpiritu ſalis ammoniaci cauſtico mixtum, ſtatim ſe coniungit, paulo poſt autem pars quaedam fundum petit, ſpiritus vero ſupernatans colorem pulchre rubeſcentem obtinet. Oleum et impurum, et rectificatum coniunctionem cum omnibus oleis expreſſis et aethereis amant. Cum itaque copal quoad figuram exteriorem cum ſuccino et bituminibus conueniat, et, vt ſuccinum in ſolutione et deſtillatione ſe gerat, ſimileque oleum praebeat, copal pro corpore bituminoſo habendum, et cum ſuccino comparandum eſſe, Noſter autumat, excepto eo, quod nullum ſal acidum praebeat; hoc autem in ſuccino etiam ad accidentalia referri, vel huic bitumini proprium eſſe poſſe, putat. Immo tum ſuccinum, tum etiam copal in ipſo ortu reſinas fluidas fuiſſe, per temporis tractum ope acidi mineralis coagulatas, Noſtro veriſimile omnino videtur.

p. 58. 4) *Obſeruationes anatomico-pathologicae de praeternaturali abdominis inflatione, a diuerſis cauſſis proueniente.* Auctore Cl. MECKEL. Quatuor a Cl. Auctore communicantur obſeruationes, quarum prima hydropis ſingularis ſaccati mentionem facit. Abdomine nimirum cadaueris, inſigniter tumido, aperto, ſaccus ingens in conſpectum venit, qui propria membrana formatus inque cauitate peritonaei con-

contentus, a pelui ad coſtas ſpurias vsque ſe extendit, ac totam cauitatem abdominis occupauit, ita vt inteſtina, hepar et lien ex ſitu naturali dimota et pulmones adeo compreſſi et parui apparerent. Dictus ſaccus inteſtino colo ſiniſtro et peritonaeo ab vmbilico ſuperiora verſus adhaeſit. Notatu autem dignum eſt, peritonaeum integrum fuiſſe, neque inuolucrum ſacci formaſſe. Eum enim propria membrana inuolutum fuiſſe, neque vllum vas magnum in eo ſe deprehendiſſe, Noſter perhibet. Sacco aperto quadraginta librae aquae fuſcae ſenſim emanarunt.

Secunda obſeruatio itidem hydropem ſaccatum commemorat, qui, abdomine aperto, in cadauere foemineo repertus fuit. Iſte nimirum ſaccus totam cauitatem abdominis repleuit, inferiore ſua parte peritonaeo et tubae fallopianae ſiniſtrae adhaeſit, et viſcera ex ſitu remouit. Sacco aperto, aqua limpida ſalſa effluxit, ſpumeſcens et argentum colore nigro inficiens: haec aqua cum oleo vitrioli nullam efferueſcentiam concitauit, id tamen ſingulare oſtendit, quod, cum antea inodora eſſet, poſt admixtionem olei vitrioli peſſimum vixque tolerandum foetorem de ſe ſpargeret. Pondus huius aquae viginti quatuor librarum fuit. p. 63.

Tertia obſeruatio tumorem mollem, oualem, membranaceum et liquore foetido repletum, deſcribit, qui in ouario dextro cadaueris foeminei repertus, peluis cauitatem repleuit, et ſuperiore ſua parte omento adhaeſit. Praeterea portio inteſtini ilei ſub tumore ex cauitate abdominis in ſacco hernioſo, ſub ligamento *pupartii* egrediens, gangraenoſa, ſanguineque plena reperta eſt. Tandem notatu dignum eſt, meſenterium inteſtini ilei ſingulari modo intortum fuiſſe, ita, vt omnes eius venae, ſanguine inſigniter refertae, apparerent. Hanc meſenterii p. 65.

terii intorſionem ſaepe in infantum cadaueribus ſe reperiſſe, eandemque doloris et inflammationum, omnem medelam reſpuentium, et mortis ineuitabilis cauſſam eſſe, Noſter notat.

p. 68. Quarta demum obſeruatio tumoris praeternaturalis abdominis mentionem facit, cuius cauſſa inuaginatio inteſtinorum fuit. Ileum nimirum per valuulam coli ad longitudinem pedis in colon ſe inſinuauit; caeterum autem coecum ruptum et inteſtina tenuia inſigniter diſtenta Noſter deprehendit. Monet autem Cl. Auctor, mercurium certe, ſi hoc in caſu exhibitus fuiſſet, malum auctum reddere, et, ſi aliquid ſperandum fuiſſet, clyſmata forte optimum auxilium ferre potuiſſe, autumat.

p. 71. 5) *Reſponſio, quam ad diſſertationem Ill. comitis* RONCALLI *de inoculatione variolarum dedit Ill. comes* DE REDERN. In hac epiſtola Ill. Auctor Ill. comitem RONCALLI, qui inoculationi variolarum aduerſatur, de defendenda inſitione variolarum hortatur. Rationes medicas autem, cur inſitio admittenda ſit, non deprehendimus.

p. 89. 6) *Annotationes de veſtigiis ſimilitudinis inter corpora regni vegetabilis et animalis.* Auctore Cl. GLEDITSCH. In hac commentatione Cl. Auctor ad propagationem inprimis attendit, ideoque oſtendit, omnem plantam per corpuſculum quoddam, quod ſubtiliſſima futuri corpuſculi lineamenta contineat, propagari, idque vel in bulbis vel in caulibus, vel in ramis, vel in aliis plantae partibus reſidere, idemque non, niſi incremento abſoluto, vel maturitatis termino acquiſito, ad propagandum aptum reperiri. Oſtendit porro, in compluribus plantis propagationem naturalem eadem ratione, vt in animalibus, per ſemina vel oua fieri, et, licet non-

nonnulla vegetabilia per radices, bulbos, ramos, caules etc. propagentur, haſce tamen multiplicationes ab eodem principio pendere, nec a propagatione per ſemina nequaquam differre, putat. Sic v. g. plantas annuas cum inſectis comparat, quippe quae, poſtquam per varias metamorphoſes maturitatem acquiſiuerunt, nuncque ad propagandum apta ſunt, ſtatim pereunt, quam primum maſculus foeminam impraegnauit, et foemella foecunda oua depoſuit. Vim autem propagandi interdum accelerari, interdum retardari, ſemper tamen certum incrementum et praecipuas ad propagandum aptas partes, iam formatas, requiri, monet. Quodſi itaque haec quis perpendat, et ad animalia eorumque diuerſitates attendat, eum ſimilitudinem omnino inter vegetabilia et animalia deprehendere, Noſter certo perſuaſum habet.

6) *De bitumine Alſatiae.* Auctore Cl. SPIELMANN. Variis locis Alſatiae deſcriptis, perhibet Cl. Auctor vallem eſſe, nouem milliaria ab Argentorato diſtantem, cui nomen *Vallis S. Lamperti* imponitur. In hac valle, vt Noſter obſeruauit, multi fontes ſunt, quorum aquis bitumen ſupernatat; vnus tamen eorum praecipuus eſt, quippe qui maximam copiam dicti bituminis praebet. Praeterea etiam in eadem regione terra quaedam vnctuoſa effoditur, quae ſabulum ſiſtit, bitumine remixtum. Si ſabulum hoc bituminoſum cum aqua coquitur, bitumen a ſabulo ſeparatur, hocque fundum petit, illud vero aquae ſupernatat. Bitumen, hac ratione obtentum, conſiſtentiam habet, quae inter mel et terebinthinam media eſt; quam ob rem a Noſtro *bitumen liquidum* vocatur. Leni igne coctum ſenſim induratur, et magis magisque euaporatum, verum aſphaltum praebet. Bitumen iſtud varias p. 105.

ſub-

ſubſtantias animales et vegetabiles ſoluit, nimirum tragacantham, anime, bdellium, camphoram, carannam, ceram, colophonium, copal, thus, euphorbium, oleum oliuarum, oleum terebinthinae, ammoniacum, gummi hederae, laccam, maſtichem, myrrham, opopanacem, phoſphorum, ſagapenum, ſanguinem draconis, ſtyracen, tacamahacam, terebinthinam, neque tamen reſinam benzoes, aſſam foetidam, galbanum et terram Iaponicam ſeu catechu. Neque acida mineralia, neque etiam ſpiritus vini dictum bitumen ſoluunt. Alcali fixum, cum bituminoſo hoc corpore mixtum, et calcinatum, maſſam dat, ex qua, affuſa aqua, ſal extrahitur, quod ſal digeſtiuum SYLVII praebet, manifeſto indicio, quod ad formandum hocce bitumen acidum ſalis multum conferat. Cum alumine calcinatum pyrophorum praebet. Sulphur ab eo minori in copia, quam ab oleis expreſſis ſoluitur, in eoque etiam et ambra, ſuccinum, arſenicum ſolui ſe patiuntur. Ex libra bituminis per deſtillationem prodierunt vndecim vnciae olei empyreumatici, et duae drachmae aquae inſipidae; reſtiterunt in retorta quatuor vnciae terrae mortuae. Oleum hoc rectificatum duas vncias cum duabus drachmis olei aetherei, ſubtiliſſimi, aquae inſtar, dedit. Hocce oleum, igne admoto, flammam concipit, etiam aquae ſupernatans, odorem fortem habet, et ab alcohol ſoluitur, idemque pro vera naphtha habendum eſſe, Noſter autumat. Oleo hoc educto, aliud oleum ad vncias quatuor in rectificatione prodiit, quod colorem ex flauo rubrum habuit, hocque Noſter cum ſic dicto petroleo comparat. Tandem quatuor vnciae cum dimidia olei, craſſi admodum, odoris ingrati, tranſtillarunt, quod oleo ſimile fuit, quod vltimo per deſtillationem ex terebinthina obtine-

tinetur. Itaque bitumen hoc multis vſibus inſeruire poſſe, idemque verum oleum aethereum eſſe, per acidum ſalis coagulatum, Noſter colligit.

VII.

MARTIN FROBENIUS LEDERMÜLLERS, *Hochfürſtlich Brandenburg-Culmbachiſchen Iuſtizraths etc. phyſicaliſch-mikroſcopiſche Zergliederung und Vorſtellung einer ſehr kleinen Winterknoſpe des* hippocaſtani ſeu eſculi, *oder des wilden Roſskaſtanienbaums, nebſt* 3 *mit Farben nach der Natur ſorgfältigſt erleuchteten Kupfertafeln, verlegt und in Kupfer gebracht von Adam Wolfgang Winterſchmidt. Nürnberg*, 1764. fol. pl. 3.

i. e.

MARTINI FROBENII LEDERMÜLLERI, phyſico-microſcopica anatome et delineatio minimae gemmae hybernalis hippocaſtani, cum tab. aeneis viuis coloribus pictis.

Poſtquam Cl. Auctor ſuas circa ſecale inſtitutas obſeruationes edidit, et interea varios ſcriptores legit, qui in farina caſtaneae nucis, *marone* vulgo dictae, meliorem vim nutriendi, quam in ſecali ipſo latitare autumant, arboris huius fructus eo animo disquiſiuit, num fortaſſe ope microſcopii in interna eius farinacea ſubſtantia aliam et diuerſam ſtructuram detegeret, quam in ſecali, et reliquis eiusmodi cerealibus. Cumque in hippocaſtani fructibus ſimili ratione interna ſubſtantia tota, quantacunque farinacea ſit, et ipſum Germanicum nomen ſylueſtrem

caſta-

caſtaneam indicet, licet arbores ſint in charactere botanico diuerſiſſimae, ita etiam hic praecipue hippocaſtanum elegit, et admirandam omnium partium, in minima eius gemma iam delineatarum, fabricam diſquirere, iconibusque ſiſtere allaborauit. Sumſit propterea hyberno tempore gemmam, piſi magnitudinem non excedentem, eamque externe ſedecim ſquamis, viſcido humore inunctis, tectam inuenit, quae magis magisque colorem craſſitiemque ſuam mutant, quo propius gemma ad eruptionem ſuam accedit. Separatis hiſce ſquamis, tota gemma vndique lanuginoſa apparet, et hac etiam lanugine remota, gemma circumcirca quatuor foliis rameis incluſa eſt, ſpicam floris obtegentibus, in qua ſpica Cl. Auctor ſexaginta octo flores diſtinctos numerauit. Quae ſequitur tabula ſecunda ſiſtit integrum ramum, foliis et ſpica floris ornatum, in quibus vltimis praecipue ſingulas fructificationi inſeruientes partes euidentiſſime cognoſcimus, totum vero ramum tenui adhuc lanugine obſeſſum. Pollinem vero antherarum, microſcopii ope diſquiſitum, opacum partim, partim transparentem Noſter inuenit, hancque differentiam ex foecunda, aut minus fertili pollinis huius natura deducit. In tertia demum et vltima tabula eiusque explicatione ſtructuram nucis caſtaneae, *marone* dictae ſuppeditauit, cuius farinaceam ſubſtantiam ex innumeris particulis veſicularibus conſtare microſcopii ope detexit, totam vero ſubſtantiam multo compactiorem ſubtilioremque eſſe, quam in ſecalis aut hordei ſemine, cognouit. Addit praeterea nonnullas figuras, ortum gemmarum ex intima medulla comprobantes, ſiue pars rami cuiusdam circa gemmam proruptam verticaliter diſſecetur, ſiue horizontaliter, in vtroque caſu medullam protruſam, et in gemma terminatam animaduertere licet.

VIII.

VIII.

MARTIN FROBENIUS LEDERMÜLLERS *phyſikaliſch - mikroſcopiſche Zergliederung des Korns oder Rockens, nebſt der Beobachtung ſeines Wachsthums mit 4 nach der Natur mit Farben auf das fleiſsigſte erleuchteten Kupfertafeln, verlegt von Adam Wolfgang Winderſchmidt in Nürnberg* 1764. fol. pl. 3.

IX.

Ebendeſſelben phyſikaliſch - mikroſcopiſche Vorſtellung und Zergliederung einer angeblichen Rockenpflanze, das Staudten - Stek - oder Gerſten-Korn insgemein genannt, ſammt 3 nach der Natur ſorgfältigſt mit Farben erleuchteten ſaubern Kupfertafeln, Nürnberg, verlegt von Adam Ludwig Wirſing 1765. fol. pl. 3.

i. e.

MARTINI FROBENII LEDERMÜLLERI diſquiſitio phyſico-microſcopica ſecalis, vna cum obſeruatione incrementum eius demonſtrante.

Eiusdem delineatio et anatome plantae cuiusdam, pro ſecali habitae, cum tabulis aeneis viuis coloribus pictis.

Eadem ratione, qua Cl. LEDERMÜLLERUS hactenus varias obſeruationes microſcopicas publici iuris fecit, quarum et nos paſſim mentionem in commentariis noſtris fecimus, vlterius in diſquiſitione minimarum et abſconditarum ſaepe partium conſueta induſtria pergit, nunc in qua-

tuor tabulis, ea, quae in ſecali detexit, nobiſcum communicans, in qua re ita verſatus eſt, vt omnes mutationes huius notiſſimae plantae, a primo momento, quo germen ſeminis radiculas agere incipit, vſque ad ſummam totius plantae perfectionem ſedulo attenderet, et iconibus illuſtraret. Praecipua itaque ex diario oeconomico excerpſit, quae ibidem de interna ſtructura ſeminis, et ſucceſſiua euolutione huius plantae expoſita ſunt, quibus ſuas adiecit obſeruationes. Semen huius plantae, terrae mandatum, quandoque intra duos dies germinare incipit, ea cum differentia, vt interdum primo radiculas, et dein plumulam, interdum duas has partes ſimul, emittat. Folia, quando euoluuntur, tenui lanugine, et in vtraque ſuperficie inermibus quibusdam aculeis obſeſſa ſunt, quas animadverſiones in tab. prima variis figuris declarauit, cum ſitum plantulae ſeminalis eiusque radiculas et plumulam, harumque partium ſucceſſiuum incrementum, et ſubſequentem folii euolutionem, oculo armato conſideratam, ob oculos poſuerit; primum folium, quod euoluitur, concauum et ſpadiceo colore tinctum conſpicitur, reliqua vero, quae ſequuntur, ſtatim naturali ſuo viridi colore inſigniuntur. In ſecunda tabula integrum culmum cum ſpica delineari Auctor curauit, vbi praecipue annotamus, glumam in exteriore ſuperficie protuberantia quadam, ſerrae haud abſimili, eſſe obſeſſam, quae ſuperius abit in apicem, duplici ſerie aculeorum inſignitam. In tabula tertia praeter receptacula ſeminis, etiam ipſam internam eorum ſubſtantiam, microſcopio auctam, vidimus, et in addita explicatione legimus, farinam ſeminum non ex globulis perfecte rotundis, ſed ex globulis variae formae Noſtrum reperiſſe, in quibus multi iterum alii minores globuli reconditi ſint. Quarta demum tabula naturali

magni-

magnitudine ſecalis plantam offert, quatuordecim diſtinctis culmis inſignitam, et ſimul in eadem Noſter erucam, fortuito ei oblatam, coloribus pictam, eiusque ampliorem deſcriptionem in explicatione tabulae adiecit.

Hiſce obſeruationibus circa ſtructuram et incrementum ſecalis expoſitis, nunc etiam Cl. Auctor anatomen alius plantae, ſecali haud diſſimilis, addidit, et ſimul affinitatem inter gramen ſecalinum et hordeaceum determinare ſtuduit. Planta, cuius fuſiorem deſcriptionem variasque figuras Noſter dedit, vulgo *Gerſten-oder Stauden-Korn* dicitur, et media quaſi planta inter ſecale et hordeum videtur, quoad externum quidem habitum haud ita nimis a vulgari ſecale recedit, diſquiſitionibus tamen ab Auctore inſtitutis magis ad hordeum accedit. Non ſolum enim ſeminis figura hordeum potius, quam ſecale oſtendit, ſed etiam in germinatione eius detexit Noſter, primum folium, quod euoluitur, non ſpadiceo colore, ſicuti in ſecali fieri ſolet, eſſe tinctum, ſed albicantem primo, paullo poſt dilute viridescentem colorem habere, vt adeo hac differentia diuerſitatem inter hordeum et ſecale ſtatim detegere poſſimus. Quo vero de reliqua ſimilitudine inter gramina ſecalina et hordeacea quodammodo determinetur, varia vulgaria Cl. Auctor examini ſubiecit, et in omnibus fere eandem euolutionis et incrementi rationem ſe obſeruaſſe teſtatur, qualem in ſecale deſcripſit; praeter quod in ſecale prima folia ſemper ſpadiceo colore tincta ſint. In tribus vero hiſce tabulis ſingulas dictae plantae partes, a prima euolutione vſque ad ſummam perfectionem conſpicimus depictas, et praecipue in tab. ſecunda noſtram admirationem mouet embryo, ſiue plantula ſeminalis, in qua par-

tes, fructificationi inſeruientes, omnes iam perfecte delineatae exiſtunt, et ita quidem, vt antherae cum ſtaminibus ex parte ſuperiore plantulae ſeminalis exoriantur, piſtilla vero in parte inferiore eiusdem ſedem ſuam habeant, et ibidem in innumeras ramificationes diſtribuantur.

X.

De melancholia et morbis melancholicis. Tomus Primus. Lutetiae Pariſiorum, apud P. Guillelmum Cavelier 1765. 8. Alphab. 1. pl. 3. (Auctore Cl. ANNAEO - CAROLO LORRY, M. D.)

Quo maioribus morbi quoddam genus obſcuritatibus premitur, eo maiorem ſane laudem meretur is, qui in fontes illius altius penetrare, difficultates curatius rimari et maiorem ei lucem afferre tentat. Hoc egregie a Cl. Auctore factum eſſe, teſtatur hic liber, cuius ſummam pro dignitate argumenti et ipſius libri paulo copioſius, quam alias fieri ſolet, expoſituri ſumus *.

p. 2. In *introductione* Cl. Auctor melancholiam latiſſimo ſenſu appellat *illam mentis imbecillitatem, a corporis vitiato habitu oriundam, in qua fortiter concutimur*

* Cum ſtudii noſtri laborumque horum Sodalis quidam, ex muneris, quo per nouem annos fungitur, ratione fruatur opportunitate magnum melancholicorum maniacorumque numerum quotidie obſeruandi; atque cum ſciamus, eum, arte medica praeualentem, multum de hoc argumento iam dudum cogitaſſe, plurimum quoque experientia edoctum litteris conſignaſſe, tandem plus centum et viginti cadauera eiusmodi morbo defunctorum curatius diſſecuiſſe, recte et prudenter nos acturos eſſe putauimus,

mur ab obiectis, aut externis, aut ab imaginandi vi effictis, ita, vt iam impoſſibile ſit, ideis inde natis obſiſtere, ab iis auelli, aut contra ratione tendere; et ſic a ſtrictiore BOERHAAVII definitione in eo recedit, quod nec omnes, qui timore aut moeſtitia praeter rationem afficiuntur, et melancholico morbo laborant, vni et eidem ideae perpetuo affixos, nec vere deliros dici poſſe arbitretur. Ad mentis vero illam imbecillitatem alios a natura ita conſtitutos eſſe cenſet, vt omnes ac ſinguli cauſſarum externarum incurſus illos commoueant, hinc ſumme mobiles ſint, quaſi neruoſum genus ad omnia mouendum habeant; in aliis contra, a robore natiuo per morbum deiectis, turbatas corporis functiones mentem efficere erroris participem. Hinc omne illud, quod ſenſorium commune e ſtatu ſano deiicere poteſt, eique imbecillitatis notam imprimere, inter melancholiae cauſſas refert, binaque eius genera diſtinguit, quorum vnum a ſolidorum, alterum vero a fluidorum vitiis repetendum ſit, ex quibus vtrisque tertium exſurgat genus forſan frequentius caeteris. Ipſa igitur tractatio in duas partes diuiſa eſt, in quarum prima *melancholia a ſolidorum vitio, ſeu neruoſa*, in altera vero *melancholia humoralis* exponitur. p. 6.

Neruoſae igitur *melancholiae eſſentiam* in *cap.* I. expenſurus Cl. Auctor ad ſolidorum affectiones tum in ſtatu naturali, tum praeternaturali, illorum ſcilicet p. 10.

 cet

mus, ſi ei librum hunc prouoluendum et in epitomen redigendum daremus, ea freti ſpe, vt de vtilitate huius libri, ſi laudaretur, eo certius lectores noſtri perſuaſi eſſe poſſent. Hac occaſione ſimul ſpei faciendae idem amicus nobis dedit libertatem, ſe propediem, quae cum de applicatis remediis in hoc morborum genere obſeruauerit, tum in diſſectis cadaueribus reperierit, publicae luci eſſe expoſiturum.

cet actionem vel auctam, vel imminutam, vel prorſus peruerſam reſpicit. Sic ab actione tonica cum mechanica tenſione coniuncta deducit maiorem partium vibratilitatem; vnde illa mobilitas naſcitur, quae melancholiae fundamentum praebet, et quae cauſſa eſt variarum ſenſationum, ſympathiae, habitus corporum diuerſi, ex conſuetudine, ſeu repetitis cauſſarum inſultibus exorti, et quos in habitum *inertiae* et *conuulſiuum* diſpeſcit, atque huius mirum adducit exemplum feminae illuſtris, quae omnem cibum auerſari, potumque horrere gloriabatur, et ad cuiuslibet conſpectum conuellebatur. * Senſilitatis mobilitatisque auctae varii ſunt effectus, quorum praecipuus ſpaſmus eſt, quem excipit atonia, ſeu partium quaedam relaxatio.

p. 15. p. 33.

p. 42. *Melancholia ſpaſmodica* in *cap.* 2. vero is morbus dicitur, *in quo mens aegri debilitatur, afficitur corpus ſpaſmis ſine vlla alia labe, quae a cognito mechanicae animalis vitio pendet*, et cuius ſedes in ſenſus atque motus organis eſt quaerenda. Et cum propter ſenſus atque motus torporem et inertiam, quae huius morbi cauſſa eſſe nequit, partis vitalis actuoſitas et vis vel intendi, vel prorſus peruerti queat *tres* inde deducit *melancholiae ſpaſmodicae ſpecies*, alteram in aucta neruorum actuoſitate poſitam, alteram in eorundem motuum peruerſione, tertiam denique ex vtraque compoſitam, quae vltima, vtut inſignem in neruis mutationem ſupponat, caeteris tamen frequentior ſit. Hinc omnes neruorum morbos

* Habitum conuulſiuum in Germania et ſpeciatim in Saxonia ſuperiore non adeo frequentem, longeque mitiorem ac in Gallia obſeruari, ex eo patet, quod in ptochotropheo Waldheimenſi, vtpote aegrorum huius generis refertiſſimo per integrum nouennium vix bina vel tria eiusmodi exempla annotari potuerunt.

morbos, ſi eos exceperis, qui a torpore pendent, ad melancholiam Noſter refert. Hos vero ab humorum morbis differre, ex eo euincere ſtudet, quia 1) fere omnes cauſſae, quae morbum hunc incendunt, vix vllum in humores imperium exercere poſſint; quis enim iram, metum, amorem, vel odorem narciſſi tuberoſi in humores agere credat, cum tamen omnes totum corpus in conuulſiones rapere poſſint? 2) quia eaedem cauſſae vno oculi ictu, aut ocyus, totum corpus conuellant, id quod cauſſae, in humores agenti, nullatenus competere poſſit; 3) quia in hac melancholiae ſpecie, modo abſit cauſſa conuellens, functiones omnes coeteroquin rite peragantur, abſolutoque paroxyſmo, corpus perfecte ſanum relinquatur, nec vlla priſtinae labis veſtigia remaneant, praeter defatigationem. p. 48.

Melancholiae ſpaſmodicae deſcriptionem, quum vniuerſalis dari nequeat, incipit Cl. Auctor *capite* 3. a ſimplici ac primaeua illa ſpecie, quae a neruorum actione tantummodo intenſa pendet, et hanc ex tenello corporis habitu affectibusque animi triſtibus iniuriis externis illi accedentibus cognoſcere docet. Alterius vero melancholiae ſpeciei ortum multo obſcuriorem, ex tenſionis ſeu vibratilitatis habitu, perverſionem ſenſus atque motus inducente; 2) ex partis alicuius debilitate, diſcordes neceſſario vibrationes in vniuerſo neruorum ſyſtemate producente, et 3) ex habitu otii deducit. In priori ſpecie obſeruari dicitur timor immodicus a cauſſa leuiſſima, ira vehemens, ſed facile deferueſcens, in altera vero chimaerae omni prorſus ratione deſtitutae, animi affectus ſine vlla cauſſa orti, et delirium pertinax de re quadam, menti altius infixa, in quo a mania differt. Ex quibus tertia ſpecies, ex vtroque genere cauſſarum complicata, facile intelligi poterit. Symptomata hinc vtrique communia et propria deſcribun- p. 51. p. 58.

 tur,

tur, v. g. cordis palpitationes ad minimum pauoris inſultum in priori, ſine cauſſa vero in poſteriori, et animi deliquia, quae variis exemplis illuſtrat; vrinae tenues limpidiſſimae vtrique communes, poſteriori vero diarrhoeae variae, aeris tum infra, tum ſupra eruptiones quaſi perpetuae, lacrymae inuoluntariae, ſeminis effuſiones ſine vllo concupiti obiecti intuitu, et obſcoeni liquoris e mulierum genitalibus per ſpaſmum effluxus. Morbi vero, in ſummo gradu conſtituti, ſymptomata in priori ſpecie non ſolum enarrantur variisque exemplis illuſtrantur, ſed etiam ad hoc melancholiae genus referri poſſe, putat Auctor, malum illud triſtiſſimum rariſſimumque, quo aeger quodcunque ante oculos verſatur, imitari conatur. Sic vidit Noſter mulierem, nunc ſanatam, quae quoties puteum ſpectabat, in quem ſeſe ancilla ante oculos praecipitem dederat, ad ſe ipſam quoque praecipitem deiiciendam inuita quaſi cogebatur. Pergit dein Cl. Auctor ad alterius ſpeciei, in
p. 65. ſummo gradu conſtitutae, ſymptomata, inter quae hoc noſtram potiſſimum excitat attentionem, quod nulla mere ſpaſmodica melancholia perpetuo et ſine interuallis diuexet, ſed hoc ſigno praecipue ab humorali differat, nihil mali relinquens praeter ſenſilitatem ſummam inter vacua, quae habet, interualla. Diu durat vterque morbus, et plures per annos ſenſim ſenſimque inualeſcit, tandem alius acceſſit et degener fit, hinc omnia, quae melancholiae ſuccedunt, mala ad compoſitam referuntur, excepta tamen vaſorum ruptura, ad ſenſilitatem et debilem ac tenſam fibrarum craſin reuocanda. Com-
p. 71. poſitae tandem melancholiae, praeter alios morbos, febrim nerueam dictam ſuccedere, atque hanc poſt leuiores inſultus tandem vehementer erumpere, delirium, obſcurum, conuulſiones, mox phrenitidem atque

atque mortem inferre, atque hoc ſtadium huic ſoli
febri proprium eſſe.

Inter *cauſſas melancholiae nerueae procatharcti-* p. 83.
cas cap. 4. numerat Cl. Auctor aeris variatam condi-
tionem, calorem et ariditatem loci, in quo viuitur, hinc
nullibi magis exquiſitum graduque vehementius me-
lancholiae nerueae genus reperiri contendit, quam
inter Aſiae auſtralis populos, praecipue inter illos,
qui ex Europae ſeptentrionalis regionibus iſtuc ad-
uecti viuunt. Minerarum viciniam, halitusque ex
paludibus noxiis forſan vnam e cauſſis eſſe autumat,
cur ſua Britannis competat melancholia neruea.
Porro huc reducit alimenta acria, potulenta ſpiri-
tuoſa, venena, aut medicamentorum, quae in ner-
uos agunt, opii, ſolani furioſi, moſchi, croci abuſum,
variarum excretionum naturalium ſuppreſſionem,
vel nimiam profuſionem, ſiue ſponte ortam, ſiue
praepoſtere accitam, ſubitas et magnas humorum
iacturas, inprimis ſanguinis, vnde declaratur, quare,
quod hiſtoria conſtat, vulnerati et ſanguine exhauſti
heroes interdum fiant puſillanimes. Quae a men-
te proficiſcuntur cauſſae, ſunt profunda meditatio,
(hinc litteratis adeo frequens neruea melancholia,)
ira furens, laetitia immoderata, amor et flagrans coeun-
di libido, metus et moeſtitia. Nihil magis vero to- p. 96.
num partium peſſundat, quam alternae viuidarum
animi affectuum, ſeſe mutuo excipientium, vices, hinc
leuis et inconſtantis animi homines melancholia fa-
cillime corripiuntur. Ad particulares vero cauſſas,
quae nunquam ſimplicem melancholiam nerueam,
ſed ſemper alteram progignunt, referuntur ventri-
culi dolores, iecinoris lienisque affectiones, renum p. 99.
mala conſtitutio, vt et calculus, cerebrum et par-
tes ſemini, aut recipiendo, aut eiiciendo in vtroque
ſexu deſtinatae, quae cuncta variis non ſolum exem-
plis Cl. Auctor illuſtrat, ſed quoque, quomodo

ſingulae cauſſae noceant, lucide commonſtrare allaborat.

p. 103. *Signorum melancholiae nerueae diagnoſticorum cap. 5. et 6.* conſtituuntur duo genera; alia, quae ſolummodo morbi praeſentiam, alia, quae diuerſas eius cauſſas indicant. Ad *illa* pertinet 1) mentis debilitatae error, qui apparet nimia ſenſilitate, dum mens omnibus rebus, gratis aeque ac ingratis, nimium commouetur; 2) impar relatio motuum, ſiue muſcularium, ſiue tonicorum et obiectorum, quae in corpus aut mentem agunt, e. g. ſpaſmorum, conuulſiuorum motuum, palpitationum cordis, et ſimilium ſymptomatum, ab exigua cauſſa, vel poſt leuem auditum ſtrepitum ortorum; 3) excretiones peruerſae: lacrymae copioſae, vrinae limpidiſſimae et copioſae, ſaliua guttatim affluens aquoſa, aut ſuccus ventriculi, vomitus vi eiectus, 4. atonia, effectus vehementium ſpaſmorum. *Haec* vero, cauſſarum indicia, Cl. Auctor in tres claſſes diuidit, quarum prima eas continet cauſſas, *quae intra corpus admiſſae, ita in neruos agunt, vt quaelibet proprium ſibi ſymptoma, propriam diagnoſin vindicet*, ſeu, quae ab alimentis, medicamentis, venenis, nimiis euacuationibus varii generis, a pulueris ſternutatorii etiam abuſu * pendet; ſecunda eas, *quae ſenſus primario afficiunt*, vel ab animi influxu in corpus feruntur e. g. ſui ipſius odium, amorem, admirationem: quorſum referuntur mala perpetrati ſceleris conſcientia, vana ſuperſtitio, erotomania, furor vterinus, enthuſiaſmus atque ecſtaſis; tertia demum illas, quae non in vniuerſo corpore, ſed in ſingularibus partibus reſident, atque ab earum actione peruerſa proficiſcuntur, e. g. ab

vtero

* Vſitati pulueris ſternutatorii abuſum, tam epilepſiam, quam ipſum furorem mirum in modum augere nos in ptochotropheo Waldheimenſi creberrima experientia edocti, certo aſſeuerare poſſumus.

vtero, a calculo in renibus, vel vreteribus haerente, a quo ſaepe nerueam melancholiam ortam eſſe narratur.

Progreditur hinc Auctor in *capite 7. ad diuerſa ſymptomata*, quae nouum nomen melancholiae nerueae imponunt, et ad morbos, qui eam excipiunt. Neruea melancholia, mutato tantum nomine, in foeminis non nunquam affectionem hyſtericam conſtituit, ſi ſymptomata huius morbi, aut conferta, et cum quadam vehementia breuibus interuallis recrudeſcunt. Haec vero vel vno impetu ſaeuit, acuti morbi in modum, vel ſtatis et regularibus paroxyſmis febris intermittentis aemula reuertitur, vel anomala et irregularis, paroxyſmos abnormes concitat. Prior, cum a cauſſa vehementiori oriatur, reliquis curatu eſt facilior et huc reducenda eſſe catalepſiarum et longarum inediarum exempla, Auctor putat. Alterius cauſſam, vt omnium morborum periodicorum, in neruis quaerendam eſſe perhibet, cum nerui quotidie eadem hora in eodem ſtatu reperiantur. De tertia notauit tantum id, in quo a melancholia ſimplici differat, fateturque ſe inter hypochondriacos, ſimplici affectu laborantes et neruea melancholia vexatos, nullam huc vſque differentiam deprehendiſſe. Maniacorum vero mere nerueorum memoriam integram, iudicium facile et liberum eſſe aſſerit, ſolam imaginationem laedi. Atque hanc eſſe, vel cum affectu, vt ab amato aut occupante obiecto nullatenus diuelli poſſit; vel ſine affectu, vbi ad omnia indeterminatim mens inſanit; hinc quoque maniam nerueam aliam eſſe perpetuam, aliam intermittentem, eamque aut periodicam, aut anomalam. Nunc cauſſas rimatur, cur plures melancholici nunquam ad maniam vſque euehantur, alii vero facilius et quaſi ſubito corripiantur inſania; inde tamen non ſatis concipi poſſe aſſerit, quomodo

p. 159. p. 163. p. 164.

haec

haec perpetua ſit, illa intermittat, niſi dicatur, interruptam reuiuiſcere ex occaſione, qua data, erumpit, abſente, conquieſcat. In neruea autem mania ineſſe ſemper aliquid conuulſiui, eandemque, cum affectu ingente ſtipatam, incedere, hinc nullibi mortis cupidinem maiorem, quam ſibi ſaepius conciſcant, quaſi illos nunquam poena deſerat. Signa vero, vt internoſcatur, humoralisne ſit mania, an neruea, admodum difficile colligi poſſunt. Melancholiam nerueam tandem excipiunt 1) febris lén-
p. 176. ta neruea 2) maraſmus ſ. phthiſis neruea et 3) paralyſis atque hydrops, qui partim tonum auctum, partim contra fractum peſſundatumque exhibent. Sic commonſtrat Auctor, febrim lentam melancholiae inueteraſcenti ſuccedere, in principio quidem vix cognoſcendam, praeſentiendam tamen ex languore quodam animi et corporis, ariditate cutis, dolore artuum oſteocopo cet; exiſtentem et confirmatam indicare pulſus vacillantis frequentiam, ſummae debilitati conſociatam, atque illam vel in-
p. 179. termittentem vel continuam eſſe; abire ſaepe inopina ſanatione in ſtatum ſanitati propriorem, ſi excitantes cauſſae ſemouentur, v. g. ſi laetitia excipit moerorem. Si autem ingraueſcat, nullaque fiat a cute exhalatio, cachexiam huic febri cum febre cachectica ſuccedere, quam excipit hydrops, vel ſi ſit ſiccitas, melancholia humoralis. In feliciſſima vero terminatione in phthiſin et febrem hecticam abire, quod ex adiuncto calore, qui prius conſtans non erat, et ad veſperam ingraueſcente, auctaque
p. 184. aegri confidentia, cognoſcitur. Hanc vero eas praeſertim cauſſas mature inducere, quae corpus quaſi perpetuo erethiſmo, vt moeror, triſtitia etc. ſtrin-
p. 186. gunt. Quos vero acris aliqua materies phthiſicos effecerit, illos ad hanc tabem non pertinere perhibet. Aegros fere omnes ad frigus nimis impatien-

tes

tes eſſe, cum intus quaſi frigeſcant. Sine febre plures per annos perſtare, cum febre autem ad fi- p. 187.
nem tendentem ſaepius phthiſeos ſuppuratoriae formam induere. Cum paralyſis ex Noſtri ſenten- p. 188.
tia ab atonia fibrarum dependeat, et in ipſa origine aliquid conuulſiui habeat, raroque abſoluta atque perfecta occurrat, ab eiuſmodi hominibus ſaepius adhuc actiones, ſed conuulſiue et quaſi per ſaltum, poſt praegreſſum tremorem, peraguntur. Ex hac paralyſeos natura vero circuli ſanguinis retardatio facile concipi poteſt, ex qua vel ſtagnatio, gangraena et ſphacelus, vel promtior, vel facilior atoniae tranſitus in hydropem.

In *parte altera* de *melancholia humorali* exponi- p. 191.
tur. Veteres melancholiam inter morbos non ſolum ab humorum vitio repetendos, ſed etiam ab intemperie humoris naturae affinis, et inter elementa corporis conſtituti ſaepe ortam eſſe aſſeuerarunt. Recenſet igitur Cl. Auctor *cap.* I. ex antiquiſſimis ſcriptoribus HIPPOCRATIS, GALENI, AETII, ARETAEI, ALEEXANDRI TRALLIANI, PAULI AEGINETAE, ex recentioribus FERNELII, SENNERTI, PARACELSI, HELMONTII, WILLISIIque de humoris melancholici, et atrae bilis natura, melancholiaeque cauſſis et ſedibus ſententias, quae, licet multum diſcrepent, omnes tamen in eo conueniunt, vt cauſſa morbi huius extra cerebrum ſit quaerenda, a qua illud demum laedatur. Ex recentiſſimis temporibus SYDENHAM ſpirituum ataxiam generandi huius morbi incuſat, a quo vero HIGHMORUS et FR. HOFFMANNUS diſſentiunt, qui, quamuis ſpirituum ataxiam in genere non negauerint, huius tamen morbi ſedem in ventriculum hypochondriorumque confinia poſuerunt. Adeoque nunc duplex opinio medicorum vi- p. 223.
get, aliorum, qui melancholiam pro ſimplici ſolido-

rum

rum vitio habent, aliorum, qui in ea efficienda ſanguinem craſſum, viſcoſum, terreum, circa aut venae portarum, aut vteri oſtia haerentem, admittunt. BOERHAAVIUS tandem atram bilem e tenebris rurſus eruit, eique nouam formam dedit. Miratur vero Cl. Auctor illum vnicam tantum melancholiae ideam ſuppeditare adeoque eum videri cum Stahlianis conſentire. Verum aſſentitur BOERHAAVIO neganti, melancholicum humorem inter humores naturales recenſeri poſſe, cum ille ſemper ſoboles ſit vitiati corporis.

p. 227. *Melancholiae* igitur et *atrae bilis exiſtentiam* commonſtraturus in *capite* 2., primum ad ſanguinis, deinde ad bilis naturam reſpicit Auctor; hinc primo loco oſtendit: proportionem partium ſanguinem conſtituentium variare, nunc plus eſſe partium terreſtrium, craſſiorum, nunc aquei liquidi. Liquida quaeque, rapido motu circumacta, ſi heterogeneis conſtent partibus, adipiſci acredinem quandam, alcaleſcentem ſcilicet volatilem. Hinc in eo ſanguine, qui multum exercitatus eſt, plus procliuitatis ad putredinem obſeruari, quam in eo, qui tardiore motu incedit. Minus quoque a motu dilutum eſſe cruorem, magis ergo ſolidis foetum partibus, hinc variam pro varietate motus ſanguinis denſitatem. Melancholiam quamque ab alacritate ceſſante principium ſumere. Alacritatem vero peruiam atque meabilem omnium vaſorum conditionem, tenacitatemque debitam, fluiditate temperatam, in liquidis ſupponere. Quodcunque ergo, aut vaſis meabilitatem aufert, aut liquidis debitum tenorem impedit, illud alacritatem ſimul tollere. Humorum autem eam conditionem veteres ſpiſſam ſimul atque acrem voluiſſe, in qua ingens motus difficultas ſit, eamque aduſtionem et incinerationem vocaſſe. Huius autem duplex genus ſedulo diſtinguendum

1) ab

1) ab iis cauſſis, quae, dum motum intendunt, tenuitatem etiam principiis ſanguineis impertiunt, 2) earum, quae liquidioribus ablatis, tenuitate imminuta, ſpiſſitudinem augent. Priores cauſſae denſitatem ſic dictam inflammatoriam accendunt, poſteriores ſpiſſitudinem piceam, viſcidam conciliant, quam melancholiam licebit nuncupare. Hinc in illa tenacitate aquea liquida admiſſa iunguntur maſſae ſanguineae difficilius, faciliusque effluunt, et 2) vt ſpiſſitudo inflammatoria facile in melancholiam tranſit, ſic fieri poteſt huius in illam tranſitus. Hoc autem pendere a motu nouo ſolidis quacunque de cauſa impreſſo. Si vero ſolida ad nouum motum non irritentur, maſſam ſpiſſiorem, non aucta ſolidorum actione, conſtituere et frigidum et ſiccum humorem veterum. Perſeuerante hac ſanguinis conditione, coctiones neceſſario vitiari, hinc chylum ſpiſſiori liquori non admiſceri, ſed per tenuiora vaſa maximam partem effluere. Inde vero vitali animali fluido defraudari fibras, areſcere, infirmari. Arefactas fibras viuaciores concipere oſcillationes, debilitatas infirmiores. Hinc ſpiſſitudini melancholicae iungi melancholiam nerueam, id quod binis exemplis illuſtrat. Alteram vero melan- p. 237.
choliae et bilis atrae ſpeciem oriri a bile acri vitellina corrupta. Bilem in hepate ſecretam tenuiſſimis conſtare partibus, hinc facile reſorberi et in ſanguinem refluere, et quoad colorem in porraceam vitellinamque abire poſſe, quod ii, qui viridia euomunt, probant. Cauſſas, bilem in acre acidum conuertentes, ad quatuor capita reducit; 1) vitia ſanguinis, glutinoſo ſpontaneo abundantis, atque v. g. chloroſin, inſonte vtero, in melancholiam immo et maniam ſaepius degenerem producentis; 2) hepatis et organorum eiuſdem ſecretioni et aſſeruationi inſeruientium, cum v. g. bilis ſola ſtaſi ſine vlla

vlla acidi miſcela viridem * acquirat colorem; 3) contentorum in ſtomacho et inteſtinis v. g. abuſu acidorum; 4) cauſſarum qualiumcunque in reliquis corporis partibus habitantium concurſum v. g. viridium vomitus poſt capitis vulnera grauiora. In atrum vero verti liquamen, partim ab iisdem cauſſis intenſioribus factis, partim vero a lienis affectionibus, quibus ſoluuntur, ſi materia nigra per diarrhoeam ſecedit; ſic Noſter quoque hyſtericam vidit, quae ſub paroxyſmi ſolutione vrinam atram, atramenti inſtar redderet, in alia atra bilis cum in-
p. 247. ſigni leuamine ex vtero exiit. SIMSONI ſententiam, ſanguinem extrauaſatum, ſtaſi atrum factum, atram bilem mentiri, in variis quidem caſibus concedit, aliis tamen refellit, notasque affert, quibus atra bilis a ſanguine atro diſtingui poteſt. Scilicet ſanguinem atrum copioſe dilutum lintea macula obſcure rubeſcente, atram bilem contra vtut copioſe dilutam macula flaua, non niſi frequente ſaponis vſu delebile inficere. Odorem nigrae bilis, tum vomitu, tum per aluum emiſſae, ad nares fortiter aceſcere, qui ſanguini putrefacto competere non poſſit, et in foetidiſſimum vertatur, ſi atra bilis vl-
p. 253. cerando ſanguinem eliciat. Oſtendere dein ſtudet acidi

* Solam ſtaſin bili viridem, ne dum atrum, colorem non neceſſario conciliare, nos inter alia quoque edocuit ſectio viri 54. annorum, a pueritia ſtupidi, maxime iracundi: et inter epilepticos inſultus demortui, in cuius ductu cyſtico vnus ex quinque lapidibus baccae rubi magnitudine et figura, coloris ſtraminei, firmiſſime incarceratus omnem bilis cyſticae exitum prorſus impediuerat. Veſicula ipſa vero turgidiſſima, loco bilis, et quidem ex hac hypotheſi, viridis vel atrae, vncias duas cum ſemiſſe liquaminis candidiſſimi, viſcidiſſimique pellucentis, nequaquam acidum ſpirantis, albumini ouorum recentium ratione conſiſtentiae ſimillimi, continebat.

acidi, intra vaſa actionem ſuam exercentis, exiſtentiam ex iuſculorum ſepoſitorum aceſcentia tanta, quae etiam ebur, vt in lacte, emolliat. Hanc aceſcentiam ſanguinis a chyli acore proficiſci arbitratur. Ex virus cancroſi, ſcirrhos emollientis et in peſſimum vlcus conuertentis, efferueſcentia cum terrreis, ex oſſium emollitione, quae a ſolis acidis * emolliri poſſint, variisque teſtimoniis exemplisque, acidum diu in corpore et praecipue pituita glutinoſa inuolutum latitare poſſe demonſtrantibus, patere putat, veteres nequaquam vanos fuiſſe, cum hinc nigrum humorem, illinc melancholiam, ex vtrisque vero natam atram bilem diſtinguerent, quod etiam aliis, cuiusque harum trium ſpecierum exemplis, a ſe ipſo obſeruatis et viſis, vlterius illuſtrat.

In *cauſſas capite* 3. inquirens, quae melancholiam producunt, triplicem earum indagationem inſtituit, 1) quae a porraceae bilis corruptione 2) a pituitae acris vitio, et 3) ab vniuerſa ſanguinis craſi, melancholicum vitium contrahente, pendent, quas rurſus in duplicem claſſem diuidit, vt alias ab internis diſpoſitionibus, morboſum ſtatum conſtituentibus, alias vero ab externis, vndiquaque nos ambientibus inſidiis deriuat. Sic in ſenibus aliquando morbis inflammatoriis; ſic ipſi morborum acutorum acriſiae; ſic et viribus ab iisdem morbis exhauſtis, vt et morbis, a venenato miaſmate pendentibus, v. g. variolis, melancholia facile ſuccedit. Chronicos vero morbos triplici ratione ad humorem p. 264.

* Acidum vero, ſi vnquam, certo rariſſime, emollitionis oſſium cauſſam eſſe, iam dudum demonſtrauit Cl. LUDWIGIUS in diſſ. de laeſa oſſium nutritione Lipſ. 1759. Vid. etiam Commentar. hor. Vol. IX, pag. 141 ſqq.

rem melancholicum producendum conferre, 1) ſi morbus ſingularis ex viſceris alicuius obſtructione vel functionis laeſione vniuerſalem inducat, 2) ſi ſecretio naturae familiaris intus retineatur, et 3) ſi fermentum aliquod, in ſanguine enatum, intra molem cohibeatur, aut in partem aliquam contra naturae inſtitutum depellatur, Oſtendit dein, quomodo hepatis et praecipue lienis obſtructio humoralem melancholiam gignat. Lienis morbum prolixe deſcribens ex veterum ſententia, praecipue ex colore vultus lurido et atro, ſublatoque hypochondrio ſiniſtro cognoſci poſſe ſtatuit, * viditque lienem tanquam veſicam aere plenam, qui diſciſſus, quaſi aere exploſo, concideret. Ex altero genere haemorrhoidum ſecretionem, aut interruptam, aut ſuppreſſam ideo ad hunc morbum concitandum plurimum conferre arbitratur, quia 1) plethoram et inde ſequentia mala infert, 2) hanc praecipue in hepar, lienem atque ventriculum defert, et 3) miaſmata impura, alias cum haemorrhoidibus excreta, totum corpus inficiunt, id quod
p. 280. variis exemplis illuſtrat Tertium tandem genus a miaſmate venenato, intus cohibito, pendens, in varias claſſes rurſus diſpeſcit, ſc. 1) in illa, quae ſolida ſine magno quidem dolore aut febre, importune tamen, vellicant, pungunt, ſtimulant, orto enim graui dolore, aut febre, melancholia ſoluitur, vt v. g. erumpente podagra, vel febre acuta, ſaepius fieri ſolet; 2) quae ſtimulant aeque ſolida, ac in fluida agunt, vt v. g. lues venerea, lepra, papulaeque melancholicae, pruritus enormes excitando; 3) quae

* Ex his ſignis iudicaturus, in ptochotropheo Waldheimenſi vix vllum lienis morbo laborantem agnoſceret, cum tamen in numeroſis melancholicorum diſſectionibus varios lienes, morboſe affectos, licet non aere diſtentos, inuenerimus.

3) quae in fluida potius, quam in ſolida agunt, quod fit ab humoribus, qui facile ad aceſcentiam vergunt, v. g. a lacte grauidarum, aut puerperarum, ſi acore reliquum inficiat ſanguinem, a lue ſcorbutica. Praediſpoſitionem vero ad humoralem melancholiam in indole, a ſex rebus non naturalibus enata, quaerendam eſſe arbitratur. Sic atmoſphaeram Angliae frigidam et humidiorem melancholiae nerueae, aridiorem e contrario calidarum regionum temperaturam humorali magis fauere ex copioſori morborum iſtorum prouentu oſtendit, concedit tamen et acerrimum frigus ad melancholicum humorem producendum concurrere poſſe. Plurimum etiam nocet et gignendo huic morbo potiſſimum inſeruit victus durior, tenacior et copioſior, p. 286. praeſertim ex aceſcentibus et immaturis fructibus, ſubitus a victu leuiori ad duriorem, a labore et exercitio ad otium tranſitus; animi triſtia pathemata, veneris praepoſterus vſus, purgantia remedia quaecunque, acrium ſpirituoſorum, praeſertim vinoſorum, opii, narcoticorumque abuſus.

De melancholiae humoralis ſede agitur in *capite* 4. p. 295. Quamdiu humor melancholicus cum ſanguine per totum corpus oberrat, diſpoſitio tantum, non vero ipſe melancholiae morbus adeſt; proxima vero eſt ſtagnatio; cerebrum ceu debiliſſima pars reſinoſae et piceae ſanguinis craſſi diatheſi facillime cedit. Et cum facies in nullo alio, ac in hoc morbo, ita cum interioribus conſentiat, haec in his aegrotis, aut magis, aut minus lurido colore indubitata latentis in cerebro mali ſigna prodit, licet cauſſa eiusdem ab abdominali vitio pendere poſſit. Hinc grauidas ſaepe melancholicas fieri, ſaepiusque iis foedari faciem, rariſſimo exemplo nobiliſſimae foeminae, triginta circiter annos natae, grauidae, Auctor comprobat, cui parum melancholicae, ſeptimo

grauiditatis menſe facies ſenſim nigerrimo colore ad collum vſque obducta fuit, intactis oculis intactoque labiorum rubro limbo, qui partus tempore ſudore nigro, lintea atramenti inſtar tingente, maximam partem et biduo poſt lochiis rite fluentibus prorſus ablatus eſt. In altera vero hanc proxime ſecuta grauiditate, redeuntem hanc faciei nigredinem primi obortae tertianae febris inſultus penitus
p. 302. ſuſtulerunt. * Tertia demum et frequentiſſima melancholiae ſedes ea ſunt viſcera, quae ad bilis ſecretionem, aut per ſe, aut inito cum hepate commercio, concurrunt. Lienem vero tanto volumine intumeſcere autumat Noſter, vt eo tanquam zona cingantur homines, tantaque celeritate detumeſcere, vt ſaepe receptaculi ad inſtar videretur conſtitutus; ſua vero tumefactione ita inteſtina comprimere, vt flatus et borborygmi ab eo exire dicti ſint ſub nomine rugituum lienis, id quod nos in tanto melancholicorum confluxu, creberrmisque eorum diſſectionibus nunquam obſeruaſſe, ingenue fatemur. De atra bile vero mota aſſerit, venenum melancholicum, ſi aliquid acredinis natiuae conceperit, glandulas lymphaticas inficere, lymphae ſpiſſiori inhaerere, et ſi ab occupata ſede deturbetur, miſerrime alias,

* Nos Cl. Auctoris obſeruationes nequaquam in dubium vocamus, miramur vero, nos per integrum nouennium inter plus, quam quingentos melancholicos maniacosque, ne vnum quidem faciei nigredine notatum conſpexiſſe, licet facile concedamus ſub finem morbi, faciem, cachectico paulloque in icteritium vergente colore foedatam, deprehendi. In principio vero et ſtatu morbi ſaepius perplures iuuenes et puellae, quin immo foeminae hoc morbo per decennium et quod excurrit, conflictatae, tanto adhuc venuſtatis decore praeditae conſpiciuntur, vt plures alias eiusdem aetatis, ſaniſſimasque pulchritudinis forma longe antecellant.

alias, attamen aut ſtructura, aut vſibus anologas * partes inuadere, id quod notabili funeſtoque exemplo illuſtrat.

Melancholiae humoralis ſigna et ſymptomata capite 5. expoſiturus, tria ſtadia perſequitur 1) incipientis, 2) adultae et 3) inueteratae. Deſcribit igitur, quomodo praediſpoſiti ad hunc morbum cognoſcendi ſint, et licet ſaepe aliena larua indutus, incedat, hoc tamen ſibi proprii habere, quod frigoris vndequaque diffuſi ſpeciem praebeat, nec vllam afferat febrilis incendii ideam. Omnibus vero, quibus malum epigaſtricam regionem et vtrumque hypochondrium obſidet, commune fere eſſe enormem, immo ad ipſam tangentis manum ſaepe ſtupendam pulſationem, qua vniuerſum abdomen concuti videatur, quam ab ipſa aorta deriuat. Si vero melancholia ſit in vteris, ſymptomata eadem, quae in melancholia neruea obſeruari, differentia ab exeunte humore albo, cauſſisque praegreſſis ſumta. Quos cauſſa, vniuerſum corpus occupans, diuexat, illos in primo morbi ſtadio ſumme macilentos eſſe contendit. His etiam proprium eſſe, cutim foediſſime deturpari; humore enim ad cutim delato, intolerabilem oriri pruritum, hinc a ſcalptura fiſſuras vlceraque produci maligna, vix ſanationem admit-

p. 308.

* Sic nos in quatuor maniacis eiusmodi glandulas infarctas, grani milii et cannabis magnitudine, innumerabiles, et tanta copia in externa ſuperficie ventriculi totiusque inteſtinorum canalis; in binis vero ex his non ſolum in hoc, ſed etiam in tota peritonaei circumferentia, in vtroque latere omenti meſenteriique, nec non in tota ſuperficie diaphragmatis, abdomen reſpiciente, et inferiore hepatis ſuperficie inuenimus, vt nullibi locus, nummuli magnitudine, ab iis liber deprehenderetur, quarum quaedam lentis magnitudinem aequabant, et in vnico cadauere nigro colore praeditae conſpiciebantur.

admittentia, (id quod in ptochotropheo Waldheiheimenſi vix vnquam fieri meminimus,) ſi vero hac via omne malum exhauriatur, quod eueniſſe vidit Noſter, hoc non niſi ſumma cutis iactura fie-
p. 319. ri. In altero ſtadio vix aegrotant miſeri, ſed vni am ideae eique moeſtiſſimae affiguntur. Aliquando tamen ſubito erumpit melancholia, quod duobus ſat notabilibus exemplis illuſtrat. Ordinis vero gratia melancholiam nunc praeſentem et iam confirmatam duplici in ſtadio conſiderat Auctor. 1) decurſus ſcilicet et 2) degeneraſcentis atque ad aliquem terminum tendentis. Incipit autem ab vltimo, vtpote leuiore, ſignaque, quibus breuiter minatura a vulgari melancholia diſtingui poſſit. Illi ſunt: frigora huc et illuc decurrentia, ſaepe cum enormi glaciei ſenſu in hac vel illa parte, ad oſſa vſque interiora penetrante, cui ſuccedunt calores incerti, et paulo poſt ſymptomata, parti, per quam debet humor melancholicus exire, propria. Aut enim ad cutem * defertur, aut ad glandulas, aut vias, quibus inteſtina patent, affectat, quae omnia vna cum vomitu nigro ſatis clare deſcribit exemplisque illuſtrat. Si vero per aluum ſolam fertur humor ater, modo grumoſus apparet, quaſi e ſanguine concreto formatus, et vero ſanguine mixtus, modo ſincerus; prodit etiam ſpecie picis liquidae, abraſaque ſecum ab inteſtinis glutina et mucaginem loco natiuam auehit, quae vero excretio raro vltra ſeptem dies perdurat. Noſter quoque talem exire vidit, qualis euomitur, ramentorum nigrorum ſumme dilutorum ſpecie, et ſaepe ſine vlla violentia ſymptomatum per menſes integros.

Feminis

* Huic forte oculi annumerari poſſunt. Vidimus enim maniam ſex et quot excurrit menſium, atrociſſima oculorum inflammatione breui temporis ſpatio feliciſſime terminari et prorſus euaneſcere.

Feminis vero humor ater exit ab vtero per ſeptem, aut nouem dierum ſpatium. Viris quoque rarius, feminis autem frequentius melancholia per veſicam et vrinas expurgatur, fluxu per aliquot dies durante. Qui vero humoris exitu non liberantur a morbo, horrendis tandem ſymptomatibus conficiuntur, quae Noſter in quatuor diuerſis ſectionibus et quidem 1) de ſymptomatibus hypochondriorum et abdominis, 2) partium in thorace contentarum, 3) capitis, 4) cutis et artuum vlterius proſequitur, quae cum omnia hic recenſere nequeamus, quaedam ſaltim exempli loco commemoraturi ſumus. Notamus ergo, hypochondriorum ſublationes inter noſtros rarius obſeruari; noſtris quoque melancholicis rarius contigit, vt ab aluo depoſita peius, ſed plerique e contrario melius ſe habere videantur. Symptoma illud, quo exquiſite melancholicus poſt emiſſam aluum tota abdominis parte ſiniſtra, ab epigaſtrio ad hypogaſtrium aere turgeret, depreſſa interea dextra eius parte, nullo modo explicari poſſe arbitratur. * Miramur vero Cl. Auctorem inter haec canalis inteſtinorum ſymptomata vermes

 prorſus

* Nos quidem hoc ſymptoma nondum obſeruauimus, quod vero illi non adeo difficile videbitur extricatu, qui ex crebrioribus eiusmodi cadauerum diſſectionibus miras illas inteſtinorum tam inter ſe, quam cum peritonaeo, meſenterio praecipuisque viſceribus per innumerabiles membranas, concretiones conſtrictionesque, modo per vniuerſum abdomen, modo in vno tantum latere deprehendendas, mirasque coli tam praeternaturales expanſiones, quam aberrationes a ſitu naturali, dum nimirum non ſolum ſub hepate ſaepius iterum ad coecum vſque deſcendit, et hinc vel ſtatim rurſus ad hepar adſcendit, vel hypogaſtrium tranſuerſim peragrans, in ſiniſtro demum latere verſus lienem adſcendendo conſueta via terminatur, ſed etiam ſaepe numero prope finem ex pelui

prorſus omiſiſſe, qui tamen haud raro atrociſſima ſymptomata, quin immo mortem adferunt.* Symptomatibus partium in thorace contentarum Noſter annumerat aſthma periodicum conuulſiuum et obſeruauit aliquoties ſine vllo tumore aliquam anginae ſpeciem per decem menſes integros, quae deglutitioni ** plus morae, quam doloris iniiciebat. Sic quoque mulierem cognouit, quae ſputa nigra, puluere atro obſita, longum per tempus exſpuerat, ſummaque anxietate ad ſcrobiculum cordis ingenteque ſuffocatione matutino laborabat. Ex ſymptomatibus capitis eſt melancholicus

capitis

pelui recta rurſus verſus {vmbilicum ventriculumque adſcendit, ibique, curuatura ſiniſtrorſum facta, in peluim regreditur, rite cognouerit.

* Lumbricos enim ſub finem morbi crebrius ex ore reiici, non adeo rarum eſt. Vidimus maniacum, exulceratione leuiore naſi labiique ſuperioris fere continua vexatum, qui primo vulgo ſic dicto crampo admodum dolorifico vnius, hinc et alterius manus brachiique afficiebatur. Simili dolore haud ita longe poſt pes vterque atque crura corripiebantur. Hunc ſtatim excipiebant conuulſiones atrociſſimae totius corporis, et continuae per plures dies, inter quos ſummosque cruciatus eiulatusque aeger magnam lumbricorum vim ſenſim euomens, miſerrime exanimabatur. Cadauere aperto, inter alia notatu digniora, rariſſimo, et quantum ſcimus, nunquam antehac cognito exemplo, tres quoque magnos lumbricos mortuos veſiculae felleae vna cum bile, halecum ſalitorum muriae, quoad colorem et conſiſtentiam, ſimillima, incluſos, ſectione deteximus.

** Sic vir per plus, quam decem annos perpetuo maniacus, ex longo iam tempore incontinentia vrinae vexatus, nuper ſub lenis febriculae inſultu tanta deglutiendi difficultate absque vlla inflammatione, tumore aut dolore per quatuordecim dies laborabat, vt, quidquid deglutire conabatur, per nares redderet, inter quae, excrementis ſine ſenſu ſecedentibus, mortuus eſt.

capitis dolor frequens, et leuis coryza, capitis a ſomno ſurgentibus grauedo, difficilior ad quaſcunque ſerias res attentio, non niſi capitis dolore luenda. Ad ea quoque refert abſurdorum adpetentiam, quam raro in viros cadere autumat, nos vero in viris quoque pluries iam obſeruauimus. Inter ſymptomata externa cutis et artuum praeter colorem, maculis foedatum, refert tumores duros cum ſcabritie quadam coniunctos, tenaces, rebelles, quibus Noſter in milite totum dorſum conſperſum vidit, qui, imprudentius cauteriis tractati, breui mortem accelerarunt. Omnium vero peſſimum eſſe maculas, quae in gangraenam, ſphacelum, aut vt veteres vocabant, in cancrum abeunt. Vidit Noſter virum, qui, progrediente malo, in gangraenam ſiccam incidit, qua per triennium depaſtus occubuit.

Quum tandem Cl. Auctor *capite 6. melancholiae humoralis in alios morbos abeuntis, ſymptomata* explicare ſtudet, incipit ab inſania, quam dicit eſſe corporis aegrotantis conditionem illam, in qua iudicia, a ſenſibus oriunda, nullatenus, aut inter ſe, aut rei repraeſentatae conueniant. Varias huius ſpecies recenſet, hic vero de ea tantum agit, quae melancholiae ſuccedit, aſſeritque, imaginationis viuaciociorem impetum inter alia recte inter praediſponentes ad inſaniam cauſſas recenſeri. Nimis vero generaliter eloquuta eſſe videntur, quae in P. II. Cap. III. p. 284. iam attulit, *neminem melancholicum, neminemque*, quod hic repetit, *maniacum naſci* *. p. 359.

Tt 5 Raro

* Ex ipſa enim Cl. Auctoris in limine huius libri data melancholiae definitione, quod ſit *mentis illa impecillitas, a corporis vitiato habitu oriunda*, etc. iam ſatis patet, multos eiusmodi imbecilles, et a pueritia ſic dictos ſtupidos, quibus ptochotropheum Waldheimenſe

Raro ipſi primaria maniae cauſſa intra cerebrum hoſpitari videtur, recenſitis itaque cauſis, quae primo melancholicis, atra bile laborantibus, maniam accerſunt, duplicem ſymptomatum claſſem conſtituit, quarum altera incipientem, altera confirmatam comitantur. Suadet iis, qui curam ſuſcipiunt, ſedulo animaduertere, quo delectentur, quid fugiant maniaci. Sic vix vnum reperiri aſſerit, qui tabaci puluere, etiam ante inaſſuetus, ſummopere non delectetur, quod experientia confirmari etiam nos obſeruauimus: vix vllum quoque eſſe perhibet, quem non, momento ſaltem temporis, ſonus inſtrumenti muſici perceptus e furore reducat. Et quamquam multa abſurda perpetrant, aliqua tamen

heimenſe vere abundat, naſci, ſed praeterea quoque vere natus maniacus hic nobis innotuit. Femina enim adhuc dum ſuperſtes, ſatis ſucculenta atque robuſta, quadraginta annorum, continuo ridens, et abſurdiſſima quaeque loquens, caeterum corpore ſana, ante 12 vel 13 annos poſt partum laborioſiſſimum filiae primogenitae in mentis imbecillitatem, ſeu ſtupiditatem quandam incidit, quae ſummopere aucta eſt, cum, durante bello, filia a caeſa arbore matris incuria miſerrime periret. Poſtea breui ante mariti obitum rurſus grauida facta d. 20. Ianuar. 1763 puerum abſque vllius adminiculo ſola mirando modo peperit, vere maniacum. Is enim, cum die 24. Octobr. 1763 vna cum matre in ptochotropheo hoc reciperetur, tanta muſculorum artuumque vi, tantaque ferocia praeditus erat, vt ſaepius a quatuor robuſtis feminis non ſatis coerceri poſſet. Aut enim abſque vlla ratione in cachinnos prorſus immodicos ſoluebatur, aut ira percitus quicquid in manus incideret, veſtes, lintea, lectulos, ceu filum tenue diſcerpebat. Scamna, menſas, quin immo parietes adſcendens, nunquam ſolus relinqui poterat. Poſtea vero dentitionis difficultate, cum non niſi duos inciſorios inferiores oſtenderet, in marcorem phthiſinque incidit, qua die 9. Aug. 1764. ſuffocatus obiit.

men non ſine conſcientia malefacti agere, hinc ſi latens adhuc conſcientiae ſenſus rite excitatur, eum ad ſanitatem reſtituendam conferre poſſe credit. De prognoſi agens monet, plures eſſe morbos, qui, dum inſaniam tollunt, mortem inferunt, hinc vulgatum illud, inſanos, ad mortem proximos, ab inſania liberari, non de omnibus valere, recte annotauit. Inſanos longaeuos, ſi iuuenes melancholia humorali correpti fuerint, rarum eſſe perhibet, nos tamen ex ptochotropheo Waldheimenſi plura exempla in contrarium proferre poſſemus. Morbo acuto incidente, eos obire ex melancholia mota, increſcente vero ſenſim inſaniae cauſſa, conuulſionibus corripi et decedere poſt inſultus aliquos epilepticos. Quosdam apoplexia, plures vero ſubita placidaque morte ſublatos vidit. Cadauerum luſtrationem ſibi vix in vno aut altero licuiſſe fatetur. Pergit ad melancholiam, in hydropem, aut phthiſin abeuntem. Hydropem ab indurato hepate et alio quocunque abdominis viſcere deriuat. Vidit quoque Noſter ſpaſmorum quoddam genus, ad diaphragma ſaeuiens, abdominis molem arctare, ſanguineoque latici obicem ponere, ita vt hinc naſceretur hydrops, nulla interius ſenſibus patente obſtructione, quod ex aperto cadauere conſtitit. Phthiſin vero, a melancholici humoris influxu pendentem, nec ſimplicem, nec vniformem eſſe, pro maiore minoreue indurationis vel eroſionis ratione. Ad duo vero tantum capita referri poſſe, ſiccam nimirum eamque, quae corpus non ſine ingente humorum vi exeunte perimat. Siccam, quam cum variis exitus modis deſcribit, vix aliud ſymptoma habere quam cum moeſtitia atque deſperatione coniunctam marceſcentiam, quae tamen ſub finem morbi omnino fere diſparet. Hanc ſiccam vero phthiſin aliquando, quaſi ſubito, in humidam verti, tuncque leni titil-

p. 378.

latione

latione fauces irritari, ingentemque exire aquae copiam, vt inunctione mercuriali ſaliuantes crederes. Marcorem vero in dies auctum, non, vt in vulgari phthiſi, fiduciam ſimul atque ſpem relinquere, ſed cum deſperatione perpetua coniunctum, eidemque hoc proprium eſſe, quod dolores ad articulos ingraueſcant, ingens ſputorum copia aceſcentium exeat, et ſub finem tantummodo ſtriae ſan-
p. 390. guineae remixtae appareant. Progreditur denique Auctor Cl. ad melancholiam motam, ſeu in morbos acutos abeuntem. His diſſoluitur quidem tenax melancholica viſciditas, augetur vero acrimonia. Hinc nullibi vehementior omnium ſymptomatum excandeſcentia. Poſt ſigna igitur, ex quibus atram bilem motam adeſſe, cognoſci poteſt, oſtendit, ſaepe ipſam in ſtomacho ſcenam peragi, vnde vomitus atri lethales, quorum bina exempla Ipſe vidit Cl. Auctor. Dyſenteriam ab atra bile natam, non tormina ſolum, ſed ſaeuiſſimos cruciatus, dirasque conuulſiones inducere. Atra bilis in hypochondriis inflammata, ſublatis et extra retractis hypochondriis, vehementiſſimum ſibi dolorem adiungit comitem iisque pus, bile atra mixtum, biduo ante mortem infra exit, aliquando tamen acerrima pars, ad cerebrum delata, peſſimam phrenitidem inducit, quae rurſus varie terminatur. Quotiescunque vero atra bilis thoracem occupauerit, immobiles et quaſi lapideos fieri pulmones; hinc quaſi iunctam peripneumoniae orthopnoeam compoſitum morbum facere, quem cita mors excipit. Cum HELMONTIO vero credit, non neceſſe eſſe, vt partes atrae bilis ad cerebrum deferantur, cum ipſa neruorum vacillatio mentis imperium deſtruere poſſit. Duplex igitur ab atra bile mota pendere poſſe phrenitidis genus, alterum cerebro proprium, alterum a partibus incipiens a cerebro diſſitis. Anthrax, gan-

graena,

graena, ſphacelus, a cauſſis internis ſubito cum ipſa morte apparentes, ad effectus bilis atrae motae recte a Cl. Auctore referri videntur.

XI.

ANTONII DE HAEN S. C. R. A. Maieſtatis Conſiliarii et Archiatri Med. Prof. Prim. etc. Pars nona rationis medendi in noſocomio practico. Viennae Auſtriae. Sumptibus Hermanni Ioſephi Krüchten. 1764. 8. pl. 19. Pars decima ibid. 1765. 8. pl. 21. tab. aen. IV.

Pergit Cl. Auctor in declarandis variis doctrinis, P. IX. quae ad medicinam practicam certiorem et excellentiorem reddendam pertinent, et cum in hac parte de dubia diagnoſi in multis morbis agat, in primo capite hiſtorias morborum et ſectiones cadauerum praemiſit, quas ſuccincte deſcriptas, breuius repetere haud poſſumus, praecipua e ſecundo capite indicaturi, in quo pathologicam conſiderationem ſubnectit.

In genere monet viſcerum ſitum in diagnoſi p. 51. formanda probe attendendum eſſe, quanquam ex peruerſo ſaepe ſitu haud paucae fallaciae occurrant, inprimis in morbis epigaſtrii, ſi hepatis moles ventriculum in ſiniſtrum latus protrudit, vel eundem a diaphragmate remouit, ideoque oeſophagum multum protrahit. Et ventriculus ſaepe nimis extenſus dextrorſum vergit, ſaepe in inteſtini formam contractus eſt. Ex his aliiſque differentiis viſcerum apparet, quam caute in morborum ſede definienda verſandum ſit, neque tactu factam diſquiſitionem ſufficere. Hepatis etiam plura mala ſunt, quae icteritius color non comitatur. Facies florida

erat

erat aegro, in quo poſt mortem hydrops pectoris, et membrana externa lienis vere cartilaginea inuenta eſt, et cum pectoris inflammatoriis morbis in ſuperiori capite duorum aegrorum mentio fit, in quibus lien cum eius membrana in pultem conuerſus eſt.

p. 56. Tumor infimi ventris ex varia viſcerum labe, quid? quod ex rene aut veſica, vltra modum extenſis, obſeruatus eſt. Hydropis pectoris praeſentia ſignis ſuis non cognoſcebatur, reſpiratio quidem difficilis et anxia, tuſſicula inanis, tumor hypochondriorum ſine tumore reliqui infimi ventris, diarrhaea et diureſis ſolatium afferens aderat, nocturna tamen anxietas et tumor oedemotoſus inprimis manuum praecipua ſunt ſigna. Et pericardii hydrops, vel per ſe, vel hydropi pectoris iunctus in ſignis ſuis ſaepe fallit, cordis enim quaſi in aquis natantis perceptio eiusque palpitatio in iis deficiunt, in quibus tamen poſt mortem aqua inuenta eſt.

p. 61. Quanquam vero pulſatio tumoris aneuryſma prodit, fallit tamen, alia interdum pulſantis tumoris cauſſa reperta. Matrona 59. annorum inter alia morbi ſigna, tumorem in infima et ſiniſtra epigaſtrii regione haud procul ab vmbilico pulſantem tactui offerebat, ſectio autem cadaueris declarabat colon longitudine quatuor latorum digitorum diametrum ſeſquipollicis habuiſſe, partique ampliatae tantam vtrinque anguſtiam adfuiſſe, vt aër non niſi vi per eandem impelli expellique poſſit, pulſus itaque perceptus ex arteria quadam meſocolica in tumore excurrente, minime tamen ab arteria, in tumorem extenſa, percipiebatur.

p. 63. Gaſtritis valido ventriculi dolore et ingeſtorum reiectione per vomitum, vt ſignis pathognomonicis cognoſcitur, foemina tamen, hoc morbo affecta,

poſt-

poſtquam ab initio ſponte ſepties vomuerat et aluum depoſuerat, poſtea tamen vſque ad mortem alimenta appetebat et retinebat, quanquam ventriculus poſt mortem inflammatus inueniebatur. Mittimus, quae de fallacia ſignorum in paraphrenitide et in ſanguine, variis in morbis e vena miſſo, erudite proponit Noſter, addamus potius pauca de pulſu in peripneumonia. GALENUS et plurimi, p. 78.
qui eum ſunt ſequuti, in hoc morbo pulſum mollem dicunt, quod pulmo non niſi a pituitoſiore et craſſiore ſanguine inflammari queat, Noſter vero ſua et aliorum obſeruatione comprobat, pulſum in hoc morbo, vt in reliquis inflammationibus, durum eſſe, concedit vero tum, cum ſanguis non amplius celeri curſu per pulmones fertur et morti iam proximus eſt aeger, mollem pulſum obſeruari.

Etſi vero quis obiicere Cl. Auctori poſſet, his dubitationibus incertam magis fieri medicinam, aſſumtis tamen opinionibus nihil concedendum eſſe oſtendit Noſter, ſedulo potius in indagandis morborum hiſtoriis et ſectionibus cadauerum verſandum, et dubitationes ideo eruendas eſſe, quo fallacias, ſaepe obuenientes, euitemus.

Capite tertio refert Noſter, ſe hoc anno, nec p. 93.
in noſocomio, nec in aliis conſultationibus petechialia et miliaria exanthemata obſeruaſſe, non quod Viennae extinctum ſit contagium, cum alii medici, qui regimen, a Cl. Auctore traditum, negligunt, huius morbi praeſentiam declarent. Confidentius igitur et aſſenſu aliorum medicorum ſuffultus, ſententiam ſuam, alibi prolatam, de cauſſis horum exanthematum in regimine et medicamentis calidis bezoardicis poſitis, tuetur, eaque nunquam critica pronuntiat.

Capite

p. 103. Capite quarto de ſyſtemate Halleriano, ſenſibilitate ſcilicet et irritabilitate, in variis corporis animalis partibus negata, vel conceſſa, vlterius diſputat Noſter idque omni modo euertere ſtudet. Commemorat calculoſum, qui nullos dolores in rene ſenſit, etſi renes HALLERO ſenſiles dicuntur, et aliorum calculoſorum dolores ſatis noti ſunt. Neque approbat Noſter ſententiam MORGAGNII, qui tumores, lente ortos ſine dolore, ſubito ortos maxime doloroſos dicit, quod experientia ſaepe contrarium oſtendit, in cauſſis potius applicatis nunc doloris abſentia, nunc eius ratio quaerenda eſt, quod etiam de ligamentis et tendinibus valet, et poſtquam de dolore, in geneſi abſceſſuum praeſente et deficiente, ex mente HIPPOCRATIS egit, cutem ipſam, quae ſenſilis eſt, aliquando inſenſibilem deprehendi affirmat.

p. 122. Cum et inflammatorium tumorem interdum ſine ſenſu eſſe credat Noſter, tractationem ſuam ad pleuram dirigit, quam euidenter in viro triginta nouem annorum inflammatam vidit. Febris acuta primum, dein pleuritis e vita ſuſtulerunt hominem, nec ſine peripneumonia, quam teſte BOERHAAVIO non ſolum, vt epigenomenon pleuritidis, ſed aliorum quoque morborum inflammatoriorum aſſumit. Simili etiam ratione peripneumoniam, quae cum duritie pulmonum eſt, ob frictionem, pleuram laedentem, vt epigenomenon peripneumoniae pleuritidem conſiderat. Quoniam autem TISSOTUS, HALLERI ſyſtema defendens, varia argumenta ex MORGAGNII epiſtolis, vt commentario in VALSALVAM affert, haec ſtudioſe repetit Cl. Auctor et in ſuas partes trahit, quae fuſius propoſita, repetere non poſſumus, lectori potius liberum relinquimus, cui ſententiae ex obſeruatis MORGAGNII faueat.

Ad

Ad irritabilitatem cordis, ex ſanguine natam, redit tandem Noſter, et cum HALLERUS cor in homine demortuo non raro inane eſſe dixiſſet, contrarium, vel propria experientia conuictus, vel MORGAGNII et VALSALVAE obſeruationibus edoctus, ſtatuit, indeque irritabilitatem cordis a ſanguine non deduci poſſe affirmat. p. 194.

Caput quintum de morbo ileo agit, et experimenta cum machina, ad hunc morbum ſoluendum apta, proſequitur. Meminit periodici morbi in homine triginta annorum macilento, et ex Onaniae vitio languido, cui primum niue abdomini circumdata, paulo poſt potu aquae frigidae, alio tempore cortice Peruuiano, alio, fumo herbae tabaciano immiſſo, medela facta eſt; gelida aqua vero, herniae vmbilicali foeminae quinquagenariae applicata, leuamen non attulit, ſed poſtquam cataplaſmata emollientia appoſita ſunt, gangraena herniae et emphyſema totius corporis enata ſunt, inteſtino, in hernia contento, inflammato quidem, nondum tamen gangraenoſo. Frigus in his morbis conſtringendo et roborando agit, et dubium eſt remedium, quod, ſi obex remoueri nequit, gangraenam letalem infert. Progreditur ad nouum examen machinae, per quam aqua ad morbum ileum tollendum in anum iniicitur, de qua iam alibi egit. * Refert duas curationis hiſtorias, ex Italia cum eo communicatas, quae felicem euentum in hominibus declarant. Ipſe vero experimenta continuauit in canibus, in quibus aliquoties ex voto ſucceſſerunt, ampliſſime tamen recenſet tentamen, vbi ruptura ieiuni et, vti videtur, parte inteſtini p. 203.

* Rat. Med. Part. VIII. p. 240. vid. Commentar. noſtr. Vol. XIII. p. 444.

inteſtini a mole aquarum diſtenta, alteraque vicina compreſſa, euenit. Concludit itaque Noſter a periculo non alienum eſſe tentamen, inprimis, ſi aquae vrgentur, et tum maxime timendam eſſe rupturam, cum valuula coli, vt alia occaſione dixit, in viuis nimis reſiſtit.

p. 234. Caput ſextum varia proponit. Agit de febribus continuis remittentibus haemitriteis, epidemice graſſantibus, in quibus poſt antiphlogiſticorum vſum, cortex Peruuianus vtilis inuentus eſt, lenia tamen laxantia non intermiſſa ſunt. Fomenta aquae ſimplicis calidae continuata in morbis vlceroſis cutaneis laudat. Endemias in Auſtria ophthalmias et alia oculorum vitia, inde nata, variis remediis corrigere docet, et commendat tentaminis loco applicationem bilis piſcium quorundam, inprimis muſtelae fluuiatilis, ſimili ratione iuſcula viperina in variis cacochymiis et oſtracodermata in rachitide commendat. Effectus triſtes arſenici albi cryſtallini in foemina recenſet, vbi praecipue poſt vomitus conſopitos paralyſis crurum inducta eſt, praeter alia decoctum braſſicae ex mente TACHENII et vim electricam, ſed fruſtra tentauit; pediluuia ex floribus chamomillae, ſambuci ac lauendulae et decoctum ex taraxaco, naſturtio, ſaſſaparilla et liquiritia vſu ſe probauit. Vuae vrſi vſus in calculoſis porro ſe commendauit, dummodo in ſyſtemate vrinoſo interno nulla labes a calculo, vrina retenta et pure inducta eſt. Forte vaccinium foliis buxi ſimili ratione tentari poſſet.

p. 259. Caput ſeptimum nonnulla de inſitione variolarum proponit. Affert nimirum varia exempla variolarum homines altera vice inuadentium, interdum exitu letali, interdum mitiori, interdum grauiori morbo

morbo ſubſequuto, et repetit ſuas antea iam factas concluſiones: vanam ſcilicet eſſe ſecuritatem eorum, quibus inſitio aut nullas, aut paucas induxit variolas; duram ſortem eſſe parentum, qui naturali via ſeruatum prolem vident, artificiali occiſum; inſitas nullam habere ſecuritatem, nec alteras variolas benigniores eſſe. Repetit praeterea multa alia, quae contra inoculationem iam monuit, et cum interea litteras reſponſorias Cl. TRALLES ad quaeſtiones, ſuper inoculatione propoſitas, acceperit, et ille non niſi limitatum iudicium expoſuerat, nonnulla ex his profert, attamen ſemper contra inoculandi rationem inuehitur, de quibus tamen, cum noua argumenta haud proponat, nihil amplius monemus.

Progredimur potius ad partem decimam, in P. X.
cuius capite primo de colica pictonum diſſeritur. Per- p. 1.
git nimirum Cl. Auctor in declarandis morbi huius phaenomenis, et hiſtoriam morbi pictoris tradit, qui, cum in coloribus ceruſſam et cobaltum crebrius tractaſſet, colicis paroxyſmis vexatus, eos ſexies ſuperauerat, in ſeptimo et ſequentibus paralyſis acceſſit, qua curata, in decimo paroxyſmo periit; acceſſerunt ante obitum praeter alia ſymptomata amauroſis, iſchuria vera, conuulſiones. De vario p. 14.
ventriculi ſitu nonnulla monet, et cum inde reliqua viſcera in ſitum praeternaturalem protrudantur, liquet omnino a ſede tumoris et doloris aegerrime viſcus, primario affectum, definiri. Colon deſcribitur et tab. 1. delineatur, quod a coeco vſque ad flexum ſub liene tympaniticum erat, aere vehementer expanſum, reliqua portio multum anguſtata conſpiciebatur; etſi vero paſſim quaedam inteſtini partes expanſae erant, breues tamen, et coarctatis interceptae inueniebantur.

p. 23. Secunda morbi hiſtoria quadragenarium virum, qui ceruſſam in vſus pictorum crebrius tractauerat, ſiſtit: hic, colica pictonum affectus, vnum alterumque paroxyſmum et incipientem paralyſin ſuperauerat, diuque, quod ceruſſam non tractauerat, a ſymptomatibus liber factus erat, hoc tamen labore iterum incepto, auctos morbi impetus ſenſerat et tandem conuulſus, perierat. In ſectione cadaueris praeter alia, a nobis non repetenda, ventriculum, a colo depreſſum, eumque in exterioribus tunicis, non adeo in interioribus inflammatum, expanſiones et contractiones praeternaturales in ileo, et aliquas eius partes, bile tinctas, quae certe rariora obſeruata ſunt; porro coecum adeo extenſum, vt in qualibet dimenſione octo pollices aequaret, ſiniſtram vero coli partem, in variis interuallis et contractam et extenſam, vſque ad rectum inuenit et tab. II. delineauit. In hoc quoque cadauere inflammationem pleurae vniuerſae a iugulo ad coſtas et diaphragma adeo diſtinctam conſpexit, vt menyngum cerebri iniectio, ex voto ſuccedens, vix pulchrior eſſe poſſit.

p. 40. Tertia morbi hiſtoria pharmacopoeum quadraginta quatuor annorum, colica pictonum, ex ſuis ſymptomatibus cognita, crebrius affectum, adducit, qui ſubitanea morte ſine vllo ſymptomatum ſenſu periit. In cauſſis enumeratur vini Auſtriaci abuſus et coctio emplaſtrorum, quae plumbi calces excipiunt. In cadauere ante ſectionem, quadrageſima octaua hora poſt mortem inſtitutam, artus omnes flexiles et faciem floridam conſpexit Noſter, oculis tamen turbidis et obfuſcatis. Abdomine inciſo, ſanguis, copioſius effuſus, apparebat, cuius cauſſa in hiatu venae cauae mox ſub diaphragmate deprehenſa eſt, quamque Cl. Auctor preſſioni viſcerum validae verſus diaphragma adſcribit. In ſitu canalis alimentorum maxima varietas detegebatur, quae tabula III.

del-

delineata eſt. Coecum, maxime ampliatum, vbi iam in colum mutatur, in anguſtum canalem abiit, qui ſurſum aſcendens et iterum reflexus, in inſignem iterum amplitudinem extenſus erat, ita, vt coecum et colon expanſum peculiari quadam membrana cohaererent. Coli dextra pars et media zona maxime ampliata ad flexum ſiniſtrum, ſurſum quidem verſus lienem, ſed paulo poſt iterum deorſum, dextrorſum et retrorſum flectebatur et, cum ſiniſtrorſum iterum duceretur, maxime anguſtum reddebatur, breui tamen parte coli, ſub liene denuo expanſae, longa poſtea ſuccedebat anguſtia; in flexibus vero ad os ileum ſiniſtrum quatuor contracta loca, cum expanſis alternantia, inueniebantur, antequam ad rectum accederet. In hoc cadauere etiam duodenum ſingulari modo in amplum cauum expanſum et vſque ad ſedem coeci inteſtini depreſſum erat.

Plures nunc aegros, colica pictonum affectos et curatos, Noſter ſubnectit, nos vero, his praetermiſſis, pauca ex pathologicis monitis addimus, quae capite ſecundo traduntur. p. 52.

Plumbi effectibus hanc colicam adſcribendam eſſe, ex hiſtoriis morborum deſcriptis patet, qua in re vinum, plumbo mangoniſatum, quoque accuſandum eſt, quod Noſter ex iis praecipue, quae Cl. GAUBIUS in actis Harlemenſibus expoſuit, repetit, et poſtea medicamenta, ex plumbo parata, accuſat. Foeces, globulorum inſtar formatae, certum ſignum inteſtinorum contractorum exhibent, tubercula vero ad carpum genita, incerta ſunt. Inter ſymptomata conuulſio, multis lethalis, et paralyſis ſaepe obſeruata eſt, etſi interdum incompleta, icterus in multis, in aliis iſchuria, vnico autem exemplo amauroſis ſuperueniens declaratur. p. 79.

 Quod

p. 104. Quod ad morbi curam ſpect t, oleoſis poſt opiata et purgantia maximos effectus tribuit, electricitatem tamen ſimplicem, non auctam, cum fructu admoueri monet.

p. 115. Caput tertium praecipuam quandam morbi hiſtoriam de tetano refert. Figulus erat, qui, quod plumbum tractabat, colica pictonum laborauerat, et opificio ſuo ideo valedixerat, attamen maxillae tetano, rigiditate dorſi incipiente et difficultate deglutiendi tentatus, exhibitis variis remediis, v. c. fomentis, camphora, electricitate, aliisque alibi commendatis, nullum leuamen ſenſit, die ſeptimo potius febris ſe iunxit, variisque conuulſionibus aliisque ſymptomatibus vſque ad viceſimum diem agitatus, obiit. Totus fuit a morte rigidus, ita, vt tentamina ferme omnia ad veram mortem euincendam inſtituerentur. Sectione cadaueris facta, ſub dura et pia matre ſerum effluxit, et haec ſanguine turgida vaſa oſtendit, ventriculi cerebri vacui, plexus autem choroideus pallidus et hydatidibus refertus erat, in abdomine varia leuiora, a ſitu naturali aberrantia, inuenta ſunt, praeterea intraſuſceptio ilei, diu ſine incommodo tolerata, et quaedam anguſtiae ad flexus coli ſiniſtros inferiores.

p. 130. In capite quarto tetanus morbus accuratius conſideratur. Recenſentur ideo praecipui, qui de tetano ſcripſerunt auctores, ex quibus patet, interdum eſſe morbum vniuerſalem, in quo corpus non conuellitur, ſed recta extenditur, quibus ſpecies antrorſum, retrorſum et ad latera factae extenſionis et partium quoque ſingularium v. c. maxillae adiunguntur. Recenſentur poſtea cauſſae ad repletionem et inanitionem, praecipue autem ad acrimonias varias pertinentes, et ſymptomata, vel ſpaſmi

mi

mi validi, vel ſpaſmorum prodromi, diuerſos aegros mira diuerſitate inuadentes, commemorantur. Prognoſin etiam et ratione dierum et ratione exitus morbi dubiam eſſe illico patet.

Curationis poſtea rationes ex variis auctoribus repetuntur. In primis vero ſtudioſius inquirit Noſter in vrinam geniturae ſimilem, quae in his aegris ex HIPPOCRATIS obſeruatione effluit, et, praemiſſis variis commentatorum ſententiis, arbitratur, materiam albam, mucoſam, craſſam, adeoque ſemini genitali ſimilem, ſiue vrina, ſiue alui depoſitione, ſiue moleſtis cum flatibus, ſiue etiam vomitu emiſſam, hic intelligendam eſſe. Tranſit inde ad vrinam arenoſam, in aegro, ſupra deſcripto, quoque viſam, et confitetur ſe deceptum fuiſſe. Arenae enim in vrina eorum, qui nec nephritici ſunt, nec calculoſi, deprehenſae, bonum ſignum morbi ſoluendi eſſe, ex ſua aeque ac aliorum obſeruatione et ipſius MORGAGNII aſſenſu cognouerat; ſed, vt ex diario patebat, aeger, ſupra nominatus, arenulas in vrina quotidie ferme reddidit, tandem tamen obiit. Recenſet ſub finem inſignem copiam remediorum, quae huic aegro applicata et propinata ſunt, quanquam ſelecta, ſine omni tamen effectu.

p. 146.

p. 171.

Subiungit tandem Cl. Auctor quasdam de tetano obſeruationes. Abſceſſum ad fauces cauſſam immobilitatis maxillae fuiſſe narrat, quae tamen, abſceſſu rupto, leuata eſt. Foeminam, validis euacuantibus antea tentatam, inuaſit morbus ſpaſticus et febrilis, inter ſymptomata triſtiſſima accedebat deglutitio, ſaepe cohibita, et ſpaſmus maxillae. Etſi vero in mortua os ſponte aperiebatur, aſſerit tamen et octo horis a morte praeterlapſis, ſic clauſam fuiſſe maxillam, vt non, niſi vi ſumma adhibita, aperiretur. Erat forte rigiditas muſculorum poſt mortem inducta. Tetani ſaepe recurrentis cauſſam ex putrilagine pri-

p. 182.

marum viarum deducendam in homine, intemperatius viuente, oſtendit, morbis autem, diarrhoea crebrius recrudeſcente, ſolutus eſt. Iuuenis contagio venereo affectus et mercurio ſublimato curatus, tetanum maxillae expertus eſt, opio et camphora, nec non cataplaſmatibus ex fimo equino ſanatus. Tandem tetanum ex podagrica materia, epiſpaſticis potiſſimum curatum, recenſet.

p. 194. Caput quintum de febre miliari ac petechiali agit, vbi Cl. Auctor denuo exclamat, ſe miliaria exanthemata, nec hoc anno vidiſſe et aliorum quoque teſtimonia affert, qui, quod ſimili ratione aegros methodo antiphlogiſtica tractant, eundem morbum, alias frequentem, non amplius obſeruarunt. Cum itaque ſententiam ſuam, ſaepe propoſitam de exanthematibus his non criticis, magismagisque confirmatam inueniat, nunc demum, cum obiectiones Cl. PRINGLE in morborum caſtrenſium deſcriptione, quas in Anglica operis editione legere haud potuit, in Gallica verſione perſpexit, eidem plenius reſpondet. Quod vero haec exanthemata ex obſeruatione Anglorum critica pronuntiantur, Noſter non niſi ad certam et continuatam experientiam prouocat, et, qua ratione eam inuenerit, deſcribit, cunctaque argumenta breuiter repetit, quae in praecedentibus tomis contra miliaria, vt critica, propoſuit. In ea, vt nobis videtur, opinione verſatur, ſe ſolum obſeruaſſe, huius morbi geneſin ex peruerſa aegros tractandi ratione, vt Viennae, ſic et alibi, deriuandam eſſe.

p. 221. Haec in genere monet poſtea vero ad ſingula Cl. PRINGLE argumenta attendit, quae, cum controuerſae ſummorum virorum ſententiae ſine obſcuritatis vitio repeti nequeant, mittimus et tantum indicamus, diſputari de differentia miliarium et febris

febris carcerum, de vſu camphorae in malignis, de ſede petechiarum et miliarium in diuerſis integumentorum partibus, de differentia miliarium et petechialium et praecipue de ſanguine putrido vel inflammatorio in his morbis, de vſu emeticorum in acutis et quid ſit turgere HIPPOCRATIS, quae cuncta ſigillatim perluſtrari merentur.

Caput ſextum tandem varia proponit. Vuae vrſi virtus contra calculum nouis et ab aliis quoque propoſitis obſeruationibus confirmatur. Examen chemicum vires plantarum non declarare oſtenditur, nonnulla, quanquam minus definita, de geneſi calculi proferuntur. Puerorum rhachiticorum ſenſum varium in contrectatione partium experimenta de ſenſibilitate partium dubia reddere dicitur. Obſeruationes de pulmone ſanguine obſtructo et cordis ſiniſtro ventriculo tamen pleno HALLERI ſententiae opponitur et exemplum pleurae intenſe inflammatae commemoratur. Affert praeterea Cl. Auctor varia ex libris recentioribus, quae Hallerianam ſententiam de irritabilitate et ſenſibilitate inuertunt. p. 273. p. 283.

Fel muſtelae piſcis in maculis oculorum et albugine, et in morbis pulmonicis, maxime autem inflammatoriis, kermes minerale et ſtibium diaphoreticum non ablutum, egregios effectus praeſtitiſſe narratur. Neque nocet hoc ſtibium, ſi cum acidis exhibetur. p. 293.

Curam haemorrhagiae pulmonis et ventriculi gelida aqua egregie iuuari, obſeruationibus illuſtratur, ſed cum metus ſit, copioſo et gelido potu inflammationem moueri poſſe, Noſter monet, venaeſectionibus nimium motum ſanguinis refrenari, et haemorrhagiam ipſam impetum ſanguinis in nimis debilem conuertere. Sub finem varia colligit Cl. Auctor, p. 300.

 quae

quae contra inoculationem eiusque vlteriorem adminiſtrationem monenda erant.

XII.

Tal, om Nervers allmänna Egenskaper i Människans kropp, hållit för kongl. Vetenskaps Academien, vid Praeſidii nedläggande den 26. Ianuarii 1763. Och, jämte Utkaſt h'l nervernes ſärskilda anatomiska beskrifning, utgifvit af ROLAND MARTIN, M. D. Anat. et Chirurg. Profeſſor. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius 1763. pl. 15. 8. mai.

i. e.

Sermo de functionibus neruorum corporis humani generatim, habitus d. 26. ianuarii coram Regia academia ſcientiarum, quum praeſidis munere defungeretur. Adnectitur tentamen deſcriptionis neruorum ſpecialis anatomicae. Auctore ROLANDO MARTIN.

Quum in omni re anatomica ſagacitatem et peritiam eximiam Cl. Auctor ſcriptis ſuis declarauit, tum hoc ipſo, quod modo indicauimus, ſe in neruorum ſcrutinio ſollertem, cultrique anatomici vſu, in iis eruendis, exercitatum, et in libris, qui ad anatomen eorum pertinent, legendis indefeſſum p. 5. fuiſſe, abunde teſtatus eſt. Functiones neruorum delineare aggrediens, non id quidem ſibi, aliorum ſuo ingenio indulgentium exemplo tribuit, vt cerebri et neruorum ſtructuram in vltimis ſuis ſtaminibus eruat, et clariſſimam de functionibus animalibus lucem accendat. Feliciorem autem longe in

abditae huius rei indagine ſucceſſum exſpectat, niſi plerorumque mos eſſet, communes naturae leges rigore nimio ad corpus noſtrum applicandi, quod ipſum, vtpote machina animata, non poteſt, non leges ſibi vindicare proprias, nec cum aliis conuenientes.

Merito praemiſit Noſter ſtructurae encephali, adiunctaeque medullae ſpinalis et neruorum, ex iis procedentium, pro ſcopi ſui ratione conſiderationem, quum omnis phyſiologia anatomiae luce indigeat. Ob defectum igitur huius auxilii non mirum, quod veteres naturae indagatores in tot errores inciderint, qui vel diuerſa vocis neruorum ſignificatione, et vario de eorum origine conceptu manifeſti euadunt.

Medullam cerebri ex meris vaſculis non minus, ac corticem eius conſtare, perſuaſiſſimum ſibi Noſter habet; nec opus videtur LISTERUM et VIEUSSENIUM refutare, qui fungoſam naturam illi adſcripſere, vel ARGENTERIUM et STAHLII aſſeclas, qui pro ſubſtantia ſolida eam habuerunt, vel MALPIGHIUM, cui ex glandularum congerie conſtare veroſimile fuit; et ſic de reliquis ſentit. Fauere huic ſententiae amplitudinem arteriarum, quae caput et quidem recta linea absque multorum ramorum in via diſpendio adeunt, cordis viciniam et copiam aſſurgentis ſanguinis exiſtimat; quae omnia prout ſtructuram, recipiendae tantae copiae humorum aptam, ſupponunt, aptiſſime autem vaſculoſa habetur: ita horum vi fit, vt ſanguis non copioſe modo, ſed etiam velociter et ea tenuitate, quae in corde occurrit, ſurſum pellatur. Quum praeterea diu oculis vaſcula conſpici poſſint, quid impedit, quo minus et ibi adſint, vbi oculorum acie deſtituimur. Accedunt flexus trunci arterioſi, antequam cranium intret, copia ramorum

p. 12.

intra

intra caput, tenuitas membranarum, anaſtomoſes et gyri, et ipſa inteſtina referens cerebri externa forma; quae iunctim eo redeunt, vt ſecretio commode peragi poſſit.

p. 18. Limitem indagini noſtrae, ſi vaſculorum tractum in cerebro proſequimur, ponunt lineae quaedam rectae albae, vel canales, iuxta ſe inuicem poſiti; qui tam exiles videntur eſſe, vt ſecretum iam liquidum contineant. Vnde nihil reliquum ſcrutantibus eſt, quam vt de eminentiarum, fouearum, ſepimentorum, in encephalo obuiorum, natura diſpiciant; quarum partium vtilitas, licet noſtram notitiam lateat: non tamen poteſt eſſe exigua, quum omnibus hominum cerebris competunt, et inter eminentias iſtas vtriusque lateris varias mutuus quidam nexus obſeruetur.

p. 20. Tranſitus ab hiſce ad ipſas cerebri propagines, ſiue neruos fit, quos negat Cl. Auctor communionem quandam, quae ipſum animae domicilium conſtitueret, inter ſeſe in cerebro habere, quum e contrario ſeorſim et ex diuerſis punctis promanent. Quae ab auctoribus variae, tanquam animae ſedes, aſſignantur encephali partes, haſce ideo iſta praerogatiua exuit, tam quod et ſine vitae iactura laeſae fuerunt, quam quod harum quaedam in animalium ce-
p. 24. rebris deficiunt. Interim ſimplicitati animae aduerſatur, diſperſam per totum corpus eam exiſtimare, tanto magis, quum ligatus neruus infra vinculum omni ſenſu deſtituatur. Hinc Noſtro vero videtur ſimillimum, encephali totius parti medullari actiones animae adſcribere.

In neruis ipſis et ſolidas partes et fluidum, quod in illis latet, ſeorſim examinat. Quoad iſtas compagem, quouſque oculis percipi poteſt, tam ante, quam poſt egreſſum e cranio et ſpina vertebrali, perpendit putatque eiusdem indolis finem eorum

in parte, ad quam tendunt, quam originem eſſe. Ex canaliculis numeroſis conſtare, ſubtiliſſimum liquidum continentibus, multis argumentis probabile redditur, et quam fallax BELLINI et aſſeclarum eius fuerit opinio, quod ſcilicet chordae eſſent, oſtenditur. Expoſitis variis iſtis de natura fluidi neruei ſententiis, diutius paullo illam expendit, qua electricae indolis eſſe ſtatuitur. Quae vero haud minus Cl. Auctori diſplicet, quum electricus ignis intra canales quosdam ſeſe contineri non ſinat, ictus electrici eosdem omnino in neruos, ac in alias partes effectus exſerant, et neruus inſuper, qui iuſtam humiditatem adhuc ſeruat, priſtinam vim ignem electricum deriuandi demonſtret, ſiue ligetur, ſiue diſſecetur, modo poſteriori caſu extrema disiuncta mutuo ſeſe attingant; quod nouo experimento Cl. WILKE, phyſices lector Stockholmienſis, confirmauit. In eo vero ſubſiſtit Cl. Auctor, quod nerueum fluidum pro materia habeat peculiaris omnino et, a reliquis omnibus diuerſae, naturae. Quod vi iſta inſigni, quam fluidum iſtud exercet, et quae in quibusdam morbis increſcit, velocitate, qua voluntati noſtrae obtemperat, et commotionibus animi excitatur, ſubtilitate, quae tamen non tanta eſt, vt canaliculorum cancellos tranſiret, puritate denique ſumma, qua ſit, vt ipſa nihil ſenſus imprimere queat, euincitur.

p. 27.

p. 37.

Quaeſtio iſta, vbi fluidum nerueum, quod ſemel ex medulla cerebri emanauit, ſubſiſtat, ita excutitur, vt vero ſimile fiat, partem eius per extrema neruorum et per cutis poros exundare; vnde virium proſtratio ex protracto labore et ſudoribus nimiis oriri videtur, annuentibus obſeruationibus Cl. Archiatri Suecici BAECK et Cl. MECKEL, qui in aethiopibus nigredinem non tantum in corpore mucoſo cutis, ſed in ipſa cerebri medulla et termino p. 61.

mino corticalis partis animaduerterunt. Ob nimiam vero fluidi huius ſubtilitatem dubitat, an cum humoribus aliorum vaſorum ſeſe commiſceat,
p. 46. et vna cum hiſce circuitum abſoluat. Nec iſtis ſubſcribit, qui per ſingulares neruos fluidi neruei ſecreti partem reuehi exiſtimant, quippe quum omnes nerui vnam eandemque ex medulla originem habeant, et nihil diſcriminis ratione ſtructurae inter iſtos appareat.

p. 47. Diſcrimen inter neruos ſenſorios et motorios exploditur, et ad motum, praeeunte HALLERO, modo velocitatem et vim maiorem fluidi neruei requiri oſtenditur. Sedulo quoque ſenſilitas a vi irritabili diſtinguitur, quam poſteriorem ſoli fibrae muſculari et Noſter adiudicat.

Nimis profuſa noſtra fieret oratio, ſi quae Cl. Auctor de diuerſa neruorum magnitudine et progreſſu, diſperſione, plexibus, gangliis, flexioneque varia docte ſciteque, non vnice inſiſtens praeceſſorum veſtigiis, ſed ipſe ſua in obſeruando dexteritate et ingenii acumine vſus, monuit, explicare co-
p. 59. naremur. Conſenſus vero licet inter neruos exiſtat, commnunionem tamen fieri ſenſus et doloris inter remotas partes ob ramorum quandam coniunctionem, negat. Nam omnes nerui ex ipſa medulla propullulant, et eorum integumenta ſenſu deſtituuntur, cui accedit, quod ſenſus nunquam in vnico modo nerui puncto ſeſe exſerat. Sed ad nexum potius, qui in ipſa neruorum origine in cerebro locum habet, in hoc ipſo effectu reſpici iubet. Sparſim poſtquam de ſentiendi et motum inducendi vi neruorum egerit, tandem de vi iſta, externas imagines animae imprimendi, diſputat. Mentio quoque breuiter fit remediorum, quorum efficacia in neruos et cerebrum praecipue ſeſe declarat, et morborum, qui affectis neruis eorumque fonti origi-

nem

nem debent. Inter hoſce quoque cancer memoratur, quem a neruorum vitio prouenire non omnino abſonum Noſter iudicat, incremento eius celeri, dolore diro, tenacitate mali et virtute narcoticorum remediorum inductus.

Excipit diſquiſitionem praecedentem anatomica neruorum deſcriptio, quae ſola nouem fere plagulas complet, profutura iis vel maxime, vt opinamur, qui in cadaueribus neruorum ſcrutinio occupantur. Initium fit a nouem iſtis neruorum paribus, quae cranium perforant. Horum octauo adiungit par acceſſorium, etſi commodiorem illi locum inter neruos, e medulla ſpinali progredientes, tribuat. Poſt nonum, par intercoſtale perſequitur, in cuius termino inferiori ſuper oſſe ſacro negat, ſe ſemper arcum iſtum a WILLISIO, VIEUSSENIO, WINSLOWIOque deſcriptum inueniſſe. Tum ad triginta iſta medullae ſpinalis paria progreditur, et diuerſas eorum propagines ad diaphragma et artus expendit. Vbiuis praeterea, quae ipſe de hiſce obſeruauit, auctorum diſſenſus, quoad denominationem, ortum, nexum aliaque momenta ſignificat.

XIII.

Tal om den rätta Alderdomens ärnaende, hållit för kongl. Swenska Vetenskaps Academien vid Praeſidii nedläggande, den 4. maii År 1763. af DAVID SCHULTZ, M. D. Artis obſectriciae Profeſſor et Director Regius. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Saluius, 1764. plag. 3. oct. mai.

i. e.

Sermo de optima ad ſenectutem perueniendi via, habitus in conſeſſu academiae Regiae ſcientiarum Sueciae, quum praeſidis munus deponeret a DAVIDE SCHULZ.

Texere hic pergit, quam ante aliquod tempus telam inceperat Cl. Auctor, vt qui, diaeteticis praeceptis, tenellae aetati maximae opportunis, olim ab eo delineatis *, iamiam ea perſequitur, quae inde ab ea aetate, qua homo de rebus ſuis ipſe diſpicere incipit, vt ad ſenectutis eiusque viridis via pandatur, obſeruari debent. Neglectu enim commodae diaetae longe plures homines, quam contagioſis morbis vel inopinata morte, intereunt.

p. 2. Prima Auctor Cl. cura infantum, ad decimum quartum vſque annum, diaeta dirigenda occupatur. In hocce ſtadio victum blandum et ſapidum, crebrius, ſed parca quantitate ingeſtum, exercitationem corporis liberam et ſomnum ſatis protractum commendat, quorum omnium neceſſitatem ex ipſa corporis in ea aetate indole declarat. Merito vituperat parentum et praeceptorum moroſitatem et inſcitiam, qua vel minis et ictibus mores infantum corrigere

* vid. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 412.

corrigere vel intempeſtiua feſtinatione doctos eos
reddere ſatagunt. Vnde fieri non poteſt, quin et
animi alacritas pereat, et intellectus memoriaeque
vis obtundatur. Quae cenſura, etſi inprimis ad p. 5.
morum doctrinam, ideo tamen et ad medicos per-
tinet, quod non niſi ſub connubio animi parati lae-
tique corporis ſalubritas ſeruatur, timore vero, vi
adhibita, et vita ſedentaria, tam valetudo corporis,
quam animae vires labefactantur, ob debilitatos
iamiam neruos, conuulſiuis morbis obnoxii euadunt,
et quum corpus eorum ſuccoſum, nec libero aeris
puri et frigidi vſu, nec iuſto motu fruatur: exan-
themata, bubones, alui profluuia et vermes gignun-
tur, praecipue ſi eundem victum, quem adulti,
firmum ſcilicet varieque mixtum et calida natura
inſtructum, ingerunt. Ex diuturna praeterea intra
clauſum conclaue commoratione imbecilles et
aeris viciſſitudinum impatientes fiunt.

Noua mala ſeſe exſerunt ex iisdem ſaepe fon-
tibus inter decimum quartum et vigeſimum vnum
aetatis annum, quo vitae ſpatio ſentiuntur calor, an-
tea non perceptus, noua deſideria et nouae ſecre-
tiones, et haemorrhagiis variis homo a vi exaeſtuan-
tis ſanguinis patet. In hac ipſa aetate praeſertim p. 7.
inſignem ſollertiam, tam quoad animae, quam cor-
poris ſalubritatem, procurandam Noſter requirit,
quum vitia, alterutrius generis contracta, ob termi-
num incrementi iamiam natum, dein corrigi ne-
queunt.

Virilis aetas inflammationibus magis et febri-
bus vehementioribus obnoxia eſt. Et quoniam ſan-
guis non ea amplius facilitate, deficiente praeſertim
motu neceſſario, ſuperiora petere poteſt, ac antea,
haemorrhoides eam vexant. Et ob rigorem partium
ſolidarum maiorem chronici morbi facilius radices
agunt. Eo autem omnis in vitae genere cura tum

dirigenda eſt, vt ne fluidae et ſolidae corporis partes nimis celeriter coeant vel rigeſcant.

p. 9. Senes vero, qui repueraſcere quaſi incipiunt, eandem quoque normam obſeruare oportet, quae infantili aetati proſpicit. Caueant ſcilicet ſibi ab aëris iniuriis, reſtringant eadem ratione, qua annis creſcunt, ciborum copiam, vtantur cibis digeſtionis facilis, quum duriores, nec vacillantes dentes et edentulae maxillae, nec ventriculus ferant, caute ſpirituoſa vſurpent, abſtineant a curis ſeuerioribus, ſomnum protractiorem ſibi indulgeant, et in laboribus vires probe ſuas explorent. Ad commoda tamen ſenectutis referendum, quod ſaepe immunes permaneant contagiorum et epidemicorum morborum.

Non acquieſcit autem Auctor Cl. iis momentis recenſendis, quae ad ſingulae aetatis naturam vitiaque committi ſolita et praecepta diaetetica pertinent: ſed, praemiſſis hiſce, generales, quae cuilibet vitae generi conferunt, regulas praeſcribit. Quarum quasdam modo huc transferre ex eleganti
p. 15. auctoris commentatione licet. Potus calidos cuiuscunque generis repudiat, vtpote quum relaxandi vis, etiamſi theae, coffeae, vel ſuccoladae miſcela fiat, perſiſtat, quae ipſa miſcela vitio ſibi genuino non caret. Butyrum recens, nec liquefactum ob nutriendi et emolliendi facultatem commodum habetur, quum liquefactum vel rancidum labefactet ventriculum et ſanguinem acrem et ad putre-
p. 21. dinem procliuem reddat. Victum animalem, cuius varia praeparationis genera Cl. Auctor ſtudioſe explorat, eatenus praefert vegetabili, quoniam contra plerorumque opinionem facilius concoquitur. Barbarorum exemplo, quin et infantum confirmatur, cruda vegetabilia ſine ſanitatis offenſa edi poſſe. De pane triticeo vis aluum obſtruendi notatur, et conuenien-

uenientiſſimus panis durus more veterum Suecorum iudicatur. A miſcela autem nimia ciborum impenſe diſſuadet. Leuiorum malorum ſanationem prout Auctor Cl. mauult naturae, quam medicamentis committi: ita in iis horum vſum praecipue vituperat, qui iisdem futuras valetudinis inſidias auertere conantur. Diſplicent igitur Noſtro purgantia, ſudorifera, venaeſectiones, acidularum vſus et reliqua, quae, ſtatis anni temporibus, a quibusdam adhibentur. De tabaco pariter, ſiue fumi forma ore hauriatur, ſiue in puluerem redactum naribus attrahatur, durius ſentit.

p. 24. p. 33. p. 34.

XIV.

Diſſertatio inauguralis medica, ſiſtens examen chemico - medicum aquae acidulae vulgo Pinkenfeldenſis dictae, Auctore IGNATIO WETSCH Auſtriaco e St. Floriano 1763. Vindobonae typis Georg. Lud. Schulz, 8. pl. 2. c. tab. aen.

Aqua haec ex Hungaria, vbi in comitatu *Caſtri ferrei*, prope oppidulum *Pinkenfeld* ſcaturit, Vindobonam, qua octo lapidibus diſtat, affertur in lagenis, vti Cl. Auctor queritur, non probe clauſis. Multo aere elaſtico, quem ſpiritum vocant, quique concuſſione lagenae ſe prodit, abundat, et poſtquam auolauit, flocci maiores minoresue e colore profunde flauo ſubrubeſcentes in fundo lagenarum reperiuntur, aquae autem, per aliquod tempus liberiori aeri expoſitae, innatat pellicula, quae ablata denuo renaſcitur. Syrupus violarum ab admixta hac aqua ſenſim virideſcit, aqua autem ipſa cum inſtillatis acidis efferueſcit, affuſo vero alcali, lacteſcit. Solutiones metallorum, ſi aquae

p. 8. p. 11.

 minerali

minerali guttatim admiſcentur, turbantur, aquamque pariter lacteſcere faciunt. Metalla vero, quae antea ſoluta fuere, plumbum ſcilicet et lithargyrium ſubalbido, mercurius ſubflauo, et argentum
p. 17. ſubgryſeo colore praecipitantur. Lixiuium tamen alcalinum, cum ſanguine bouino paratum, et aquae inſtillatum, ſecundum experientiam, quam Cl. MARGGRAF primus patefecit, nullum ferri contenti indicium, quum aqua poſt inſtillationem non coeruleum, ſed lacteum acquiſiuit colorem, praebuit.

p. 21. Sal decoctu paratus, ad alcalinam vergit indolem, cum acidis enim efferueſcit, et perfecte ſaturatus, medium ſalem efficit: quemadmodum et terra, ex aquis producta, eiusdem eſt naturae. Ochra tamen quam flocculi ſubrubeſcentes, ex aliquot lagenis collecti, dederunt, addito ſebo, igne valido tractata, verum exhibuit ferrum, quod eo magis mirandum, quod lixiuium alcalinum, vt modo comperimus, ne veſtigium quidem latentis in aqua reliquerit ferri.

p. 25. Colligit igitur Cl. Auctor ex memoratis experientiis, in aqua hac acidula contineri ſequentia: 1. ſpirituoſum aliquod fugaciſſimum; 2. terram ſpecificam alcalinam; 3. alcali minerale; 4. ochrae martialis parciſſimam copiam. Quod autem huic aquae, eiusque inde parato ſali, acidum vitriolicum Cl. Auctor prorſus deneget, concedere ideo ei non poſſumus, quia neque terra alcalina, neque ferrum in aqua ſola ſolui poteſt: vt nihil dicamus de ſale, coctione parato, qui licet ad alcalinam, vt Cl. Auctor vult, vergat naturam, tamen facili encheireſi, accurata nempe abolitione alcalini adhaerentis et praedominantis, nouaque, vt vocant, cryſtalliſatione, in verum ſalem medium amarum, qui ex acido vitriolico et alcali minerali conſtat, et qualem

lem omnes fontes minerales acidulaeque continent, poteſt mutari. Hiſce praeſuppoſitis, Cl. Auctor tandem quaeſtionem mouet: an non hae acidulae in acido primarum viarum, et morbis inde oriundis, in pituita, et nde pendentibus affectibus, in obſtructionibus viſcerum aliisque eiuſcemodi aegritudinibus poſſint tentari? de quo non dubitat, praeſertim ſi ex ipſo haurirentur fonte. p. 28.

XV.

Noua phyſico-medica.

Academia ſcientiarum, inſcriptionum et elegantiorum litterarum *Toloſana* duo propoſuit praemia, iis promiſſa, qui prae ceteris optime explicauerint, 1) *cur fluida in tubulis varii generis lente fluant;* 2) *quae ſint ſigna, ex quibus contrafiſſurae in corpore humano cognoſci et quomodo mala, quae eas ſequi ſolent, auerti poſſint.* Hoc pertinet ad annum 1769, illud vero ad hunc, quem agimus annum 1768. Quibus legibus eos ſe adſtringere oporteat, qui praemia haec promereri cupiunt, alio loco expoſitum eſt.

Qui ſint praecipui characteres terrarum Occitaniae inferioris? quae illarum vitia, progignendo frumento minus commoda, et quo modo ea corrigi queant, ſe edoceri optat Regia ſcientiarum Societas *Monſpelienſis*, et huic problemati praemium anni 1769 deſtinauit. Commentarii, de hac re conſcripti, ante diem octauum menſis ſeptembris 1769, ſub conditionibus conſuetis, mitti poſſunt ad perpetuum huius Societatis Secretarium Cl. RATTE.

Academia elegantiorum literarum, ſcientiarum et artium *Maſſilienſis* etiam in annum 1769 duas expoſuit quaeſtio-

quaeſtiones, quas, ſi exploratae et ſolutae fuerint, ſperat, multum vtilitatis patriae eſſe allaturas. Quaerit vero 1) *quae ſint cauſſae, cur piſcatus in oris maritimis Prouinciae ſit tam imminutus, et quibus auxiliis fieri poſſit abundantior?* 2) *quae ſit optima methodus vini Prouincialis parandi et tractandi, tam quoad vſum, quam exportationem.* Opus eſt, vt ante calendas ianuarias anni 1769 commentarii Academiae tradantur. Serius qui miſſi fuerint, praemio excluſum iri Academia declarauit.

Regia quoque ſcientiarum et artium Academia *Metenſis* in annum 1767 propoſuerat quaeſtionem ſimilis argumenti: *quae nimirum ſit optima methodus vina agri Metenſis parandi et tractandi*, atque vt totius quaeſtionis ambitus intelligeretur, ſimul declarauerat, ſe velle, vt in explicanda hac quaeſtione praecipue de maturitate vuarum, de fermentatione vinoſa, de iis mutationibus, quibus vina ſunt obnoxia, et de remediis illas praecauendi exponeretur. Accepit etiam Academia ſuper hac re varia ſcripta, inter quae tria potiſſimum magnam, tum phyſicae, cum oeconomicae ſcientiae peritiam auctorum prodebant: attamen, quum nondum quaeſtio propoſita ita ſit explicita, vt plana, confirmata confectaque dici poſſit, atque quum ſpes ſit, fore, vt partim ii, qui in miſſis commentariis hanc rem reliquis accuratius tractarunt propiusque tetigerunt, longiori ad cogitandum tentandumque conceſſo tempore, in hanc rem altius penetrare poſſint, partim alii inuitentur ad ea, quae ipſis de hac re conſtent, colligenda conſcribendaque, et vt demum nihil in hac re ſuperſit reliqui: Academia conſultum duxit, eandem quaeſtionem denuo proponere, nec prius, quam die 25 menſis auguſti anni 1769 merenti praemium eſt adiudicatura. In mittendis commen-

commentariis eae leges ſunt obſeruandae, quae omnes Academiae poſtulant. Litterae nomine DUPRÉ DE GENESTE, perpetui Academiae Secretarii ſunt inſcribendae, ipſique ante calendas iulias 1769, ſolutis antea ſumtibus, qui curſus publici nomine exiguntur, tradendae. Praemium eſt aurea moneta quadringentarum pondo Gallicarum.

Praemium, quod Societas ſcientiarum *Harlemenſis* huic 1768 anno et ei argumento deſtinauerat, quod de illa anginae ſpecie agit, quae lente quidem oriri, nihilo tamen minus mortifera eſſe ſolet, et cuius alibi* vberior a nobis facta eſt mentio, reportauit die 24 menſ. maii Cl. V. MATTHIAS GEUNS, Medic. Doctor Groeningenſis. Fuit etiam inter reliquos commentarios alius, quem prae ceteris Societas applauſu ſuo non indignum cenſuit ideoque argentea moneta conſtituit ornare. Quum vero ſimili ſententia, ſc. *in magnis voluiſſe, ſat eſt*, bini commentarii eſſent notati et Auctor prioris ſcriptionis nullam adieciſſet ſchedulam, igitur eius nomen penitus lateat, in publicis nouellis Societas notum fecit, illum commentarium, cui ſecundarium hoc conſtitutum eſt praemium, viginti ſeptem conflatum eſſe paragraphis, ex quibus facile ſuum tractatum cognoſcere poterit Auctor, qui ſimul valdopere rogatur, nolit gloriam docti expertique viri fugere, nec patefacto nomine, licet exiguum, honorificum tamen et publicum recuſare praemium.

Propoſitum etiam eſt ab *Eadem* Societate nouum problema, quod ad annum 1770 eſt annumerandum. Optat nimirum Societas, vt determinaretur, *quid requiratur ad artem obſeruandi et quantum haec conferat ad animum expoliendum et perficiendum.*

* Comment. hor. Vol. XII. p. 536. et XIV. p. 547.

ciendum. Tractatus conſcribendi ſunt vel teutonica vel belgica vel gallica lingua et ad Societatem ante initium anni 1770 mittendi. Quale et quantum praemium huius rei cauſſa ab Academia expectare liceat, et quibus legibus ſe accommodare ii opus habent, qui de hoc praemio certabunt, alio loco * a nobis eſt narratum.

Problema, quod ad proximum 1769 annum pertinet, non eſt, cur repetamus, cum in praecedenti parte ** illud expoſuerimus.

Caeſareo - Regia Societas agriculturae et ſcientiarum, quae *Clagenfurti* in Carinthia conuentus agere ſolet, nuper die 5 maii menſis ſententiam tulit de iis ſcriptis, quae acceperat ſuper problemate, in annum 1767 propoſito et ab Ea vnanimi conſenſu id ſcriptum praemio digniſſimum iudicatum eſt, quod hac ſententia: *Point de ſuccès ſans experience* inſignitum erat et cuius adiecta ſchedula reſignata nomen continebat CLAVIER DU PLESSIS *à la Poſte reſtante à Touraine*. Quaeſiuerat vero Societas, *quinam eſſent optimi modi prata Carinthiae fertiliora reddendi eaque augendi.* Secundarium praemium, quod *acceſſit* appellatur, adiudicauit FRIDERICO MAYERO, verbi diuini miniſtro Kupferzellae in principatu Hohenloico - Waldenburgico.

Ab *Eadem* Societate etiam in hunc annum propoſita eſt quaeſtio, cui dirimendae rerum phyſicarum et oeconomicarum periti operam impendere ſunt inuitati, ſcilicet demonſtrare, *vtrum cibare pecora in ſtabulis, an paſcere lucroſius ſit, tum quoad fimum, cum quoad vſum reliquum, qui ex pecoribus prouenit.* Annuum ab Auguſtiſſima Imperatrice conſtitutum praemium et huic quaeſtioni nunc addictum moneta eſt aurea, pondere triginta ſex aureorum.

In

* Vol. XII. p. 536. ** p. 547.

In conuentu publico a Regia ſcientiarum Societate *Gottingenſi* menſe h. a. februario celebrato Ea rationem reddidit praemiorum, quae tunc temporis diſtribuere promiſerat inter eos, qui ex eius arbitrio propoſita argumenta curatius tractauerint. Ex quibus quum vnum tantummodo ad nos attineat, in eo acquieſcimus vtpote ſtudio noſtro propiori. Recordentur igitur Lectores nos ſupra * narraſſe ab hac Societate quaeri: *num vtile ſit, alternis annis in eodem agro diuerſa ſerere genera frumenti, farris, tritici et hordei, quorum cultura et indoles interna ſimiles ſuccos ad incrementum exigunt?* Sed ad dubiam hanc rem reſpondit omnino nullus.

In eodem conuentu haec Societas nouum exhibuit argumentum, e phyſicis doctrinis depromtum, et quod illuſtrando generationis operi inſeruire poterit. Multum quidem illud conuenit cum eo, quod Societas paullo poſt eius inſtaurationem propoſuerat, atque denuo repetierat. Quum vero argumenti nimius ambitus ei dimetiendo plures et maiores obieciſſe videatur difficultates, quam vt ſuperari potuiſſent, arctioribus eandem rem limitibus nunc coegit, adeoque explicatu faciliorem reddere ſtuduit ea ratione, vt tantummodo quaereret: *quae ſit prima forma oui et embryonis in animalibus quadrupedibus a primo impraegnationis die ad vſque decimum ſextum.* Hoc argumentum pertinet ad annum 1769. Praemii loco ſoluentur aureorum Hollandicorum quinquaginta. De reliquis, quas obſeruare conuenit, legibus conſtat.

Regiam ſcientiarum Societatem *Hafnienſem* tantam pecuniarum copiam ex ſingulari clementia et literarum ſtudio a Potentiſſimo Danorum Rege dono accepiſſe, vt ex eius reditibus tria conſtituerentur praemia,

* Vol. hoc p. 175.

praemia, totidem problematibus proponendis ſupra * a nobis narratum eſt. Nunc accepimus ab hac Societate tria viris doctis propoſita, quorum duo, quum a noſtris doctrinis paululum aliena et ex mathematicis et hiſtoricis petita ſint, ſilentio tranſimus. Tertium vero, quod vtique ad illuſtrandam phyſices quandam partem vtile eſſe poterit, apponimus. *Factis ſcilicet iamiam nonnullis tentaminibus, declinationem acus magneticae eiusque variationem a priori computandi deſideratur optima huius calculi methodus, ſelectiſſimis obſeruationibus ſuperſtructa et exemplis locorum auſtralium aequinoctialium et borealium in vtroque haemiſphaerio comprobata.* In explicanda hac re ſcriptorum arbitrio datum eſt, vti vel lingua latina, vel gallica, vel teutonica, vel danica. Praemium, ad quod adſpirandum exteris et indigenis ius eſt aequale, exceptis Societatis membris, moneta eſt aurea pretio centum thalerorum, quales Danicis quotidiano ſunt in vſu. Conſcripti tractatus ante finem menſis martii 1769 ad Societatis Secretarium Ill. virum HELMSTIERNA, Potentiſſimo Danorum Regi a conſiliis ſanctioribus, ſunt mittendi, ita tamen, vt ſolutum ſit, quod curſus publici nomine debetur. Exigit etiam Societas, vt in celandis auctorum nominibus et notandis commentariis eae ſeruentur leges, quae apud alias Academias eſſe ſolent ſolennes. Finito menſe maio eiusdem anni, praemia in conuentu publico merentibus ſunt adiudicatura.

Societati naturae indagatorum *Gedanenſi* ante aliquod tempus demortuus IOANNES SAMUEL VERCH, Conſiliarius Aulicus Ducis Saxo-Vinarienſis, qui Gedani natus erat, inſignem pecuniarum copiam teſtamento reliquit, ea conditione, vt reditum

* p. 555.

tuum pars praemiis impenderetur, quibus afficerentur tractatus et ſcripta, res explanatura, quae vtilitati publicae et inprimis patriae inſeruire poſſint. Huic itaque conſilio et voluntati teſtatoris ſatisfactura iam anno praecedenti Societas, promiſſo quinquaginta aureorum Hollandicorum praemio, hanc rem phyſicis atque ſcientibus quibusque propoſuerat diſquirendam, vt *modus* indicaretur, *quo nimia aggeratio ſabuli, e mare in littus eiecti, maiusque incrementum puluinorum in eo iſthmo, qui prope Gedanum mari Baltico et ſinui Venedico interiectus, germanice Nehring appellatur, impediretur atque praecaueretur, et quae deinde eſſent commodiſſima minusque ſumtuoſa auxilia, quae malo huic mederi poſſent.* Nunc relatum legimus hoc praemium in conuentu publico die 10 menſis maii h. a. adiudicatum eſſe IOANNI DANIELI TITIO phyſices Profeſſori Ord. Vitembergenſi.

Eadem Societas in hoc conuentu ex reditibus eiusdem legati tria promiſit praemia, anno 1770 exhibenda, totidemque propoſitis problematibus copiam fecit ſcientibus quibusque illa quaerendi. In primo poſtulatur *certum auxilium*, *quod lignum quercus et pinus, partim pauimentis, ſcalis cellarum ſubterranearum et aliis aedificiorum partibus dicatum, partim paluſtribus terrae locis, vel ipſi aquae immiſſum e. g. in cataractis, propugnaculis, aquae ductibus et pontibus, a putredine atque efflorescentibus fungis cuſtodiat?* Alterum eo redit, *num ex ſitu montium ſeu ex lamellis terrae ſigna poſſint erui, ex quibus locus, vbi ſuccinum occurrit, definiri queat? deinde quomodo illud commodiſſime, facillime et minus ſumtuoſe, remotis impedimentis e. gr. aquis, effodiatur.* Vltimum verſatur in *inueſtiganda nitri murarii cauſſa, vtrum illa in lapidibus ſeu calce, ſeu vtroque ſimul, an in aliis poſita ſit cauſſis et quaenam ſint optima remedia, quibus*

bus id partim a muro exſtructo abigi, partim ab exſtruendo arceri poſſit? Egit quidem iam de hac re D. HIRSCHING in *Franconica collectione obſeruationum* Vol. I. Part. 2. Sect. 2. et Vol. X. P. 22. Sect. 2. atque varia expoſuit remedia. Quum vero illa variis in locis, imis potiſſimum aedificiorum contignationibus, ob magnam e proxima terra continuo adſcendentis humiditatis copiam, fruſtra applicentur, non dubitauit Societas eandem rem denuo proponere, hac tamen conditione, vt, qui de hac re ſunt expoſituri, non tantum remediis, ratione effictis, ſed potius experientia confirmatis ſtudeant. In ſcribendo vti rogantur, vel teutonica, vel latina, vel gallica lingua et litterarum charactere lectu facili. Auctores nomina ſua, dignitates et domicilia deſignabunt in ſchedula, ſigillo obſignanda, cui extrinſecus inſcripta ſit ſententia eadem, qua commentarius eſt notatus. Hi ante calendas menſis ſeptembris 1769 ad Virum Conſult. WEICKMANNUM, I. V. Licentiatum et Societatis Secretarium ſunt mittendi, ita tamen, vt nulli eorum cauſſa Societati oboriantur ſumtus. Dies vltimus menſis februarii 1770 diſtributioni praemiorum eſt conſtitutus, quorum ſingulum erit viginti quinque aureorum.

Regia Academia ſcientiarum *Holmienſis* in publico conuentu, menſe aprili celebrato, ſententiam ſuam publicauit de iis ſcriptis, in quibus problemata, annis 1766 et 1767 propoſita, varii explanare conati fuerint eruditi. Quanquam vero nullus expectationi Academiae fecit ſatis, tamen cum non nulli propoſita argumenta propius tetigiſſent, oſtenſaque peritia haud mediocri aliquem mereri viderentur aſſenſum, monetarum aurearum loco iis datae ſunt argenteae, quarum ſex, inter alios, reportauit IACOBUS VENTURA, Abbas Venetus, qui de

argumento

argumento, in annum 1767 propoſito, egregie egerat. Soluendum itaque adhuc dum reſtat problema, quod anno 1766 erat deſtinatum: *quae ſit optima ratio piſcinarum conſtituendarum, in quibus piſces ali poſſunt.* Repetit etiam Academia problema, alio tempore propoſitum: *quae ſint auxilia maxime idonea, quibus deleri poſſunt ea inſecta, quae arborum folia et flores deſtruunt?* et *quomodo illa potiſſimum* Vddeualliae in praefectura Bohuſiae *applicari poſſint?* Anno autem 1768 hoc propoſitum manet argumentum: *qui ſit optimus modus apes fouendi, et qua ratione maximi ab iis capi poſſint fructus?* Praemium, duplicato pretio, eſt moneta aurea viginti aureorum pondere.

Ab *Eadem* Academia in hoc conuentu ſociorum numero adſcripti ſunt EDUARDUS SANDIFORT, Med. Doctor Hagae comitum; PETRUS L'ARCHEVEQUE, architectus, Holmiae commorans, natione Gallus; IOANNES IACOBUS REINHARD, a conſiliis intimis marchionis Badeno - Durlacenſis; IOANNES ANDREAS MURRAY, Med. D. et Prof. in Academia Gottingenſi; NICOLAUS CHRISTIAN FRYS, Epiſcopus Laponiae Noruegicae, denique PETRUS IOSEPHUS MACQUER, Chemicus et Socius academiae ſc. Pariſinae.

Libera Societas oeconomica *Petropolitana* inter alia problemata, quae ad noſtrum inſtitutum parum pertinent, etiam hoc propoſuit, vt *rationibus, ex phyſices et morum doctrina petitis, demonſtraretur, cur conſuetudo, inter vulgum ruralem antiquitus ſeruata, incremento generis humani valde noxia ſit, dum ruſtici filiis ſuis impubibus maturas collocant puellas, quae illis ſtatura, viribus et annis longe maiores ſuut, quod vero ab his fieri ſolet huius lucri cauſſa, vt operarum ſuarum numerus augeatur.* Praemium eſt aurea

moneta

moneta duodecim aureorum Hollandicorum. Conſcripti de hoc argumento tractatus ante calendas martias 1769 Societati ſunt tradendi.

In Academia *Wittebergenſi* adiit Vir Cl. ADOLPHUS IULIANUS BOSE, Philoſophiae ac Medicinae Doctor munus Profeſſoris medicinae extraordinarii die 27 menſis maii 1768. programmate, vbi *de differentia fibrae in corporibus trium naturae regnorum* diſſeruit et ad orationem *de medico, prae ceteris humani corporis fragilitatem intelligente*, audiendam inuitauit.

In Academia *Tubingenſi* Vir Cl. PHILIPPUS FREDERICUS GMELIN Chemiae et Botanices Profeſſor Ordinarius, Regiae Societatis ſcientiarum Londinenſis Socius die nono menſis maii 1767. mortem cum vita commutauit, cuius vitam et ſcripta in poſterum trademus.

Nuper retulimus Vir Cl. ADAMUM NIETZKI * abiiſſe in Academiam *Altorfinam*, munere Profeſſoris Medicinae Ordinarii ornatum, ideoque et noſtrum duximus cum lectoribus communicare, ob infirmam valetudinem eum Halam iterum petiiſſe.

In Anglia Eques IOANNES PRINGLE, Medicinae Doctor, cnius praeclarae ſcientiae medicae fama omnem impleuit Europam, nuper archiater Auguſtiſſimae Principis *Walliae* eſt denominatus.

Cum Io. Schreuderus bibliopola Amſtelodamenſis egregium illud opus: *Recueil des Memoires de l'Academie Royale des ſciences*, quod in Batauis centum voluminibus in 12mo recuſum fuerat, a multis

* vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 554.

multis negligenter emtum fuiſſe intellexiſſet, boni publici cauſſa decreuit, reliqua exemplaria inde ab anno 1725 offerre iis, qui ſeriem tomorum continuare neglexerunt, facta dimidii pretii deminutione. Licebit autem hac eius beneuolentia a die primo octobris huius anni per octo menſes vti, et nomina Amſtelodami, aut Lipſiae tempore mercatus, aut apud aliarum vrbium bibliopolas, qui cum Schreudero haec communicant, profiteri.

XVI.

Memoria PAVLI GOTTLIEB WERLHOFII, Regis Britanniae Conſiliarii aulici et archiatri, Societatis Regiae Londinenſis et Academiae Imperialis nat. curioſorum Sodalis.

Magna omnium conſenſu gloria WERLHOFII fuit, et vera quidem illa, ſi quidem gloria multorum magnorumque meritorum fama peruulgata eſt. Et habuit profecto omnia WERLHOFIUS, quibus bene de genere humano mereri poſſet, iisque ad bene merendum vſus eſt. Contigerat ei ingenium, quod et ſua ſponte ad elegantiam doctrinae ferretur, et, cum inſtitutionem nactum eſſet, cederet facillime, ſeque in omnes formas mutari pateretur. Nam cum, praeter neceſſarias docto viro et aetati noſtrae linguas, orientis etiam literas, arabicas nominatim, cognitas haberet, non contemnenda quoque carminum ſcribendorum facultas in eo fuit, quam collectio etiamnum reliqua declarat: cui, quod HALLERUS praefatus eſt, quis non laetetur, aut notatu dignum dubitet, duos praeſtantiſſimos medicos etiam in alio literarum genere ſimiles fuiſſe? Si WERLHOFIUS non omnem vim

Halle-

Halleriani carminis expreſſit, at, iudice tamen HALLERO, pura eſt oratio, numeroſe cadens, apte compoſita, ipſique verſuum exitus ſimiles diligentiam et ſtudium produnt. Quae omnia ſi in quopiam coniuncta ſunt, non ſolum beneficae naturae laudem, quae noſtra non eſt, nobis conciliant; ſed recte vſurpatae facultatis honeſtam gloriam pariunt, multamque bene de aliis merendi materiam continent. Nec vero ita ſe huius venuſtatis amor per animum WERLHOFII diffuderat, vt ſeueritati doctrinae locus nullus relinqueretur; verum, vt profecto ſe res habet, molliri animum his deliciis, parari ad multa alia, acui et incendi debere ſtatuerat, ac tum demum verum ex iis capi fructum, cum fatigatus quis labore atque contentione humaniſſimam recreationem quaereret, aut ineptis doctrinae contemtoribus oſtendere vellet, quam facile elegantia cum ſubtilitate coniungi poſſet. Foret hic locus, de vberrima WERLHOFII doctrina artisque medicae ſcientia et libris dicendi, niſi diu iam inter principes Europae medicos locum ei conſentiens fama adſignaſſet, conflata illa tum innumerorum aegrorum gratis laudibus, tum, quod multo maius eſt, ipſorum medicorum incorrupto et poſt mortem quoque eius conſtanti iudicio. Omnino enim neminem audiuimus, ne arti quidem deditum, qui, cum de WERLHOFIO iudicaret, reprehendendum quidquam, aut excipiendum, multo minus erratum putaret. Sed huius tam conſentientis iudicii ea ſemper potiſſima cauſſa nobis viſa eſt, quod tum quoque, cum aegrorum curis omne tempus ei eripiebatur, tamen animum ab arte facienda ad contemplandum auocauit, vt rationi primum locum tribueret, eam experiendo muniret, ſed inter experiendum quoque rationis atque cogitationis magnam eſſe vellet auctoritatem.

Cuius

Cuius ſententiae noſtrae ſi quis certum pignus poſtulet, ei nihil melius, quam *Werlhofianas obſeruationes de febribus* commendare poſſumus, quo libro nihil facile melius in hoc genere nouimus, ſiue quis ordinem velit, ſiue diuerſarum in tanta ſimilitudine febrium perſpicuam diſtinctionem, ſiue ipſum dicendi genus dilucidum, et, vt in tali diſputatione, probabile, ſiue denique fidem, obſeruationi arcte adſtrictam, ſine opinionis libidine. Erat igitur faciendae artis ita peritus, vt omnino omnem operam curandis aegris impendere debere videretur; ſed idem doctrinae cauſſarumque adeo intelligens, vt nemo melius docere artem poſſet. Praeclare vero cum medicina ageretur, ſi doctores tales ei omni tempore contingerent. Non ſolum enim vanitate opinionum ita liberari poſſet commode, et ad certam rationem propius adduci; ſed capere etiam permagna incrementa ex eorum ſtudiis, qui agendo naturae vias perſequerentur, cogitando autem imitari recte diſcerent, et obſeruare ſine periculo fraudis. Haud paulo minora vero illa bona WERLHOFII fuere, quae vel ſola hominem admirabilem reddunt; ſed ſi ad ſuperiora accedant, tum illud neſcio quid praeclarum efficiunt, vt et poſſis, et velis bene de aliis mereri. Omnibus paratus erat, omnibus facilis et comis, etiam pauperibus, et ſine ſpe lucri. A quot quantisque et coram et per literas conſultus eſt! Tamen reſpondit, et ita quidem, vt confirmati animo aegri facilius iam morbos laturi viderentur, cum humaniſſima eſſet reſponſio, remedium autem ſimplex et parabile. Nihil in ſuadendo ſibi arrogauit, ſed adquieſcere aegrotos cum fiducia iis iuſſit, quae iam alius ſuaſiſſet; aut cum remotus ipſe loco non pernoſcere naturam omnem morbi aegrorumque poſſet, aliorum iudicio conſilia ſua examinari, mutari, probariue paſſus

 eſt,

eſt, nihiloque minus denuo ſuaſit. Inter reges et principes cum verſabatur, vrbanitas artem adiiuuit, ars vrbanitati pretium addidit, vitata omni iactatione. Omnino enim oderat temeritatem eorum, qui omnia rata certa et firma habent, ac ſpecie reconditae ſapientiae ſpem aegrorum allectant. Idem odium ambitioſi obſequii erat: didicerat enim, dignitatem artis ſeuerasque eius praeſcriptiones aduerſus libidinem aegrorum et mollitiem conſtanter tueri. In ſuſcipiendis amicitiis prudens et grauis, in gerendis fidelis fuit, omnisque eius vita honeſtatis ſignificatione pleniſſima. Num ergo inexſpectatum eſt, vitam eius aliorum commodis augendis conſecratam fuiſſe, qui, cum poſſet, etiam vellet inſeruire ceteris? Quid religionis amorem et intelligentiam dicamus, ſine qua cum omnis illa doctrinae honeſtatisque commendatio inter nos inferiore loco ponitur, tum in vniuerſum tot libidinum et cupiditatum impedimenta tolli nequeunt, aut non aeque facile, aut parum idoneis de cauſſis. Ille vero vſque eo progreſſus eſt, vt quamdam Pauli epiſtolam in vſus ſuos commentario illuſtraret, quem qui viderunt, non contemnendum iudicarunt. In quo etſi dubitari poteſt, vtrum magis ſcientia miranda ſit, an religionis exercitium ſeuerum laudandum, tamen videtur poſterioris ratio potius habenda, cum numquam diuulgare librum et demonſtrare ſcientiam voluerit, ſed ipſe his cogitandis occupari, et quae intellexiſſet, mandata chartis in promtu ſemper habere. Ac talem rerum diuinarum cogitationem per omnem vitam efficacem fuiſſe, certum eſt.

Iam videamus, quae vitae talis praeparatio fuerit, aut quae adiumenta reperiri poſſint in iis, quae inde a natalibus ei euenere. Quod ſi maiorum exempla ad imitandum valent, multos habuit WERLHOFIUS,

HOFIUS, quos exprimeret, in his MEIBOMIUM, ipſumque parentem, IOANNEM, iuris profeſſorem primarium in academia Helmſtadienſi, et conſiliarium aulicum Brunſuicenſem, a quo an. 1699. d. 24. martii Helmſtadii genitus eſt. Acceſſit ad haec domeſtica incitamenta ſummorum virorum diſciplina, ingeniique conformatio: nam inde ab anno aetatis 18, praeter BOETTICHERUM GACKENHOLZIUM et SPIESIUM; alterum etiam MEIBOMIUM atque HEISTERUM audiit, qui vnus ſi diſcipulo tali contigiſſet praeceptor, tamen gloriae amplitudine incendere eum, ac diſciplinae praeſtantia prouehere potuiſſet. Sed eidem HEISTERO et MEIBOMIO debuit vberiorem facultatis exercendae occaſionem, cum ab vtroque in ſocietatem agrorum curandorum aſſumtus ſit. Eo facilius ergo potuit Helmſtadienſem academiam cum Peina, epiſcopatus Hildeſienſis oppido, commutare, quo ann. 1721. artis faciendae cauſſa migrauit. Et quamquam tunc, vel a fortuna ductus, vel occaſioni obſecutus, abſtrahi a literarum ſplendore videbatur, et ad artis faciendae neceſſitatem adigi, tamen ſeruauit animum, literarum amantem, nec niſi loco ab academia ſeiunctus eſt: neque enim, ſi quis ſemel bona doctrinae deguſtauit, ita diuelli ab ea poteſt, vt non vbique ad eam reditus detur; nec ita eſt quibusdam oppidis doctorumque hominum coetibus alligata eruditio, vt, modo fideles nos nacta ſit cultores, comitari nos in quemlibet locum, et in ipſam ſolitudinem recuſet. WERLHOFIUS ergo totum illud tempus in ſcriptione libelli collocauit, qui florentem tunc Stahlianam rationem excuteret diligentius: quod ipſum ea de re ſcribendi conſilium et liberalem fiduciam indicat, et literarum ſtudium indefeſſum, niſi vero dicere contra magnos viros, et tum dicere, cum dominantur, vnusquilibet poteſt.

eſt. Minuit tamen hanc fiduciam diſſuadentium amicorum prudentia, qui ipſam conſilii honeſtatem, vt fit, trahi facile in reprehenſionem poſſe vererentur; certe gloriae fructum intercipi nollent inuidia, odio et indignatione Stahlianarum partium. Inde placuit ei ſcribere *de medicina ſectae methodicae veteris, eiusque vſu et abuſu*, quae diſputatio doctoratus capeſſendi cauſſa an. 1723. Helmſtadii defenſa eſt. Altero anno poſt, innotuerat enim de eo fama, Hanouerae, in illuſtri loco et inter plures artem facere iuſſus, non ſolum ſatisfecit eorum exſpectationi, a quibus vocatus erat, ſed ſtudia etiam Helmſtadienſium erga ſe allexit, qui et ei optabilem eiusmodi profeſſorem medicinae, et potiſſimum hanc perſonam imponendam putabant, qui ab illa literarum vniuerſitate doctrinam et docendi veniam accepiſſet. WERLHOFIUS tamen, fortaſſe alienior a crebriore ſuarum rerum commutatione, coeptum ſemel curſum vitae tenendum putauit, nec vmquam eo ſe adduci paſſus eſt, vt ad docendum ſe conferret. Neque tamen per omne illud tempus intermiſit, etiam ſcribendo aliis prodeſſe. Quaedam eius diſputationes *actis medicis Edimburgenſibus* inſertae ſunt; ſed multo plures *commercio literario Noribergenſi*, omnes ipſo dignae, arti vero vtiles. Incidit etiam inter eum et HAHNIUM, medicum Vratislauienſem inter Sileſios, controuerſia. Quod enim HAHNIUS variolarum morbum eundem eſſe ſtatuerat cum veterum anthracibus ſeu carbunculis, reſtitit WERLHOFIUS ſingulari *diſquiſitione medica et philologica*, quae vtriusque morbi diſcrimen conſtitueret. Et quam ipſe in oppugnando modeſtiam adhibuerat, eadem ab HAHNIO exceptus eſt, vt vere appareret, rei et veritatis cauſſa ab vtroque diſputatum eſſe. Nos vero, cum de ſcientia eius atque in arte facienda ſtudio ac felicitate iam dixerimus, facile

cile intelligimus, cur in hoc genere, cui ſe totum dedicarat, et quo literarum omne ſtudium referebat, excellere tantopere potuerit. Vnum illud ſupereſt, fuiſſe eum ſocium academiae naturae curioſorum, ſocietatis regiae Londinenſis, et teutonicae Gottingenſis atque Lipſienſis, denique an. 1740. a rege Britannico archiatrum electum. Quidquid *librorum Werlhofianorum* exſtat, colliget WICHMANNUS, medicus celeberimus, et tam optabiles tantae doctrinae fructus, diſperſos nimis et abſconditos, in manus eruditorum hominum tradet, de quo nos quidem nobis vehementer gratulamur, et editori iam ante permagnas gratias agimus. Haec ergo fuit vita viri, tota illa, vt diximus, ad vnam normam et eodem conſilio acta. Si non in alia atque alia loca vocatus eſt, aut adeo tranſiit, in quo magna pars hominum ſplendorem quaerere ſolet, at nihilo minus conſilia eius ab omnibus expetita ſunt, et tota Germania Werlhofianae doctrinae ac humanitatis particeps fuit. Quod qui minus ſplendidum putat, gloriam in aliis rebus ponere videtur, quae tamen omnis virtute animi, meritis et populari fama continetur. Finem vitae aliquot annis ante, quam adfuit, inſanabilis dextri lateris paralyſis praedixit, cuius cauſſam WERLHOFIUS ipſe a materia podagrica repetere ſolebat, quae retrogreſſa ſpinalem medullam affecerat. Relaxatis tandem omnibus neruis, totoque corpore tremente, victus eſt vi morbi, ac d. 26. iulii an. 1767. placide exſpirauit, dignus tam longa vita, aut adeo multo to longiore. Sed in pectoribus noſtris aeternum viuet.

Index librorum, quos edidit Cl. WERLHOFIUS.

Diſſ. inaug. de medicina ſectae methodicae veteris eiusque vſu et abuſu. Helmſt. 1723. 4.

Obſeruationes de febribus, praecipue intermittentibus et ex earum genere continuis deque earum periculis ac reuerſionibus praenoſcendis et praecauendis, per medelam tempeſtiuam, efficacem, adaequatam, candide et perſpicue propoſitam ad viros clariſſimos et experientiſſimos auctores commercii litterarii Norimbergenſis, qui problema propoſuerant de febribus intermittentibus ſoporoſis et apoplecticis etc. Hannou. 1732. 4.

Cautiones medicae de limitandis laudibus et vituperiis morborum. ibid. 1734. 4.

Cautionum medicarum tres ſectiones, ſiue animaduerſiones de limitanda febris laude et cenſura corticis Peruuiani, quibus obſeruationes de febribus illuſtrantur defenduntur que aduerſus cenſuram diſputatoris FR. A. GOELICKE de laude febris valde ſuſpecta. ibid. 1734. 4.

Mediciniſches Bedencken von den ſogenannten Hinbrüten in einen Schreiben an den Herrn Paſtor TEUBNER. ibid. 1734. 4.

Diſquiſitio medica et philologica de variolis et anthracibus, vbi de vtriusque affectus antiquitatibus, ſignis, differentiis, medelis diſſerit etc. Accedit RUD. AUG. BEHRENS diſſ. de affectionibus a comeſtis mytulis, ibid. 1735. 4.

Obſeruationes, quae partim actis medicis Edimburgenſibus, partim commercio literario Norico ſunt inſertae, ideo non indicauimus, cum earum collectionem in operum editione, ſupra commemorata, exſpectemus.

XVII. Con-

XVII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1764 prodierunt.

Tal innehallande nagra Anmärkningar om Inſecterne hallet för K. Vetensk. Academien d. 7. martii 1764. af Commiſſarien CAR. CLERK, da han intog ſit rum ſaſom K. Academiens Ledamot, Stockholm, 8

Medicus veritatis amator et apollineae artis alumnus, Auctore CLERC, Moſcou. 8 mai.

An Inquiry into the ſtructure of the Human Body, relative to its ſuppoſed influence on the morals of Mankind. By CHARL. COLLIGNON, Cambridge and London, 8 mai.

Noſocomii ciuici Pazmariani annus medicus tertius, ſiue obſeruationum, circa morbos acutos et chronicos ab HENR. IOSEPH. COLLIN factarum. Pars prima, Vindobonae, 8

MATTH. COLLIN ad E. G. BALDINGER epiſt. qua demonſtratur, puſtulas miliares male a quibusdam medicis factitias et ſymptomaticas dici, ib. 8

Lettres de M. DE LA CONDAMINE a M. le Doct. MATY, ſur l'état préſent de l'inoculation en France. 1) ſur la defenſe proviſoire de l'inoculation; 2) ſur l'avis demandé par le Parlement aux Facultés de la Médécine et de la Theologie, au ſujet de l'inoculation; 3) ſur ce, qu'on doit attendre d'Arret definitif du Parlement au ſujet de l'inoculation; 4) notice des ouvrages, qui ont paru depuis un an pour ou contre l'inoculation; 5) ſur les trois dernieres aſſemblées de la Faculté de Medecine, à Paris, 12

Traité pratique ſur la goutte et ſur les moyens de guerir cette maladie, par M. COSTE, nouv. Edit. corrigé, ibid. 12

Trattato pratico ſopra la Gotta e ſopra i rimedi, per guarire di queſta malattia, del Sgr. COSTE, preſentato in Ital. da GIORN. BAT. MERCUSCI, D. M. in Lucca, 8

DOMINICI COTUNNII de iſchiade nervoſa commentarius, Napoli, 8. c. t. aen.

Diſcorſo della Irritabilità d'alcuni Fiori nuovamente ſcoperta, d'il Conte GIOV. BATT. DAL COVOLO, in Firenze, 8. c. tab. aen.

HENR. IO. NEPOM. CRANZ ſtirpium Auſtriarum faſciculus II. Vienn. Auſtr. 8. c. tab. aen.

The virtues of Cinnabar and Musk againſt the bite of a maddog; by IOSEPH DALBY, Birmingham, 4 mai.

MARC. CHRIST. CAIVS. DAME diſp. inaug. ſiſtens diiudicationem placidam obiectionum, quae contra theoriam, originem caloris, ex attritu deducentem, adferuntur, Gött. 4

BERN. DAVANZATI BOSTICHI, la coltivazione Toſcana delle viti e d'alcuni arbori, con i principi dell'agricoltura e della vegetazione del Sig. HOME, in Venezia, 8

HENR. FRID. DELIUS diſ. inaug. de efflorescentia labiorum. Reſp. *Salomo Cellarius*, Erlang. 4

Eiuſdem diſp. inaug. de excretione ſincera inſida. Reſp. *Iac. Frid. Braun*, ibid. 4

Eiuſd. diſp. inaug. ſiſtens experimenta et cogitata circa lixiuium ſanguinis. Reſp. *Georg. Chph. Weismannus*, ibid. 4.

Eiuſd. diſp. inaugur. ſiſtens experimenta et coniecturas circa ſedimentum olei vitrioli album. Reſp. *Ioh. Ge. Iahn*, ibid. 4

Eiuſd diſp. inaug. de febre aſoda. Reſp. *Paul. Lipszky*, ibid. 4

Eiuſd. Progr. de pulſu inteſtinali, ibid. 4

HENR.

HENR. FRID. DELIUS diſp. inaug. ſiſtens theſes, ex vniuerſa medicina ſelectas. Reſp. L. W. *Steeb*, ibid. 4

Von den Mitteln zur Frölichkeit, nach den Gründen der Arzneygelahrheit. Nach einer lateiniſchen Abhandlung des Herrn Hofr. und Prof. DELIUS *überſetzt und vermehrt, Nürnberg*, 8

Le Gentilhomme Cultivateur, ou Corps complet d'Agriculture, traduit de l'Anglois de M. HALL, et tiré des Auteurs, qui ont le mieux écrit ſur cet Art; par Mr. DUPUY DEMPORTES, Tome VIII. à Paris, 4. av. fig.

Eiuſdem libri in forma duodecima, Tom. XV, XVI, ibid. av. fig.

Lettre a M *** ſur la mortalité des Chiens dans l'année 1763; par M. DESMARS, à Amſt. et Paris, 12

Diſcours ſur les Epidemies D'HIPPOCRATE, par *le même*, à Berne, 12

FRANCISC. OLIVER. DEWEZ diſp. inaug. de rhachitide, Viennae, 8

Memoire concernant differens remedes pour les maladies veneriennes, par le Sieur ROGER DIBON, Chirurg. à Paris, 8

IO. LUD. DIETRICHS diſſ. inaug. de haemorrhoidibus criſtatis, Altorf, 4

FRANC. MICH. DISDIER de coſtarum fractura, theſes anatomicae et chirurgicae. Reſp. *Io. Burgaliere*, Paris, 4

Manuel de Botanique, contenant les proprietés des plantes utiles pour la nourriture, d'uſage en medecine, employées dans les arts, d'ornement pour les jardins, et que l'on trouve à la campagne aux environs de Paris; par M. DUCHESNE, Fils, à Paris, 12

SAM. DURAEUS diſſ. de caſu inuentorum fertiliſſimo. Reſp. *Olaus Meurling*, Vpſal. 4

Eiuſd. diſſ. de elaſticitate aquae. Reſp. *Car. Pet. Fernberg*, ibid. 4

Eiuſd. diſſ. de rarefactione aeris in antlia pneumatica. Reſp. *Dan. Hallencreuz*, ibid. 4

Eiuſd. diſſ. de vſu ac praeſtantia phyſices, P. 2. Reſp. *Pet. I. Tillaeus*, ibid. 4

Oeuvres anatomiques de M. DUVERNEY: contenant ſes obſervations ſur le cerveau et les organes des ſens, ſur la poitrine, le coeur et les poumons, ſur l'eſtomac, le bas ventre et les parties de la generation. Avec les autres traités du même auteur, tant ceux, qui avoient deja eté inprimés, que ceux, qui n'ont point encore paru, nouvelle Edit. à Amſterd. Vol. I. II. 4. av. fig.

IO. PETR. EBERHARD diſſ. inaug. de cauſſis auctae ſenſibilitatis generatim. Reſp. *Io. Ludou. Haake*, Halae, 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de morte ſubitanea absque vllo manifeſto laeſionis in corpore ſigno. Reſp. *Io. Georg. Chph. Zarnack*, ibid. 4

Gleanings of Natural Hiſtory, containing figures of Quadrupeds, Birds, Inſects, Plants, etc. Moſt of which have not, till now, been either figured or deſcribed, with deſcriptions of eighty-five different Subjects, deſigned, engraved, and coloured after Nature, on fifty two copper-plate prints. Part III. by GEORGE EDWARDS. (*Anglice et Gallice*) Lond. 4 mai. c. tab. aen. viu. coloribus pictis.

D. MARTIN FRIEDR. LUDW. EISFELD *über das Angenehme und Unangenehme bey Ausübung der Geburtshülfe, an den Herrn D.* IOACH. FRIEDR. HENKEL *in Berlin*, *Quedlinburg*, 8

P. EKERMAN diſſ. de purpura eiusque vſu ac pretio apud veteres. Reſp. *Pet. Tillaeus*, Vpſal. 4.

IOH. THEOD. ELLERS *phyſicaliſch, chymiſch, mediciniſche Abhandlungen aus den Gedenkſchriften der königlichen Academie der Wiſſenſchafhaften herausgezogen und überſezt von* CARL ABRAHAM GERHARD, *zwey Theile, Berl. Stett. und Leipzig*, 8. *m. K.*

Die längſt gewünſchte Cur des ſo fürchterlichen und von vielen vor unheilbar geachteten Schaarbocks, durch wenige, doch gewiſſe, ſichere und gar nicht koſtbare Mittel etc. nebſt einer kleinen Schifsapotheke, von CHRIST. ERNST ENDTER, *Hamburg*, 8

ABRAH. ENS de morbo boum Oſteruicenſi pro peſte non habendo. Edit. III. auctior, Regiomonti, 4 mai.

IOSS. IOS. PASCHAL. ERNON diſſ. inaug. de amauroſi, Argentor. 4

IO. FRID. FASELIUS diſſ. inaug. de hydrophobia. Reſp. *Adolph. Traugott Otto*, Ienae, 4

Eiuſd. diſſ. inaugur. de medicamentis refrigerantibus. Reſp. *Io. Gottfr. Hartig*, ibid. 4.

Eiuſd. Progr. II. de vaſis corporis animalis aereis, ibid. 4

Traité des maladies les plus frequentes a Surinam, et des remedes les plus propres a les guerir, ſuivi d'une diſſertation ſur le fameux Crapaud de Surinam, nommé *Pipa*, et ſur ſa generation en particulier, av. fig. en taille douce; par M. PHILIPPE FERMIN, à Maſtricht, 8

ANT. FERREIN quaeſt. med. an in parte mortua ſectio poſt ſyderationem. Reſp. *Car. Lud. Franc. Andry*, Paris, 4

LAUR. FERRET quaeſt. med. an chirurgia recens inſtrumentalis antiqua perfectior. Reſp. *Franc. Thiery de Buſſy*, ibid. 4

Obſer-

Obſervations particuliers ſur la Medecine et la Chirurgie, l'Art des Accouchemens et les maladies veneriennes, avec des reflexions en faveur des jeunes Praticiens, par M. FICHER DE FLUY, M. D. à Paris, 12

IO. BAPT. MONTECOT FRAIROT diſſ. de viribus vitalibus, Monſpel. 4

IO. LUDOLF FRANK diſſ. inaug. de liquore amnii, Götting. 4

Dizionario compendioſo di San'tà, che comprende l'eſatta deſcrizione di tutte l'umane malattie, e de' Rimedi ſperimentati da' piu celebri Profeſſori, illuſtrato di oſſervazioni jatrofiſiche dal Dot. FUSANUCCI, Tom. I. II. III. in Venezia, 8. Vol. 3.

PET. ADR. GADD. Upmuntran och Underrättelſe til nyttiga plantagerers widtagande i Finland. P. II. Abo, 4

Eiuſd. Akerbrukets Chemiska grunder, IV Delen, blandade akerjordmonens rätta Känning och förbättring. Reſp. *Stenius*, ibid. 4

Eiuſd. diſſ. Förſök at utmärka rätta ſänings-tiden. Reſp. *Iac. Herm. Gadd*, ibid. 4

L'Art de convertir le cuivre rouge, ou cuivre de Roſette en laiton ou cuivre jaune, au moyen de la pierre calaminaire, de le fondre en tables, de le battre ſous le martinet, et de le tirér a la filiere; par M. GALLON, à Paris, fol. c. tab. aen.

MICH. NICOL. GANTER diſp. inaug. ſiſtens diagnoſes morborum pectoris, Viennae, 8

ANT. GARNIER quaeſt. med. an febri malignae veſicantia? Reſp. *Franc. Portier*, Paris, 4. (*Prodiit iam ibid.* 1741. 4. *Auctore et Reſp.* ANT. BERGIER, *Praeſ.* ANT. FERREIN.)

Formules de medecine, latines et françoiſes, pour le Grand-Hotel-Dieu de Lyon; utiles aux Hopitaux

pitaux des Villes et des Armées, aux jeunes Medecins, Chirurgiens, Apoticaires, aux Perſonnes charitables et aux Habitans de la Campapne; par PIERRE GARNIER, nouv. Edit. revue, corrigée et augmentée par M. L. GARNIER, à Paris, 12

Eſſays on medical ſubjects, originally printed ſeparetely: To which is now prefixed an Introduction relating to the uſe of Hemlock and Corroſive ſublimate; and to the Application of Cauſtic Medicines in Cancerous Diſorders; by THOM. GATAKER, London, 8

Reflexions ſur les prejugés, qui s'oppoſent aux progrés et à la perfection de l'inoculation, par M. GATTI, à Bruxelles, 12

Fortſetzung der Abhandlung von der Materia medica des Herrn STEPH. FRANZ GEOFFROY, *7der Theil, von den Thieren. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, Leipz.* 8.

Hiſtoire abregée des Inſectes, dans la quelle les Animaux ſont rangés ſuivant un ordre methodique; par M. GEOFFROY, D. en Med. Tom. I. II. à Paris, 4 mai. c. tab. aen. 22.

C. F. GEORGI diſſ. de regione Wermelandorum metallica, olim *Wermelands Berg* dicta, et oppido Philippſtadio. Reſp. *Er. Fernow*, Vpſal. 4

Recueil de 730 planches, contenant les figures des plantes et animaux utiles en medecine, gravées en taille douce, ſur les deſſeins d'après nature de M. GERSAULT, Tomes V, à Paris, 8 mai.

MAXWELL GERTHSHORE diſſ. de papaueris vſu tam noxio, quam ſalutari in parturientibus ac puerperis, Edimburg, 8

IOAN. GESNER diſſ. phytographiae ſacrae Pars practica IV. Tiguri, 4

De

De vua vrſina eiusque et aquae calcis vi lithontriptica nouae animaduerſiones, experimenta, obſeruationes MICH. GIRARDI, Patau. c. tab. aen.

Nüzliche und durch die Erfahrung bewährte Vorſchläge, bey heftigen und geſchwinden Feuersbrünſten Häuſer und Mobilien ſicher zu retten: nebſt einer gründlichen Anweiſung groſſe und gefährliche Feuersbrünſte zu verhüten, und was man bey Auf- und Ausbauung der Häuſer und Aufbehaltung der Mobilien auf eine nuzbare Weiſe zu beobachten habe, von D. I. FR. GLASER, *3te, viel vermehrte und verbeſſerte Auflage, Hildburghauſen,* 8

IO. GOTTL. GLEDITSCH ſyſtema plantarum a ſtaminum ſitu, ſecundum claſſes, ordines et genera, cum characteribus eſſentialibus, Berolini, 8

Das neueſte aus dem Reiche der Pflanzen oder mikroſcopiſche Unterſuchungen und Beobachtungen der geheimen Zeugungstheile der Pflanzen in ihren Blüten, und der in denſelben befindlichen Inſecten; nebſt einigen Verſuchen von dem Keim und einem Anhang vermiſchter Beobachtungen, beſchrieben und mit Farben nach der Natur vorgeſtellet von WILHELM FRIEDR. *Freyherrn* VON GLEICHEN, *genannt* RUSWORM etc. *herausgegeben, verlegt und mit den nöthigen in Kupfer geſtochenen und illuminirten Abbildungen verſehen, von* IOH. CHPH. KELLER, *Nürnberg,* Fol.

SAM. GLOSIUS diſſ. inaug. ſiſtens diagnoſin morborum ſyſtematis biliferi et vropoetici, Vindobonae, 8

PHIL. FRIED. GMELIN diſp. inaug. ſiſtens faſciculum plantarum patriae vrbi vicinarum, ſponte creſcentium, cultarumque cum vſu omni earundem plebeio, adiectis obſeruationibus in botanicam generalioribus typoque curatioris auium deſcripti-

ſcriptionis; Reſp. *Io. Georg. Weinmann*, Tubing. 4

Diſſertation ſur la nature, la maniere d'agir, les eſpeces et les uſages des antipaſmodiques proprement dits, qui a remporté le prix de l'Academie des Sciences et Belles Lettres de Dijon en 1764, par Mr. GUIL. LAMBERT GODAR, a Dijon. 8

IOACH. GOETZKE caſus medico practicus de polypo cordis cum nimia palpitatione cordis, Spirae, 4

Appendix ad floram Ingricam; (*Studio* DAV. DE GORTER, *Petropoli*), 8

I. G. GRAEF diſſ. inaug. de calloſa excreſcentia oeſophagum obſtruente mortis cauſſa, Altorf. 4

The Hiſtory of Kamtſchatka and the Kurilſki Iſlands, with the Countries adiacent; illuſtrated with Maps and Cuts. Publiſhed at Petersbourg in the Ruſſian Language by Order of Her Imperial Maieſty, and translated in to Engliſh by IAMES GRIEVE, M. D. Gloceſter, 4 maj. c. tab. aen.

Nuova maniera di ſeminare e coltivare il frumento, che reca quaſi cinquante par cento d'utile piu, che coll' ordinario uſitato metodo, con in fine delineati in una gran tavola tutti gli ſtromenti neceſſari a tal vopo, publicata a commune beneficio da FRANCESCO GRÖSELINI, in Firenze,

Zoophylacii Gronouiani faſciculus ſecundus, exhibens enumerationem inſectorum, quae in muſeo ſuo adſeruat, examini ſubiecit, ſyſtematice diſpoſuit atque deſcripſit LAUR. THEOD. GRONOVIVS, I. U. D. cet. additis rariſſimorum inſectorum iconiſmis, Lugd. Batau. Fol. c. tab. aen.

Ergötzende Sommerbeluſtigungen, zweyter Theil, welcher mehreres zur Sommerluſt gehöriges Blumen und Gartengewächs, nach ſeinem Anbau, richtigen Benennung,

nennung, Nutzen, Gebrauch und Merkwürdigkeiten gründlich betrachtet, aus Selbſterfahrung nach alphabetiſcher Ordnung aufgeſetzt von IOH. AUGUST GROTIAN, *Leipzig und Nordhauſen*, 8

Projet d' ouverture et d' exploitation des minieres et mines d'or et d'autres metaux, aux environs du Cezé, du Gardon, de l'Etaut, et d'autres Rivieres du Languedoc de la Comté de Foix, du Rovergue etc. par M. l'Abbé DE GUA DE MALVES, a Paris, 8

Specimen experimentorum naturalium, quae ſingulis annis in illuſtri Piſana Academia exhibere ſolet CAR. ALPHONS. GUADRAGICUS, Piſae 4. c. tab. aen. 8

IO. GEORG. GÜNTHER diſſ. inaug. de purpura miliari, Argentor. 4

IO. GOTTLOB HAASE epiſt. gratul. de iecore foetus, Lipſiae, 4.

Fragor, ſom ofta äro framſtälte öfver koppers ympande, men hvaruppa alt hittils ſaknas rent Svar af de Lärda, hälſt indirecta Svar härvid ſynns göra mindre tilſylleſt: til den Medicinska Facultetens bepröfvande ater oppgifne af ANTONIO VON HAEN, och nu fran Latinſka ſpraket öfverſatte, Stockholm, 8

ANTON. DE HAEN Pars nona rationis medendi in noſocomio practico, etc, Viennae, 8. c. f.

Eiuſdem libri Tomus III et IV. partes VI, VII, VIII. complectens, Pariſiis, 8. Vol. 2.

Eiuſdem ad Perill. B. L. TRALLES epiſtolam apologeticam reſponſio: cuius pars prior circa variolarum inoculationem verſatur, altera ſanguinis miſſionem et opium in ſtadio variolarum ſuppuratorio laudat, Viennae, 8

HAGERS *gründlicher Unterricht von dem Waldbau, Kopenhagen*, 8

IOH. SAM. HALLENS *Werkſtädte der heutigen Künſte oder die neue Kunſthiſtorie. Mit Kupfern und Vignetten. Dritter Band, Brandenburg und Leipzig*, 4

Elementa phyſiologiae corporis humani. Auctore ALB. V. HALLER Tomus VI. Deglutitio, Ventriculus, Omenta, Lien, Pancreas, Hepar. Bernae, 4. maſ. c. tab. aen.

De l'Exploitation des Bois, ou Moyens de tirér un parti avantageux des Taillés, Demi-Futaies et Hautes-Futaies, et de'n faire une iuſte Eſtimation: avec la Deſcription des Arts, qui ſe pratiquent dans les Forets: faiſant partie du Traité complet des Bois et des Forets par M. DU HAMEL DU MONCEAU; Partie I et II. a Paris 4. mai. c. tab. aen.

L'Art de rafinér le Sucre, par le meme; *ibid.* fol. c. tab. aen. 10.

Kurzer, doch gründlicher Begrif des geſammten Feldbaues, oder Anweiſung, alle Arten des Getraides, der Futterkräuter und der vornehmſten zur Kleidung und Färberey dienlichen Gewächſe mit Nutzen zu bauen, gröſstentheils aus des Herrn DU HAMEL DU MONCEAU *Anfangsgründen des Ackerbaues herausgezogen, und mit vielen neuen Abhandlungen, Zuſätzen, auch vielfältig bewährten Erfahrungen verſchiedener Landwirthe in hieſigen und benachbarten Gegenden herausgegeben von* — — — SPRENGER, *Stutgard*, 8

PETRI HARDUINI, Veronenſis, animaduerſionum botanicarum ſpecimen alterum, Venetiis 4. mai. c. tab. aen. 20

IOH. FRIEDR. HARTMANNS *Anmerkungen über die nöthige Achtſamheit bey Erforſchung der Gewitterelectricität, nebſt Beſchreibung eines Electricitätszeigers, Göttingen* 4 *mit K.*

HASENS *Sammlung verſchiedner Vorſchriften die Rindviehſeuche betreffend*, *Wittenberg* 8

MICH. HAUNALTER diſſ. inaug. ſiſtens generalia quaedam prognoſtica in morbis acutis, Vindob. 8

CHRIST. HAUSMANN diſſ. ſiſtens acidularum Sulzbacenſium hiſtoriam et analyſin, Argent. 4

A Treatiſe on fevers in general, *cet.* by IOHN HAWKRIDGE, London. 8

IOH. CAR. HEFFTERI Muſeum diſputatorium phyſico-medicum tripartitum. Voluminis IIdi Pars I. Praeſides diſſertationum deſignans. A-M. No. 1-5180. n-z. No. 5181-9382. Zittauiae Luſat. 4. Voluminis IIdi. Pars II. titulos materiarum indicans. Voluminis IIdi Pars III. deſignationem reſpondentium complectens, ibid. 4

ANTON. HEINS M. D. *Betrachtungen über die Nothwendigkeit, ſich in geſunden und kranken Tagen nach der Vorſchrift der Natur zu richten; nebſt einer Anzeige einiger von ihm ſelbſt erfundenen geprüften Arzneyen, womit in den mehreſten Fällen ein ieder ſeine Geſundheit ſelbſt erhalten und wieder herſtellen kann*, *Hamburg*, 8

The Virtues of Sage in Lengthening Human Life: with Rules to attain old Age in Health and Cheerfulneſs; by Dr. I. HIL, The ſecond Edit. London. 8

The vegetable Syſtem: or the internal ſtructure and the Life of Plants, their Parts and nouriſhment explained; their Claſſes, Orders, Genera and Species aſcertained and deſcribet, in a method altogether new: comprehending an artificial Index, and a Natural Syſtem: with Figures of all the Plants, deſigned and engraved by the Author. The whole from nature only; by IOHN HILL. Vol. VI. containing the whole Claſs of Umbrellaed or Umbelliferous Plants, London.

London. fol. mai. c. tab. aen. Vol. VII. containing the firſt Series of the One Petal'd Plants. ibid. Fol. mai. c. tab. aen. Vol. 2

HIPPOCRATIS COI aphoriſmi et praeſagia latine verſa, cum recognitione, notis et prolegomenis ANDREAE PASTAE. Edit. nouiſſ. ab Auctore emendata et aucta, Venetiis, 12

D. L. E. HIRSCHELS *Betrachtung, ob die Wirkung des Mercurii* ſublimati corroſiui *in den veneriſchen Krankheiten innerlich gegeben, gegründet ſey? nebſt einer Erwehnung der Cicuta: vermehrte Auflage, Berlin,* 8

Le Socrate ruſtique, ou deſcription de la conduite oeconomique et morale, d'un Payſan philoſophe, traduit de l'Allemand de M. HIRZEL, a Zurich, 12

Etwas 1) *von der Teicharbeit,* 2) *vom nüzlilchen Gebrauche des Torfmoors,* 3) *von Verbeſſerung der Wege, aus bewährter Erfahrung mitgetheilt von* IOH. WILH. HÖNERT, *Bremen,* 8

C. L. HOFFMANN *giebt Nachricht von einer guten Heilart der Kinderblattern, und von einem neuen kräftigen Mittel, bey bösartigen und zuſammenflieſsenden Pocken, Münſter,* 4

THOM. HOLDSWORTH diſſ. inaug. de ictero, Edinburgi, 8

FRANCESCO HOME i principi dell' agricoltura e della vegetatione, traduzione dall' Ingleſe, coll' aggiunta di due memorie ſulla maniera di preſervare dalle corruzione il fromento, accreſciuta dal traduttore di annotationi, e della coltivazione toſcana, di BERNARDO DAVANZATI, Venetiis, 8

Nouvelle deſcription phyſique, hiſtorique, civile et politique de l' Iſlande, avec des obſervations critiques ſur l'Hiſtoire naturelle de cette Iſle,

 donnée

donnée par M. ANDERSON. Ouvrage traduit de l'Allemand de M. HORREBOWS, qui y a eté envoyé par le Roi de Dannemark. Tome I. II. à Paris, 12. Vol. 2.

FRANC. PORTIER DE LA HOUSSINIERE Queſt. med. an ſua ſit cuique aetati peculiaris euacuatio. Reſp. *Lud. Claud. Guilbert*, Pariſ. 4

IO. FRIDER. HULSEBUSCH diſſ. inaug. de hyſteritide puerperarum, Arg. 4

A Supplement to the firſt Part of Medical-Commentaries by D. HUNTER, London. 4 mai.

Eſſai ſur les differentes eſpeces des fievres, avec des diſſertations ſur les fievres lentes, nerveuſes, putrides, peſtilentielles et pourprées; ſur la petite verole, ſur les pleureſies et les peripneumonies; par IEAN HUXHAM. On y a joint deux autres eſſais: l'un ſur la maniere de nourrir et d'elevér les enfans depuis leur naiſſance juſqu' a l'age de trois ans; l'autre ſur leurs differentes maladies; et un Appendice contenant une methode pour garantir les mariniers des maladies dans les voyages de long cours. Nouvelle edition, augmentée de trois ouvrages du même Auteur: le premier ſur les maux de gorge avec ulceres malins; le ſecond ſur l'antimoine, et le troiſieme ſur une colique epidemique, à Paris, 12

An Eſſay on Fevers. To which is now added a Diſſertation on the malignant ulcerous Sore-Throat: by IOHN HUXHAM, London. 8

Obſeruationes de aere et morbis epidemicis, Plymuthi factae ab anno 1728 ad exitum uſque 1748, autore IOANNE HUXHAM, Editio prima. Veneta poſt ultimam Londinenſem. Accedit opuſculum de morbo colico Damnonienſi, cet. T. I. II. Venetiis, 8 Vol. 2

Einſd.

Eiuſd. Opera phyſico-medica, curante GEORG. CHRIST. REICHEL, Tom. I. II. III. Lipſiae, 8 Vol. 3

IOHANN FRIEDR. IACOBI *vermiſchte Abhandlungen. Erſte Sammlung, Hannover*, 8

NIC. IOH. IACQUIN obſeruationum botanicarum, Pars I. Viennae, Fol. c. 25 tab. aen.

De la Santé, ouvrage utile a tout le monde, par Mr. l'Abbe IACQUIN, nouvelle Edition, à Paris, 12

Abhandlung von der Geſundheit: aus dem Franzöſiſchen des Herrn Abt IACQVINS *überſezt; mit einer Vorrede und einigen Zuſätzen begleitet von* IOH. NEUHOFER, *Augsburg*, 8

GEORG. IANOSSI diſſ. inaug. de medicamentorum ſimplicium praecellentia, Traiecti ad Rhen. 4

ANTON PIMBIOLO COMES INGHELFREDI Oratio; Hippocrates ſyſtema neque conflauit, neque admiſit, ſed ſolas obſeruationes eſt conſectatus, Pataüii, 4 mai.

Animaduerſiones medicinae practicae in febrem hecticam. Auctore CAR. IOANNINIO, Lucae.

IAC. FRID. ISENNFLAMM Diſſ. inaug. de anaemia vera. Reſp. *Io. Paul. Kutter*, Erlangae, 4

Eiuſd. Progr. de tunica celluoſa, ib. 4

Eiuſd. diſſ. methodus plantarum medicinae clinicae adminiculum. Reſp. *Io. Chriſt. Ehrenfr. Gebauer*, ibid. 4

FRIDR. CHRIST. IUNCKER diſſ. inaug. de plurium ſignorum in morbis et cognoſcendis et curandis neceſſaria coniunctione. Reſp. *Io. Sigiſm. Frid. Biſten*, Halae, 4

KAEPLERS *gründliche Anleitung zu mehrerer Erkenntniß und Verbeſſerung des Forſtweſens, Eiſenach*, 8

Elogium IO. GEORG. ROEDERERI in conſeſſu Soc. Sc. Götting. d. 18. Febr. 1764, recitauit ABRAH. GOTTHELF KAESTNER, Goetting. 4

Des Herrn PETER KALMS *Beſchreibung der Reiſe, die er nach dem nördlichen Amerika auf den Befehl gedachter Akademie und öffentliche Koſten unternommen hat. Der dritte Theil, Goetting.* 8 *m. K.*

CAR. FRIDER. KALTSCHMIED diſſ. inaug. de puero duodecim annorum, anchyloblepharo laborante, curato. Reſp. *Chriſt. Gotth. Gnadenreich Barchewitz*, Ienae, 4

Eiuſd. Progr. de maſticatione pueri ſeptem annorum, per cartilaginem, maxillas ligantem, ſublata, ſed per operationem chirurgicam reſtituta, ib. 4

Eiuſd. Progr. de ſcirrho glandulae axillaris ſiniſtrae exſtirpatae, ibid. 4

Abhandlung von Zwiebelgewächſen, worinnen alles dasjenige, was ſowohl zu deren Bau und Fortpflanzung, als auch zu nöthiger Pflege und Wartung dieſer Gewächſe erforderlich iſt, den Blumenliebhabern aus vielfältiger Erfahrung aufrichtig eröfnet wird; aus dem Franzöſiſchen des Herrn NICOL. *von* KAMPEN, *Baumeiſter zu Harlem, Regenſburg*, 8

IO. IACOB KIRSTEN diſſ. inaug. de exiſtentia liquoris gaſtrici inprimis contra D. LIEUTAUD. Reſp. *Io. Dav. Villforth*, Altorf. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. in VIRGILII verſ. alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Reſp. *Chriſt. Gottlieb Kirſten*, ibid. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. deu vuula eiuſque vſu. Reſp. *Elias Baur.* ibid. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de tartaro emetico. Reſp. *Georg. Dan. Wibel*, ibid. 4

IOH. THADD. KLINKOSCH Progr. quo diuiſionem herniarum nouamque herniae ventralis ſpeciem proponit, Pragae, 4

IO. HIERON. KNIPHOFII Botanica in originali, ſ. Herbarium viuum, in quo plantarum, tam indigenarum, quam exoticarum, peculiari quadam operoſaque enchireſi atramento impreſſorio obductarum, nominibuſque ſuis ad methodum Ill. LINNAEI et LUDWIGII inſignitarum, elegantiſſima ectypa exhibentur, opera et ſtudio IO. GODOFR. TRAMPE. Centuria XI. XII. et vltima, Halae, fol.

CHPH. FRIDER. KOCH diſſ. inaug. ſiſtens conſiderationem pathologico-practicam febrium intermittentium, Halae, 4

ALEXAND. BERN. KOELPIN commentatio botanico-phyſica de ſtylo eiuſque differentiis externis, Gryphiſwald, 4

Eiuſd. diſſ. de foetus et adulti differentia. Reſp. *Iac. Barnh. Balthaſar*, ibid. 4

IOSEPH GOTTLIEB KOELREUTERS *zweyte Fortſetzung der vorläufigen Nachrichten von einigen das Geſchlecht der Pflanzen betreffenden Verſuchen und Beobachtungen*, *Leipzig*, 8

IOAN. PHIL. KOENIG diſſ. inaug. exhibens caſum aegroti, colica ſaturnina laborantis, Argent. 4

CAR. KRATOCHVILL diſſ. de radice colchici autumnalis, Francof. ad Viadr. 8

SAMUEL KRETSMARS *Beſchreibung der in Dresden ohnlängſt erzeugten* Martyniae annuae villoſae, *nebſt einer Abhandlung, worinnen der Nutzen gezeiget wird, den die Kräuterlehre der Arzneykunſt leiſtet, und einem Anhange, welcher die Vortheile erkläret, die man von einem Kräutergarten in den wirthſchaftlichen Gewerben zu gewarten hat, Friedrichsſtadt*, 4 *m. K.*

I. M. KÜHNS *Abhandlung von der höchſtnöthigen Conſervation des Holzes aus denen Königl. Preuſſ.*

Cleviſch Chur Hannöveriſch und Heſſen-Caſſeliſchen Forſtordnungen dargethan. Nürnberg, 8

Nachricht von Wahlen, wer ſie geweſen, wo ſie Golderzt aufgeſucht und gefunden, wo ſie ſolches gegeſchmelzt und zu gut gemacht, auch wie ſie aus Erzen und Kräutern Gold gemacht; aus alten Schriften und Nachrichten gezogen etc. *von* C. G. L. *Frankfurth und Leipzig*, 8

MATH. THOM. LACASSAIGNE Quaeſt. med. num pili plantae. Reſp. *Edmund Claud. Bourry*, Pariſ. 4

L' Art du Tanneur, par M. DE LA LANDE, à Paris fol. c. tab. aen.

CHRIST. FRID. TOB. de LANG. diſſ. inaug. de arcano duplicato, Altorf. 4

IO. HENRIC. LANGE diſſ. ſiſtens dubia cicutae vexata. Reſp. *Io. Gottw. Müller*, Helmſtad. 4

GEORG. AUG. LANGGUTH. Progr. quo de diſpoſitione ad haemorrhoides naturali omnino nulla, nonnulla commentatur, Wittenb. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. ſiſtens caſum de motibus ſpaſmodicis vagis, iunctis deliriis periodicis iucundis, annexa eorum theoria atque therapia. Reſp. *Io. Roettiger Salomo Holdfreund*, ibid. 4

Eiuſd. Progr. de medico ex clinice philoſopho τȣ Θείȣ ἐν τοῖς τῶν ἐνεϱγȣμένων νόσοις competente iudice, ibid. 4

Eiuſd. Progr. de incrementis futuri populi, ib. 4

Deutliche Anweiſung, wie man ſich im Nothfalle ſelbſten von den gefährlichſten und meiſten Krankheiten befreyen könne; abgefaßt von DAN. LANGHANS, *4ter Theil, Bern.* 8

IOH. LASTBOHMS diſſ. ſiſtens praecepta CATONIS de oeconomia priuata, P. I. Reſp. *Petr. Waſſtrom*, Upſal. 4

Eiuſd. Förſök att utröna Landt - huſhallningens tillſtand genom Tabeller, Förſvarad of *Ioh. Didrik Ekmann*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. de piſcinis. Reſp. *Car. Iſberg.* ib. 4

Dictionnaire portatif de Medecine, d' Anatomie, de Chirurgie, de Pharmacie, de Chymie, d' Hiſtoire naturelle, de Botanique et de Phyſique, qui contient les termes de chaque art, leur etymologie, leur definition et leur explication; tirés des meilleurs auteurs; avec un Vocabulaire grec et un latin, a l' uſage de ceux, qui liſent les auteurs anciens: par IEAN FRANÇOIS LAVOISIEN, Tom. I. II. à Paris, 8 mai. Vol. 2

Traitemens des Maladies internes et externes, traduits du Latin. de M. DE LAZERME, avec les formules en latin et en françois, augmenté d'un traité des Maladies Veneriennes; par M. DIDIER DES MARETS, ſeconde Edition, revue et corrigée, á Paris, 12

IO. LECHE Underrättelſe om wilda träds och buſkars plantering, grundad pä naturen och förfarenheten, Stockholm, 8

MARTIN FROBENIUS LEDERMÜLLERS *Phyſikaliſch mikroſcopiſche Zergliederung des Korns oder Rokkens; nebſt der Beobachtung ſeines Wachsthums: mit 4 nach der Natur mit Farben auf das fleiſſigſte erleuchteten Kupfertafeln*, *Nürnberg*, *Fol.*

Eiuſd. Phyſikaliſch mikroſcopiſche Zergliederung und Vorſtellung einer ſehr kleinen Winterknoſpe des Hippocaſtani ſeu Eſculi, *oder des wilden Roſſkaſtanienbaums; nebſt 3 mit Farben nach der Natur ſorgfältigſt erleuchteten Kupfertafeln*, ibid. fol.

Eiuſd. Phyſikaliſch mikroſcopiſche Beſchreibung eines beſondern phoſphoreſcirenden und faſerichten Steins; mit Vergleichung der Bononienſiſch leuchtenden Steine, auch einiger anderer demſelben ähnlicher Mine-

ralien und Foſſilien, von dem Verfaſſer der mikroſcopiſchen Gemüths und Augenergötzung, Nürnberg, 4 mai.

Eiuſd. Verſuch bey angehender Frühlings-Zeit die Vergröſſerungs-Werkzeuge zum nützlich und angenehmen Zeitvertreib anzuwenden, von dem Verfaſſer der mikroſcopiſchen Gemüths-und Augenergötzung, Nürnberg, fol. m. XII. illuminirten Kupfern. Eſſay d'employér les Inſtruments microſcopiques avec utilité et plaiſir dans la Saiſon du Printems etc. traduit de l'Allemand par I. C. HARREPETER, Maitre ès arts, Nuremberg. folio.

Pharmacopée univerſelle, contenant toutes les compoſitions de Pharmacie, qui ſont en uſage dans la Medecine, tant en France, que par toute l'Europe, leurs vertus, leurs doſes, les manieres d'operér les plus ſimples et les meilleures; avec un lexicon pharmaceutique, pluſieurs remarques et des raiſonnemens ſur chaque operation; par NIC. LEMERY Vme edit. à Paris. 4. Vol. II.

Obſeruationum medicarum faſciculus primus, auctore LEB. FRID. LENTIN. M. D. c. praeſ. RUD. AUG. VOGEL. Lipſiae et Guelpherb. 8

HENR. PALMATIUS LEVELING diſſ. inaug. ſiſtens pylorum, anatomico - phyſiologice conſideratum. Argent. 4. c. tab. aen. 2.

VINCENZ ANDREAS LEVIZZARI primi felici ſucceſſi dell inoculazion el vajuola nella Regia, di qua dell Alpi, in Lugano, 8

IO. NEPOM. ANTON LEUTHNER diſſ. inaug. de acidulis Dizenbacenſibus in Comitatu Wartembergico, Ingolſtadii, fol. c. tab. aen.

WILHELM LEWIS, *der Zuſammenhang der Künſte, philoſophiſch practiſch abgehandelt. Ein Verſuch für die Beförderung der Künſte, Gewerbe und Manufacturen. Aus dem Engliſchen überſetzt und mit*

einigen

einigen Zuſätzen herausgegeben von I. H. ZIEGLER, *des erſten Theils erſter Band*, *Zürich*, 8. *m. K.*

IOS. LIEUTAUD Synopſis vniuerſae praxeos medicae, Tom. I. II. Amſtelod. 4. Vol. 2.

CAROLI VON LINNE diſſ. de diaeta, per ſcalam aetatis humanae obſeruanda. Reſp. *Dan. I. Ohrquiſt*, Vpſal. 4

Eiusd. genera plantarum eorumque characteres naturales ſecundum numerum, figuram, ſitum et proportionem omnium fructificationis partium. Editio ſexta ab Auctore reformata et aucta, Holmiae, 8 mai.

Eiuſd. Muſeum LUDOVICAE VLRICAE Reginae Suec. Goth. Vandal. in quo animalia rariora, exotica inprimis inſecta et conchilia deſcribuntur et determinantur, prodromi inſtar editum, ibid. 8 mai.

Eiuſd. diſſ. Hortus culinaris. Reſp. *Ion. C. Tengberg*, Vpſal. 4

Eiuſd. diſſ. Opobalſamum declaratum. Reſp. *Wilh. le Moine*, ibid. 4

Eiuſd. Muſaeum Regis, in quo animalia rariora, inprimis exotica, aues, amphibia et piſces deſcribuntur, Tomi IIdi prodromus, Holmiae, 8 mai.

Eiuſd. ſpecies plantarum, exhibentes plantas, rite cognitas, ad genera relatas, Vindobonae, 8. Vol. 2.

Eiuſd. diſſ. ſpiritus frumenti. Reſp. *Pet. Bergius*, Vpſal. 4.

Eiuſd. Reiſen durch Oeland und Gothland, welche auf Befehl der Reichsſtände des Königreichs Schweden im Jahr 1741. *angeſtellet worden. Aus dem Schwediſchen überſetzt, m. Kupf. Halle*, 8

Selectae ex amoenitatibus academicis CAR. LINNAEI diſſertationes, ad vniuerſam hiſtoriam naturalem

turalem pertinentes, quas edidit et additamentis auxit L. B. e S. I. Graecii, 4. c. tab. aen.

ANT. LIZZARI Rifleſſioni ſopra un libro intitolato: *La Coſtituzione corrente, brevemente conſiderata dal Dot.* PIETRO ORTESCHI, Venezio, 8

ANT. LOUIS Theſes anatomico-chirurgicae de ſectione caeſarea. Reſp. *Io. Pet. Dauid*, Pariſiis, 4

Eiuſd. Memoire contre la legitimité des naiſſances pretendues tardiues; dans le quel on concilie les loix civiles avec celles de l'oeconomie animale, à Paris, 8 mai.

Eiuſd. Supplement au memoire contre la legitimité des naiſſances pretendues tardives, à Paris, 8 mai.

CHRIST. GOTTLIEB LUDWIG Inſtitutiones chirurgicae praelectionibus academicis accommodatae, Lipſiae, 8

Eiuſd. Progr. inaug. ſiſtens obſeruationes quaſdam angiologicas, ibid. 4

PHIL. ERNST LÜDERS *Abhandlung, wie der Ackerbau auf der Heide könne verbeſſert werden, Flensburg.* 8

Brief van IOHAN LULOFS aan den Wel Edelen Heer MEINDERT SEMEINS; behelzende een nader onderzoek van deſzelfs Ontwerp, om door Middel van de Compaſſen de Langte op de zee te bepaaten, te Leyde, 8 mai.

EDUARD. IAC. LUPIN hiſtoriae morborum difficiliorum iiſdemque adhibitae curationes ſubiectis annotationibus, Ratisbonae, 8

Experimental Eſſays on the following ſubjects: 1) on the Fermentation of alimentary Mixtures. 2) on the Nature and Properties of Fixed Air. 3 on the reſpective Powers and Manner of Acting, of the different Kinds of Antiſeptics. 4) on the Scuruy: with a Propoſal for trying new Methods

to

to prevent or cure the ſame, at Sea. 5) on the Diſſolvent Power of Quiklime: by DAVID MACBRIDE, Lond: 8. c. tab. aen.

MICH. IOS. MAIAULT. quaeſt. med. an in oedemate veſicantia ſcarificationibus tutiora? Reſp. *Io. d'Arcet*, Paris, 4

IO. BAPT. ALEXAND. MAIGRET quaeſt. med. an ſpiritus animalis vt et ſanguis motu gaudeat circulatorio? Reſp. *Paul. Gabr. Lepreux*, ibid. 4

A ſhort Eſſay on that tormenting Diſorder the Rheumatiſm. Wherein is ſhewn the Origin and Cauſes of the Diſtemper; together with Obſervations, that have occurred in a Series of Practice to the Author: by M. MAILLARD, London. 8 mai.

CHRIST. ANDR. MANGOLD diſſ. inaug. de generibus et ſpeciebus tumorum. Reſp. *Henr. Georg. Ragkmann*. Erford. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de ambuſtionibus. Reſp. *Henr. Chriſt. Nicolai*, ibid. 4

Herrn PHILIP. AMBROS. MARHERR *chemiſche Abhandlung von der Verwandſchaft der Körper; aus dem Lateiniſchen überſetzt von* E. G. BALDINGERN, *Leipzig*, 8

Chirurgiſche Streitſchriften, welche ſtatt des gewöhnlichen Examens zur öffentlichen Vertheidigung unter dem Herrn Profeſſor HENNINGS, *von* FERDINAND MARTINI *aufgeſetzt ſind, Kopenhagen*, 8

Eiuſd. Spuren zum Begrif von der Erſchütterung des Hirns, ibid. 8. *m. K.*

Plantae Cantabrigienſes. Herbationes Cantabrigienſes, to which are added a Liſt of the more rare plants in England or Wales. By THOM. MARTYN, London. 8 mai.

IO. BAPT. MATHIS diſſ. inaug. de dyſenteria, Vindobonae, 8

DOMIN. MAZOTTI litotomia delle donne perfezionnata, Faenza, 8. c. t. aen 7.

Geſchichte periodiſcher Krankheiten, *von* FRID. CASIM. MEDICUS, I. 2. *Buch*, *Carlsruhe*, 8

Eiuſd. Sammlung von Betrachtungen aus der Arzney-Wiſſenſchaft. Erſter Band, Zürich, 8.

A Treatiſe of the Nature and Powers of the Baths and Waters of Bareges: in which their ſuperior virtues for the cure of gunshot or other Wounds, with all their complications, of inveterated Ulcers, fiſtules, calloſities and caries, likewiſe of muſcular and nernous contractions, ſchirrous, tumours, anchyloſes and many other diſeaſes, as wel internal as external, are demonſtrated and confirmed by practical obſervations. With a deſcriptive Relation of Bareges. To which is added an Enquiry into the Cauſe of Heat in bitouminous Waters, and of their ſpecific variations. By Sir CHRISTOPHER MEIGHAN, M. D. new edit. greatly enlarged. London. 8

DAN. MELANDER diſſ. de atmoſphaera tellurem ambiente. Pars IV. Reſp. P. *Bergſtroem*, Vpſal. 4

IO. MICH. DE MENGHIN diſſ. inaug. ſiſtens diagnoſes morborum ventriculi et inteſtinorum, Viennae, 8

IOHANN FRIEDR. MEYERS, *Apothekers zu Oſnabrück, chymiſche Verſuche zur näheren Erkentniſs des ungelöſchten Kalchs, der elaſtiſchen und electriſchen Materie, des allerreinſten Feuerweſens, und der urſprünglichen allgemeinen Säure. Nebſt einem Anhange von den Elementen, Hannover und Leipzig*, 8 mai.

GEO. PHIL. MICHAELIS Progr. de nexu ſcientiae phyſicae cum medicina, Marburgi, 4.

Della febre, trattato medico-anatomico-teorico-pratico del Conte ANTON. MICHEL, Udineſe, con in fine un diſcorſo ſopra la China China, del Dott. GABRIELE LONGOBARDI, fu medico Aulico d'ell Imperat. CARLO VI, in Venezia, 4. tab. aen.

Vollſtändiger Lehrbegriff von der practiſchen Feldwirthſchaft, nach der alten und neuen Einrichtung, ſo weit ſie ſich auf die Erfahrung gründet, allen Liebhabern des Feldbaues zum beſten abgefaſst und mit darzu nöthigen Kupfern verſehen von IOHANN MILLS, Eſq. *Aus dem Engliſchen überſetzt von* M. C. F. I. I. *und 2ter Band, Leipzig*, 8. Vol. II.

FRANCISC. MITTERBACHER diſſ. inaugur. de ſecretione vrinae foeminarnm hyſtericarum et de ea, vt ſigno adfectionum hyſtericarum, Vetero Pragae, 8

CHRIST. MOLINARII, de miliarium exanthetum indole et tractatione diſquiſitio, Vindobonae, 8

Dialoghi ameni e critici D. IGNAZIO MONTI, D. Medico di Pavia, e Medico di Garbagna, Dialogho I. Le Lacertole acquatiche, in Pavia, 8

Aringa medica del D. IGNAZIO MONTI, per la vira d'un feto umano eſtrutto dell' utero, con annotazioni legali del D. GIUS. MARIA GATTI, e cio voti del chiarmo ALB. DI HALLER e di altri medici inſigni, in Pavia, 8

An Account of the Diſeaſes, wich were moſt frequent in the Britiſh Military Hoſpitals in Germany, from Ian. 1761. to the Return of the Troops to England in March 1763, to which is added an Eſſay on the Means of Preſerving the Health of Soldiers, and conducting Military Hoſpitals; by DONALD MONRO, London, 8 mai.

I. B. MORGAGNI epiſtolae anatomicae duodeuiginti, ad ſcripta pertinentes Cl. Viri ANT. MAR. VALSALVAE cet. acceſſit praeterea index rerum et nominum accuratiſſimus, Pars I. II. Venetiis, fol.

DAN. GEO. MORHOF *vom Goldmachen, oder phyſicaliſch - hiſtoriſche Abhandlung von der Verwandlung der Metalle. Aus dem Lateiniſchen, Bayreuth*, 8.

Wohlmeynende, treue und ſehr nützliche Ermahnungen an die Anfänger in dem tiefſinnigen Studio der hermetiſchen Philoſophie; wobey das ſchwereſte Rätzel aufgelöſet wird, an welchem ſchier alle Anfänger ſtecken bleiben und kleinmüthig werden. Zum Beſchluß folgt eine kurze Diſſertation über die Grundurſache der Electricität, nach denen Maaßregeln der natürlichen oder hermetiſchen Philoſophie, durch IOH. ANTON MOSCHEROSCH VON WISTELSHEIM, *des H. R. R. Ritter, Leipzig*, 4.

Traité complet des accouchemens naturels, non naturels et contre nature, expliqués dans un grand nombre d'obſervations et de reflexions ſur l'art d'accoucher; par le Sieur DE LA MOTTE: nouvelle Edition, augmentée de beaucoup de remarques intereſſantes, et miſe en meilleur ordre, av. fig. à Paris, 8. Vol. II.

D. BENEDICTI MUHLII *mediciniſch - phyſicaliſch- und chymiſche Unterſuchung des Pyrmontiſchen Neubrunnens, der mit dem Selter-Brunnen faſt gleich kommt; nebſt ſpecieller Vermeldung deſſen Gehalts-Theilen und generalen Anzeige derer innerlichen Kräfte in allerley Krankheiten, in einem Briefwechſel mit weyl. Herrn* D. IOH. PHIL. SEIP *entworfen, und als ein Anhang zu deſſelben Pyrmonter-Brunnenbeſchreibung mit einem umſtändlichen Regiſter herausgegeben, Hannover*, 8

DIETRICH

DIETRICH MUMMSEN diſp. inaug. de corde rupto, Lipſiae, 4. c. tab. aen.

Mediciniſche und chirurgiſche Wahrnehmungen, zweyte Sammlung; herausgegeben von FRIED. HERM. LUDW. MUZELL, M. D. *Berlin*, 8

BARTH. MURRY quaeſt. med. an ad extrahendum e veſica calculum diuerſa pro re nata debeat vſurpari chirurgia? Reſp. *Franc. Portier*, Paris. 4. (*Prodiit iam ibidem anno* 1746. 4. *Auctore et Reſp. Iac. Trant. Praeſ.* LUDOV. RENAT. MARTEAU.)

Νικάνδρου θηρίακα καὶ ἀλεξιφάρμακα. NICANDRI theriaca et alexipharmaca. IOAN. GORRAEUS latinis verſibus reddidit, Italicis vero, qui nunc primum in lucem prodeunt ANT. MARIA SALVINIUS. Accedunt variantes codicum lectiones, ſelectae adnotationes et graeca EUTECNI Sophiſtae metaphraſis ex codicibus Mediceae et Vindobonenſis bibliothecae deſcripta et nondum edita, curante ANGELO MARIA BANDINIO, I. U. D. cet. Florent. 8

ERN. ANT. NICOLAI Progr. II. de virtutibus ſulphuris antimonii aurati, Ienae, 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de quibusdam excretionis vrinae vitiis, ibid. 4

PETR. VAN NOEMER diſſ. inaug. de fabrica et vſu omenti, Lugd. Batau. 4

Leçons de Phyſique experimentale, Tome VIme par M. l'Abbé NOLLET, à Paris, 12

FRANC. IOS. DE OBERKAMP diſſ. inaug. theorematum medicorum ſelectorum centuria. Reſp. *Io. Iac. Klingenſtein*, Heidelbergae, 4

Elementa Botanicae, auctore GEORG. CHRIST. OEDER, P. I. Hafniae, 8. c. tab. aen.

Idem liber teutonice impr. ibid. 8. c. tab. aen.

A. D. ORTMANNS *Betrachtungen über wichtige Begebenheiten der Naturgeſchichte des 1763. Jahres, Züllichau,* 8

CHRIST. FRID. OTTO diſſ. inaug. de procidentiis vterinis, Witenberg. 4

Lettre de M. PALUCCI à M. HUMELAUER ſur la cure de la pierre, à Vienne.

Der mediciniſche Richter in Betrachtung der Todſchläge dargeſtellt von D. IOH. PAULI, *Leipzig,* 8

CAR. PAYEN quaeſt. med. num ſuae ſint animi angoribus etiam inter opera chirurgica noxae? Reſp. *Matth. Thom. la Caſſaigne,* Pariſ. 4

IAC. PETIVERII opera hiſtoriam naturalem ſpectantia; or Gazophylacium containing ſeveral 1000 Figures of Birds, Beaſts, Reptiles, Inſects, Fiſh, Beetles, Moths, Flies, Shells, Corals, Foſſils, Minerals, Stones, Funguſſes, Moſſes, Herbs, Plants, etc. from all Nations, on 150 Copper-Plates, with Latin and Engliſh Names. The ſhells have Engliſh, Latin and Native Name Vol. I. II. London, fol. (*Centum tabulae aeneae, huic nouae collectioni adiectae, nunquam antea editae fuerant.*)

IOS. PHILIP quaeſt. med. an corporis balſamum bilis? Reſp. *Lud. Alexand. Cezan.* Paris, 4

Korte en zakelyke Beſchryvinge van de Colonie van Surinam, cet. door THOM. PISTORIUS, t'Amſterdam.

Handleiding tot de Chirurgie of Heelkonſt, volgens hed Hoogdiſh van den Heer I. Z. PLATNER; meet veele nieuwe Aanmerkingen verrykt, door M. HOUTTUYN, M. D. t'Amſterdam, 8 mai.

ANT. GUIL. PLAZ Progr. IV. de paedantiſmo medico, Lipſiae, 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de morbis ex vitae genere. Reſp. *Chriſt. Goth. Barth,* ibid. 4

ANT.

ANT. GUIL. PLAZ Progr. de plantarum, ſub diuerſo coelo naſcentium, cultura, Lipſiae, 4.

CAR. GUIL. POERNER M. D. delineatio pharmaciae chemico-therapeuticae, ibid. 8

IO. CHPH. POHLIUS diſſ. inaug. de excretionum vniuerſalium moderamine. Reſp. *Chriſt. Dav. Leonhardi*, ibid. 4

Eiuſd. Progr. de dura matre paſſim oſſea facta, ib. 4

Hrn. CLAUDIUS POUTEAU *vermiſchte Schriften von der Wundarzneykunſt; aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* GEORG LUDW. RUMPELT, *Dreſden und Warſchau*, 8. *m. K.*

BERN. PREUSINGER diſſ. inaug. de diagnoſi morborum capitis, Viennae, 8

Obſervations on the diſeaſes of the army; by IOHN PRINGLE. The fourth Edition enlarged, London, 8 mai.

RICHARD PULTENEY diſſ. inaug. de Cinchona officinali LINNAEI, ſ. Cortice Peruuiano, Edinburgi, 8. c. fig. aen.

Flora Eſpannola ó Hiſtoria de las Plantas, qué ſe creaci en Eſpanna, ſu Auctor D. IOSEPH QUER, Vol. IV. en Madrit, 4. c. tab. aen. 66.

IO. MART. CAROL. RAVENSTEIN diſſ. inaug. de febre petechiali, Argentor. 4

Lettre à M. BELLE-TETE, Doyen de la Faculté de Medecine de Paris, par M. RAZOUX, D. en M. de l'Univ. de Montpellier, ſur les inoculations faites a Niſmes, à Niſmes, 4

Oſſervazioni ſopra alcuni caſi rari medici e chirurgici, di GIOVAN. REGHELLINI, in Venezia, 4

GEORG. CHRIST. REICHEL diſſ. inaug. de oſſium cylindraceorum fiſſuris. Reſp. *Io. Chriſt. Hoffmann*, Lipſiae, 4. c. tab. aen.

An Inquiry into the Human Mind, on the Principles of common ſenſe; by THOM. REID, Edinburgh, 8

REINHARD Progr. de cultus vineatici in Franconia primordiis, Erlangae, 4

CHR. TOB. EPHR. REINHART *Abhandlung vom Maſtdarm, Blutfluſſe, 2te Auflage, Glogau*, 8

Eiuſd. Beweiß, daß die Eröfnung der Mittelblutader zuweilen höchſtgefährlich werden könne, ibid. 8

Der vollkommene Pferdekenner, welcher nicht nur alle Schönheiten, Fehler und verſchiedene Landesarten der Pferde zu erkennen giebt, ſondern auch anweiſet, wie man mit dem Pferde von ſeinem Urſprunge an umgehen muß, wie es zum Reiten und Fahren anzugewöhnen iſt, wie Sattel, Zäumung und Beſchläge beſchaffen ſeyn muß, wie alle Krankheiten zu erkennen, mit denen bewährteſten Mitteln zu heilen ſind, wie man bey den Wallachen, Engliſiren und andern chirurgiſchen Operationen an den Pferden verfähret etc. Durchgeſehen und mit Vorrede begleitet von WOLFG. EHRENFR. VON REITZENSTEIN, *Uffenheim, 4. m. K.*

A refutation of the reflexions againſt inoculation, publiſhed by D. RAST of Lyons; ſo far as they are ſupported by calculations, drawn from the bills of mortality in London, and his obſervations. With a Perſuaſive to that Practice, deduced from the ſucceſs of the inoculating Hoſpital near London. ANT. RELHAM, M. D. London, 4 mai.

GOTTFR. REYGER Tentamen florae Gedanenſis, methodo ſexuali accommodatae, Dantiſci, 8

Diſquiſitiones Plinianae, in quibus de vtriuſque PLINII patria, rebus geſtis, ſcriptis codicibus, editionibus, atque interpretibus agitur. Tomus primus, Auctore ANTON. IOSEPHO Comite a Turre REZZONICO, Parmae.

IO. BAPT. RICHARD diſſ. de variolarum extirpatione quaerenda primum; illique ſubnectenda variolarum inſitione, Monſpelii, 4.

AUG. GOTTLIEB RICHTER diſſ. caſus medicus intumeſcentis et calloſi pylori cum triplici hydrope. Reſp. *Iac. Ioan. Pflug*, Göttingae, 4. c. tab. aen.

GEO. GOTTLOB RICHTER Progr. de ſiccis et ſobriis, Göttingae, 4

Eiuſd. diſſ. inaug. Priſca Roma in medicos ſuos haud iniqua. Reſp. *Aug. Gottlob Richter*, ibid. 4

Eiuſd. Progr. de commodis ſenectutis, inprimis ſenili ſatietate vitae, ibid. 4

RIOLAN *von der Erzeugung der Menſchen*, 8

Diſcorſi due ſopra le faſce de' Bambini, del P. GIAMB. ROBERTI, Venezia, 8

Elemens de l'art des accouchemens, augmentés des obſervations ſur les accouchemens laborieux, a l'uſage des Etudians en Medecine et en Chirurgie, par feu I. G. ROEDERER, D. en M. traduits ſur la derniere edition par M *** av. fig. à Paris, 8

IO. GEORG. ROEDERERI Opuſcula medica ſparſim prius edita, nunc demum collecta, aucta et recuſa, Tom. I. Pars 1. 2. cum elogio ABR. GOTTH. KAESTNERI, in conſeſſu Societ. Reg. ſcient. recitato, Göttingae, 4

AUG. IOHANN RÖSELS *Inſecten Beluſtigungen, ins Holländiſche überſezt, Harlem*, 4 mai. *m.* 56 *Kupfertafeln.*

Abhandlung von gelehrten Landwirthen, abgefaſst von FRIEDR. MORIZ VON ROHR, *Breſslau*, 8

Humanum genus, a venenis quotidianis liberatum; auctore Comite RONCALLI - PAROLINI, in Breſcia.

Underrättelſer om Barm- ſiukdomar och deras Bote-medel: tilförene ſtyckevis utgifne uti deſma Almanachorna, nu ſamlade, tilökte och förbättrade af NILS ROSE'N VON ROSENSTEIN, Stockholm, 8

Dell' obedienza del Cavallo. Trattato di NICCOLO ROSSELMINI, in Livorno, 4

LUDOV. ROUPPE, M. D. de morbis nauigantium liber vnus: accedit obſeruatio de effectu extracti cicutae Stoerkiani in cancro, Lugd. Batav. 8

Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, cet. par M. A. ROUX. Janvier — Decembre 1764. Tome 20. 21. à Paris, 8. c. tab. aen.

Materia medica, *oder gründliche Abhandlung von den drey Reichen der Natur, worinnen alle in den Apotheken befindliche Medicamenta, Simplicia, Compoſita und Praeparata, mit ihren Eigenſchaften, Nutzen und Wirkungen, und in welcher Doſi ſolche zu geben; nebſt einer Einleitung, gegen alle Krankheiten und Zufälle ordentliche Recepte zu ſchreiben, nach alphabetiſcher Ordnung in ein Syſtema gebracht von* IOH. FRIEDR. RÜBEL, M. D. *Nürnberg*, 8

Manuel d'Agriculture pour le Laboureus, pour le Proprietaire, et pour le Gouvernement, contenant les vrais et ſeuls moyens de faire proſperér l'Agriculture, tant en France, que dans tous les autres Etats, ou l'on cultive; avec la refutation de la nouvelle methode de M. THULL; par M. DE LA SALLE DE L'ETANG, Seigneur de *Muyr*, cet. à Paris, 8

Opuſcula entomologica, quae iam inſtituta habet, auſpiciis Aug. et Pot. Daniae et Norwegiae Regis FRIDERICI Quinti, proxime edenda indicit, eorumque ſpecimina quaedam exhibet IAC. CHRI-

CHRISTIAN SCHAEFFER, (*latine et germanice*) Ratisbonae, 4. c. tab. aen. viv. color. pictis.

Die Maurerbiene, in einer Rede beſchrieben von IACOB CHRIST. SCHAEFFER, *nebſt 5 Kupfertafeln mit ausgemahlten Abbildungen, Regensburg,* 4. (*Hunc Tractatum et reliquos omnes, qui de inſectis edidit* SCHAEFFERUS, *in duo collegit volumina, iisque titulum praefixit*): IAC. CHRIST. SCHAEFFERS *Abhandlung von Inſecten,* 1 *und* 2*ter Band, Regenſpurg,* 4. *m.* 34 *Kupfertafeln.*

FRANC. SCHOENMETZEL Progr. in quo vſus forcipum in arte obſtetricia diſquiritur, Heidelbergae, 4

Memoire ſur les Oolithes par M. SCHMIDT, à Basle, 4

RALPH SHOMBERG's Treatiſe on the colica pictonum, or the dry bellyach, London, 8

DAN. GOTTFR. SCHREBER Progr. exhibens delineationem hiſtoriae ſcientiarum oeconomicarum, quatenus vt academicae conſiderandae ſint, Lipſiae, 4

Eiuſd. Sammlung verſchiedener Schriften, welche in die œconomiſche Policey und Cameral-Wiſſenſchaften einſchlagen, 11. *Theil, Halle,* 8

Eiuſd. Anweiſung, wie der Flugſand ſtehend, und dürre Sandfelder zu Wieſen zu machen, Leipzig, 8

Eiuſd. Neue Sammlung verſchiedener in die Cameral-Wiſſenſchaften einſchlagender Abhandlungen und Urkunden, auch anderer Nachrichten, 6*ter und* 7*der Theil, Büzow und Wismar,* 8. *m.* K.

FR. IOSEPH. WILH. SCHROEDER *von der phyſicaliſchen Theorie der Empfindungen, Schmerzen und ſchmerzſtillenden Mitteln, an den Hrn.* D. I. P. EBERHARD, *nebſt einer Nachſchrift, Quedlinburg,* 8

PHILIP. GEORG. SCHROEDER Progr. quod experimentorum, ad veriorem cyſticae bilis indolem explorandam captorum, Sectionem primam proponit, Goettingae, 4

Tal om den rätta alderdomens arnaende of DAV. SCHULZ, Stockholm, 8

IO. HENR. SEYLER diſſ. inaugur. de praecipuis ſignis malignitatis in febribus, Halae, 4

LUCAS SICHI de irritabilitate et ſenſibilitate partium corporis humani propoſitiones medico-chirurgicae, Piſae, 4

GEORG. FRID. SIGWART diſſ. inaug. experientia praxeos medicae magiſtra. Reſp. *Sam. Fridr. Kretſchmar*, Tubingae, 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de gonorrhoea virulenta, ſine contagio nata. Reſp. *Io. Frid. Cloß*, ibid. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. exemplum verminoſi non a vermibus epileptici. Reſp. *Ioſeph. Schweikhart*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. cyſtotomia lateralis Moreauiana noua, eademque receptis longe praeſtantior, quia omnino tutior. Reſp. *Car. Lud. Frid. Breyer*, ibid. 4

IO. FRANC. SIMON de raro ſuturarum vſu theſes anatomico chirurgicae. Reſp. *Iac. Nic. Arrachart*, Paris, 4

WILLIAM SMELLIE, M. D. Collection of Caſes and Obſervations in Midwifery; to illuſtrate his former Treatiſe, or firſt Volume on that Subject. The third Edition, London, 8 mai.

Eiuſd. Collection of praeternatural Caſes and Obſervations in Midwifery. Compleating the deſign of illuſtrating his Firſt Volume, on that Subject. Vol. III. ibid, 8 mai.

Der Roſmarin mediciniſch chymiſch betrachtet von D. THYMIANA SOLIS, *Budiſſin und Leipzig*, 8

PET.

PET. LUDOLF. SPANGENBERG diſſ. inaug. de chorea Sancti Viti, Götting. 4

Herrn D. STAHLS *mediciniſcher Hauptſchlüſſel oder gründliche Anleitung zur vernünftigen Cur aller innerlichen Krankheiten des menſchlichen Leibes, Leipzig*, 4

Eiuſd. Schriften von der Natur, Erzeugung, Bereitung und Nuzbarkeit des Salpeters, Berlin, 8

Miſcellaneorum philoſophicorum continuatio ad annum 1763, Auctore IOSEPHO STEPLING, Pragae.

De Kroynende Ziecktens der Nederlanders ſpruitende uit hunne Lands Geſteltheit en Lewenswyzen. Beſchreven tot dienſt der Landgenooten in't algemeen en tot heil der Lyders in't bezonder: Als mede tot nut voor de Zwangere en zoogende Vrouwen, en tot opkweeking der jonge Kinderen, door LEONARDUS STOCKE, M. D. t' Utrecht, 8 mai.

THEOPHIL. STOER diſſ. inaug. de emanſione menſium, Argent. 4

ZACHAR. STRANDBERG Oratio, om de ſel ſom wid Chroniſka ſinkdemars botande begäs, Stockholm, 8

GERARDI L. B. VAN SWIETEN Commentaria in HERMANNI BOERHAAVE aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis. Tomus Quartus, Lugd. Bat. 4 mai.

Eiuſd. Commentariorum in HERM. BOERHAAVE Aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis Tom. VII et VIII. Neapoli, 4

M. I. L. THENNS *Verſuch einer neuen und deutlichen Erklärung der Kälte und ihrer Wirkungen, Augsb.* 8

Inſtructions familieres en forme d' Entretiens, ſur les principaux objets, qui concernent la culture

des terres, par M. THIERRIAT, Paris, 12 mai.

IOAN. MICH. THIERRY diſſ. inaug. de partu difficili a mala conformatione peluis, Arg. 4

Avis au Peuple ſur ſa ſanté, ou traité des maladies les plus frequentes, par M. TISSOT nouv. edit. augm. à Paris, 12 Vol. III.

Raadgeving voor de Gezondheid van den gemeenen Man, van Landlieden, en alle die de Hulpe van een bekwaam Genees of Heelmeeſter ontbeeren, of niet ſpoedig genoeg bekomen kunnen; Dienende tevens tot een nuttig Genees- en Heelkundig Handbeek voor Landheeren, Dorp Leeraaren, weltaadige Lieden, Dorp Heelmeeſter en alle die zig vit Menſchenliefde of beroepshalven met het geneezen van zieken bemoeyen. In't Franſch geſchreven door den Heere TISSOT M. D. etc. Naar den tweeden Druk vertaald, met aanteekeningen en invoegſelen vermeerderd en verder naar de geſteldheid van ons Land geſchikt door LAMBERTVS BIKKER M. D. cet. te Rotterdam. 8 mai.

L' Onaniſme ou Eſſai ſur les Maladies produites par la Maſturbation, traduit du Latin de M. TISSOT, avec des Additions de l' Auteur. Troiſieme Edition conſiderablement augmentée, à Lauſanne, 12

Lettre a M. ZIMMERMANN ſur l' epidemie courante par M. TISSOT, ibid. 8

BALTH. LUDOV. TRALLES de methodo medendi SYDENHAMI, TISSOTI, aliorumque illuſtrium virorum in curatione variolarum peſſimae indolis, infeliciter licet, dextre tamen adhibita, epiſtola apologetica ad Ill. V. ANTON DE HAEN, Vratiſlauiae. 8

IO. BARTHOLOM. TREMELIVS diſſ. inaug. ſiſtens meditationes circa febrem malignam vniverſalem,

verſalem, et corticis Peruuiani in metaſtaſes illius efficaciam, recentibus denuo obſeruationibus illuſtratam, Argent. 4

Der im ſchönſten Flor ſtehende Blumengarten, oder Abbildung der lieblichſten Blumen von Tit. Herrn D. CHRIST. IAC. TREW *mit vielen Koſten zuſammengetragen, auf deſſen Genehmhaltung in Kupfer geſtochen und mit ihren natürlichen Farben vorgeſtellt, Nürnberg*, fol. mai. Tab. 44-50.

Diſpenſatorium pharmaceuticum vniuerſale, ſ. theſaurus medicamentorum tam ſimplicium, quam compoſitorum, locupletiſſimus, ex omnibus diſpenſatoriis, quotquot haberi potuerunt, permultisque aliis libris de materia medica ac remediorum formulis, denique medicorum, tum veterum, tum recentiorum operibus congeſtus, digeſtus et variis obſeruationibus practicis ſelectioribus inſtructus, curante DAN. WILH. TRILLERO, Tom. I. II. Francofurti ad Moen. 4 mai. Vol. III.

Eiuſd. diſſ. inaug. de haemorrhoidum fluxu nunc ſalutari, nunc noxio. Reſp. *Io. Simon Praeger*, Vitembergae, 4

FRANCISC. TRIPODI diſſ. de aqua Leicenſi lacuſtri, Vindobonae, 8

LE VACHER FRANC. GUIL. de laeſione aponeuroſeon, theſes anatomico chirurgicae. Reſp. *Guil. Raym. Deſnoues*, Pariſ. 4

Dictionnaire raiſonné, univerſal d'Hiſtorire Naturelle; contenant l'Hiſtoire des Animaux, des Vegetaux et des Mineraux, et celle des Corps celeſtes, des Meteores et des autres principaux Phenomenes de la Nature, avec l'Hiſtoire et la deſcription des Drogues ſimples, tirées de trois regnes, et le detail de leurs uſages en Medecine, dans l'economie domeſtique et champetre, et

dans

dans les Arts et Metiers: par M. VALMONT DE BOMARE, Tom. I-V. à Paris, 8 Vol. 5.

DAV. VASSE Quaeſt. med. an condimentum medicamentum ſinapi. Reſp. *Phil. Querenet*, Pariſ. 4. (*Prodiit iam ibidem eodem Praeſide anno* 1743. 4 *ſub titulo:* an ſalubre condimentum ſinapi. *Reſp.* Claud. Bourdier del Amouliere.)

La Iurisprudence particuliere de la Chirurgie en France, ou traité hiſtorique et iuridique des Etabliſſemens, Reglemens, Diſcipline, Police, Devoirs, Fonctions, Recompenſes, Honneurs, Droits, Privileges et Prerogatives des Societés de Chirurgie et de leurs Suppots, avec les devoirs, fonctions et autorités des Iuges a leur egard; par M. VERDIER, à Alençon et à Paris, 12, Vol. 2

Obſervations et remarques de Chirurgie pratique, precedées d'une nouvelle methode d'amputér, par M. REMON DE VERMALLE, à Londres, 8

CHRIST. HENR. VOGEL Phaemo κυνόσοφος, ſiue medicus canum peritus, Commentatio, Erf. 4

RUD. AUG. VOGEL diſſ. inaug. Definitiones generum morborum. Reſp. *Godofr. Chph. Stender*, Goetting. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. ſiſtens hydropis aſcitis ſemiologiam. Reſp. *Bern. Diet. Franc. Steinecke*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de analyſi medicamentorum ſimplicium chemica ad virtutes ipſorum determinandas hactenus perperam adhibita. Reſp. *Georg. Chriſt. Witte*, ibid. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. Herniarum communia attributa et partitio. Reſp. *Andr. Gottfr. Zimmer*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de vitiligine. Reſp. *Ern. Lud. Blanchardt*, ibid. 4

Das

Das Steinreich ſyſtematiſch entworfen von IOH. ERN. IMMAN. WALCH. *2ter Theil*, *Halle*, 8 mai.

IOAN. GOTTSCH. WALLERIUS *chymiſche Grundſätze des Ackerbaues*, *Berlin*, 8

Eiuſd. diſſ. de aurifodina Adelfors. Reſp. *Io. Colliander*, Upſaliae, 4

Eiuſd. diſſ. Colles ad Uddeualliam conchacei. Reſp. *Ol. Bruhn*, ibid. 4

Eiuſd. diſſ. de conuenientia macrocoſmi et microcoſmi. Reſp. *Laur. Carlmark*, Holmiae, 4

Eiuſd. diſſ. de diuerſis ignem producendi modis. Reſp. *Laur. Eckmark*, Upſal. 4

Eiuſd. diſſ. de diuitiis in arena. Reſp. *Chph. Borg*, ibid. 4

Eiuſd. diſſ. qua dubia quaedam, contra tranſmutationem aquarum mota, refelluntur. Reſp. *Nicol. Hwalſtröm*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. de incongrua medicamentorum mixtura. Reſp. *Io. Frip. Wertmüller*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. de indole hiſtoriae naturalis in genere. Reſp. *Laur. Lyth*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. de palingeneſia. Reſp. *Gerh. Reinhard. Hoyer*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. de quadruplici regno naturae. Reſp. *Ioſeph Moeller*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. de ſacro igne. Reſp. *Andr. Barwander*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. de ſpiritu mundi. Reſp. *Eric. Oeſtling*, Holmiae, 4

Eiuſd. diſſ. de ſtatu aquae naturali. Reſp. *Petr. Gravallius*, Upſal. 4

Eiuſd. diſſ. de terra ſalina ſterili. Reſp. *Petr. Tengren*, ib. 4

IOAN. GOTTSCH. WALLERIUS diſſ. de virgula diuinatoria. Reſp. *Petr. Ad. Ahlbom.* Berlin, 4

Eiuſd. diſſ. de vnguento nardino pretioſo. Reſp. *Er. I. Huſs*, Upſal. 4

Tal om Riſinge Sokn och theſſ tillſtand i fordna och nu varande Tider, hallet of ANDR. WANGEL, Stockholm. 4

ENRICO WANTON Viaggi alle terre incognite auſtrali, et ai regni delle Scimie de' Cinocefali nuovamente tradotti da un Ms. Ingleſe. Tom 4. Venetiis, 8 c. tab. aen.

CHPH. WEBER M. D. Obſeruationum medicarum faſciculus primus, Cellis, 8

D. CHRIST. WEISBACHS *wahrhafte und gründliche Cur aller Krankheiten, 9te Auflage, Frankf. und Leipzig*, 8

IO. NIC. WEISIUS diſſ. de cauſis, cur humanum corpus e materia valde corruptibili ſit compoſitum. Reſp. *Io. Lud. Dietrichs*, Altorf. 4

Natürliche Urſachen der Hitze im Iahr 1763 *im Auguſt, aus der neueſten Phyſic bewieſen von* I. G. W** (WERENBERG,) *Hamburg*, 8

Meteorologie oder Anfangsgründe zu Berechnung und Wiſſenſchaft der Witterung etc. von W **, *Braunſchweig*, 8

PAUL GOTTLIEB WERLHOF obſeruationes de febribus, Venetiis, 8

IAC. WERNISCHEK tractatus phyſicam aſtrorum notitiam ex principiis mechanicae proponens, Viennae, 8

Eiuſd. Genera plantarum ad facilius conſequendam earum notitiam, ſecundum numerum laciniarum corollae diſpoſita, Vindobonae, 8

ANDR. WESTPHAL diſſ. inaug. de ſtructura mammarum ſexus ſequioris, nuperrimis obſeruationibus et experimentis ſuperſtructa. Reſp. *Alexand.*

xand. Bernhard. Kölpin, Gryphisw. 4. c. tab. aen.

ANDR. WESTPHAL Progr. de materia lactis, Gryphisw. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de angina. Reſp. *Car. Frid. Müller*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de animi deliquiis, Reſp. *Chriſt. Sigiſm. Voigt*, ib. 4

Eiuſd. diſſ. inaug. de limitandis laudibus ipecacuanhae ad curandam dyſenteriam. Reſp. *Ern. Henr. Bories*, ib. 4

IOAN. ERN. BASIL. WIDEBURG. diſſ. exhibens examen virium machinarum mechanicarum geometricum et phyſicum. Reſp. *M. Io. Laurent. Boeckmann*, Ienae, 4

HENR. CHRIST. DANIEL WILCKE diſſ. inaug. ſiſtens obſeruationes medico-practicas, Gryphiswald, 4

Eiuſd. diſſ. de vſu ſyſtematis ſexualis. Reſp. *Henr. Alexand. Roſenthal*, ibid. 4

De angina infantum in patria recentioribus annis obſeruata. Auctore DANIELE WILKE, Upſal. 8

Tal om Magneten of IOHANN CARL WILKE, Stockholm. 8

I. B. WINSLOW expoſition anatomique du corps humain. Vol. VI. Neapoli, 4 c. tab. aen.

IO. MICH. HUBERT WIRTZ diſſ. inaug. de vnguento fuſco FELICIS WÜRTZII, Altorf. 4

I. L. WÖLLNERS *Unterricht zu einer kleinen, aber auserleſenen oekonomiſchen Bibliotheck; beſtehend in einer Anzeige der beſten oekonomiſchen Bücher und derer vornehmſten in größern Werken zerſtreuet befindlichen Abhandlungen über alle Theile der Landwirthſchaft. Erſter Band, Berlin*, 8

Theorie von der Generation, *in zwo Abhandlungen, erkläret und bewieſen von* CASPAR FRIDR. WOLF, *Berlin*, 8

IO. ANTON DE WOLTTER Oratio, de vtilitate artis chemiae ad rempublicam ipſumque principem redundante, Monachii, 4

HENR. AVG. WRISBERG diſſ. inaug. ſiſtens deſcriptionem anatomicam embryonis, obſeruationibus illuſtratam, Götting. 4 c. tab. aen.

ANT. ZANON Lettere dell' Agricoltura, dell' Arte, et del Commercio. Vol. III. P. 1. 2. Vol. IV. in Venezia.

IOH. CHRIST. BERNH. ZEIDLERS *gründlicher Beweiß, daß in dem allerſtärkſten* acido *die allergrößte* Medicin *verborgen, ſo einig und allein das Hauptſtück der* Medicinae vniuerſalis *ſeyn kann, nebſt beygefügter* Diaet *und* Praxi practicata, *Ien.* 4

IO. ERN. ZEIER Progr. Miſtionum metallicarum examen mathematicum, Witteberg. 4

Tal om en Suenſk Soldats föda i fält; hallit för Kongl. Vetenſk. Academien d. 2. Maii 1764 af PEHR ZETZEL, Stockholm. 8 mai.

SIM. ZIBELIN diſſ. inaug. de ſaponibus medicis natiuis, ex triplici naturae regno petitis, eorumque a chemicis differentia, principiis, indole ac vſu in medicina, Lugd. Batau. 4

IOH. GEORG ZIMMERMANN *von der Erfahrung in der Arzneykunſt, 2ter Th. Zürich,* 8

IOH. FRIDR. ZÜCKERTS *medicinische und moraliſche Abhandlung von den Leidenſchaften, Berlin,* 8

Eiuſd. Unterricht für rechtſchaffene Eltern zur diaete*tiſchen Pflege ihrer Säuglinge*, ibid. 8

IO. GEORG ZUCKERBÜHLER diſſ. inaug. de metaſtaſi morborum, Baſileae, 4

Contenta in hac parte:

I. Hiſtoire et Memoires de l'Acad. Roy. des ſciences. à Paris Année 1760. pag. 579
II. HILL the vegetable ſyſtem Vol. VII. VIII. IX. 601
III. LUDWIG methodus doctrinae medicae vniuerſae 610
IV. PLENCK methodus noua et facilis argentum viuum aegris, venerea labe infectis, exhibendi 623
V. LE MONNIER an cancer exulceratus cicutam eludat? 626
VI. Hiſtoire de l'Acad. Roy. des ſciences et belles lettres Année 1758. 628
VII. LEDERMÜLLERS *Vorſtellung einer ſehr kleinen Winterknoſpe des Hippocaſtani* cet. 639
VIII. EIUSDEM *phyſicaliſch - microſcopiſche Beſchreibung des Korns oder Rockens* cet. 641
IX. EIUSDEM *Vorſtellung und Zergliederung einer angeblichen Pflanze des Staudens - Steck - oder Gerſtenkorns* 643
X. LORRY de melancholia et morbis melancholicis Tom. I. 644
XI. DE HAEN Rationes medendi Pars IX. et X. 669
XII. MARTIN Tal om Nervers allmänna Egenskaper i Manniskans kropp cet. 682
XIII. SCHULTZ Tal om den rätta Alderdomens ärnaende cet.
XIX. WETSCH Diſſ. examen aquae acidulae Pinkenfeldenſis ſiſtens 691
XV. Noua phyſico medica 693
XVI. Memoria WERLHOFII 703
XVII. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1764. prodierunt 711

INDEX.

A.

Abdominalis vulneris ſymptomata et curatio. 400. abdominalium viſcerum ſitus peruerſus, cauſſa morborum 669 ſeq.
Abdominis contuſionis effectus 91. inflationis praeternaturalis diuerſae cauſſae 634 ſeqq.
Abortus diſtinctio et cauſſae 329. eum praecauendi auxilia ib.
Abſceſſus, poſt variolas confluentes exortos, citius aperiendi neceſſitas 82 ſeq.
Acura, planta hybrida 38
Adanſonia, arborum genus 17
Aegagropile quid? 480 ſeq. examen microſcopicum 32
Aepinus, J. V. Th. ſocietatis oeconomicae Petropolitanae membrum 177
Aeris fixi natura et proprietates 337 ſeqq. 348 ſeq. fixi et atmoſphaerici differentia 348 ſq. nimis humidi diſpoſitio putredinoſa 340
Aetatum contemplatio phyſiologica 281 ſeqq.
Aggregatarum plantarum claſſis et ordines 35 ſeqq.
Agnus monſtroſus 89. biceps 159
Agroſtana, plantarum genus 38
d'Ailhaud pulueris effectus noxius 79 ſeq.
Alcali cauſtici virtus lithontriptica 347 ſeq. ſalis communis effectus in regulum antimonii 628. alcalinorum volatilium vſus in febre petechiali 52. in paralyſi 73 ſeq.
Alce, animal 475 ſeqq.
Alkekengi vſus in calculo 610
Alimenta inter ſe inuicem mixta, circa haec experimenta 337 ſeqq.
Allantois 264
Allii virtus anthelmintica 524
Alni cultura 207
Alſatiae bitumen 637 ſeq.
Aluminis cryſtallorum figura 597. baſis, circa huius naturam experimenta 595 ſeq.
Alyſſi ſpecies 425
Aman, profector Holmienſ. 554
Amauroſeos curatio 90
Amnios membrana 263. amnii liquor, vnde oriatur 351. huius vſus 263
Amphibiorum triplex genus 506
Anatis molliſſimae hiſtoria naturalis 165 ſeqq.
Anatomicae obſeruationes 391 ſeq. 581 ſeq.
Anatomico practicae obſeruationes 634 ſeqq.
Anatomici inuentoris officium 616 ſeq.
Andromedae poliifoliae vſus in rheumatiſmo 609
Aneuryſma, huius diagnoſis dubia 670. aortae 582
Anginae curatio 57
Ani fiſtula, de hac monita 300. procidentia penes infantes 513. prolapſus a retentione vrinae 73
Animae ſedes 684
Animalcula ſpermatica 351 ſeq. eadem negantur 330

Anima-

Animale regnum, inter hoc et vegetabile analogia 636 ſeq.
Animalis noui ortus 255 ſeqq.
Animalium diſtinctio ratione ſexus 251. coitus 252. longaeuitas varia 289
Animi commotionis effectus 107
Anodynorum actio et vis antiſpaſmodica 419
Anonae ſpecies 247
Anthelmiae virtus contra vermes 49
Antherarum pulueris ortus 491. vſus 492
Antimonii butyrum ſolidum 8. regulus, cum hoc experimenta 628
Antiſepticorum relatiua actio agendique modus 340 ſeq.
Antiſpaſmodicorum remediorum natura 412 414. agendi modus 414 ſeq. ſpecies 416 ſqq. vſus 421 ſeq.
Aortae aneuryſma 582
Aphtharum cauſſa 153. curatio 153 514
Aqua, quatenus comprimi poſſit 320 ſeq.
Arabis bellidifolia 249
L' Archeueque Petr. acad. ſcient. Holmienſis membrum 701
Ardeſia, circa hanc obſeruationes 589
Argenteae maſſae explorationem docimaſticam inſtituendi modus 599
Argenti a vilioribus metallis ſeparandi modo faciliori praemium expoſitum 545. minerae lamelloſae Clauſthalienſis examen chemicum 630 ſeqq.
Ariſtolochiae ſpecies 246 ſeq. trilobatae vſus medicus 208 ſq.
Armadillus Americanus, animal 305
Arnaud, George, Inſtructions ſimples et aiſées ſur les maladies de l' Urethre et de la veſſie 433
Arnicae vſus in paralyſi 138
Arſenici albi cryſtallini effectus triſtes eorumque curatio 674
Arteriarum in foetu ortus et incrementum 268 ſeq.
Arthritidis cauſſa et progreſſus 104 ſeq. curatio 112. vagae curatio 45
Articulatio oſſis femoris praeternaturalis in fele obſeruata 582 ſeq.
Aſcania, plantae genus 469
Aſcarides, contra hos remedia 523
Aſthma neruoſum 109. aſthmate defuncti ſectio 319
Aſtruc, I. Traité des Maladies des femmes, T. V et VI. 350
Atrophia neruoſa 109
Auditus mechaniſmus 360 ſeqq.
Auium longaeuitas 289
Aureae maſſae explorationem docimaſticam inſtituendi noua methodus 599. auri lamellae et grana in fluuio Ariega 14
Auripigmenti vſus noxius 138
Auris morbus ſingularis 85. exterioris fabrica et vſus 361 ſeq.
Auriuillius, Sam. obiit 370
Aurora borealis 202. huius altitudo 206. 210 ſeq.
Avtochiriae in ſuſpenſis ſigna 27

B.

Babirouſſa, animal 484
Baker, Georg. de catarrho et de dyſenteria Londinenſi epidemicis vtrisque a. 1762. libellus 141

Baldinger, Ern. Godofr. med. theoret. Prof. P. ord. Ienenſis 369. 554
Baobab, arborum genus 17
Bartraam, Io. iuſſu regis Angliae iter in Americae prouincias inſtituit 178
Bauaricae acad. elector. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1767 et 1768 545 ſeq.
Baumer, Io. Wilh. *Naturgeſchichte des Mineralreichs 2tes Buch* 408
Bechers, Dau. *Neue Abhandlung vom Carlsbad 1ter Th.* 454
Beillac morbus 120
Beireis, Gottfr. Chph. conſiliarius aulicus Ducis Brunſuicenſis 369
Belemnitarum origo et formatio 304. a lapidibus iudaicis differentia ib.
Belladonnae vis venenata eiusque antidotum 611
Beltz, Urban. Nathan. *Abhandlung vom Schalle* 359
Beownrigg, Guil. a ſociet. reg. ſcient. Lond. praemium accepit 176
Bergman, Thorbern, chemiae et metallurgiae Prof. Upſ. 369
Bezoar lapidis origo et differentia 480 ſeqq.
Bilis atra, cauſſa melancholiae 654 ſqq. ab eadem mota oriundi effectus 668. cyſtica, de hac experimenta 293. huius effectus et natura ib. ſq.
Bitumen Alſatiae 637 ſeq.
de Boiſſien, B. C. ab acad. ſcient. Lugdunenſi praemium accepit 549. etiam ab acad. Diuionenſi praemium reportauit 550
a Bona, Io. tractatus de ſcorbuto 154
Bordenaue, ab acad. Diuionenſi praemium accepit 550
Boſe Adolph. Iulian. Prof. med. extraord. Witeberg. 702
Botanicae elementa 442. animaduerſiones 422 ſeqq. 245 ſeqq. 451. obſeruationes microſcopio factae 494 ſeqq. botanica hiſtoria 452. 468 ſeq. botanicam methodum condendi ratio 447. 460 ſq. huius nouum ſchema 449
Boum luis contagium exemplo illuſtratum 200
Bourgelat ſcholam rei veterinariae Lugduni condidit 368
Bractea, folii ſpecies 443
Brauer, Andr. ab acad. ſcient. Theodoro Palatina praemium accepit 365
Breuchel Phil. Iac. ab acad. ſcient. Theodor. Palatina praemium accepit 365
Brocklesby, Rich. oeconomical and medical obſeruations 43
Bromelia humilis 244
Brugmanni, Anton. tentamina philoſophica de materia magnetica 438
Brünnich, Morten Thraue entomologia 431. ornithologia borealis 432. *natürliche Hiſtorie des Eidervogels* 165
Bubalus, animal 482
Bufonis ſpecies, Tipa 121
Buonſolazzo, Franc. academiae Florentinae degli Spontanei auctor 177
Burdigalenſis acad. theſ. et praem. ad ann. 1768 et 1769 550 ſeq.
Buxi cultura 202

C.

Cabiai, animal 485 ſeq.
Caeſarea ſectio, eam inſtituendi tempus et vſus 330 ſeq. huius inuentor 332
Calcis viuae virtus ſoluens 346. circa hanc experimenta ib. ſeq. virtus lithontriptica 347 ſeq. antarthritica 348. aquae virtus antiſeptica 341. vſus in arthritide 112
Calculus biliarius 401. vaginae vteri 301. in hernia veſicae vrinariae repertus 306. calculi plures renum et veſicae in cadauere reperti 393. calculi in infantibus curatio 515
Calor corporis humani, de hoc obſeruationes thermometricae 213 ſeqq. febrilis, huius cauſſa 66
Campanulae ſpecies noua 609
Camphorae vſus 64
Cancer morbus, an a neruorum vitio? 687. naſi, cicuta curatus 93. oculi 389. mammarum, huius ſpecies ſingularis 358. cancroſi tumoris exſtirpatio 76
Candelae, de his experimenta 201
Cangiamila, Franc. Eman. embryologia ſacra 328
Capitis laeſio ſingularis 403 ſeq. vulnus 391
Cappel, Guil. Frid. Prof. med. ord. Helmſtadienſis 178
Capra, huius variae ſpecies 477 ſeq. ſylueſtris Africana Grimmii 483
Capſici futeſcentis vſus in hydrope 609 ſeq.
Capybara Braſil. 485 ſeq.
Carbunculus, contra hunc remedium 395
Caries maxillae inferioris 394
Carolinarum thermarum diſquiſitio phyſico chemica 454 ſeqq. calor 455. odor et ſapor ibid. acidum minerale 456. ſpiritus mineralis 456 ſeq. analyſis chemica 457 ſeqq. ferrum iis ineſt 459
Cartilaginis fabrica et formatio 271
Catalepſis, quid? 91. de hac obſeruationes 91 ſeq.
Catarrhacta, nouum auium genus 432
Catarrhi epidemici hiſtoria 141. ſymptomata et curatio 142
Cauendiſh, Henr. a ſociet. reg. ſcient. Londin. praemium accepit 176
Celſi, Aur. Corn. de medicina libri octo Edit. Krauſii 426
Cerebrum, in eius ſubſtantia globus plumbeus, per duos annos relictus, mortis cauſſa 94. cerebri medullae ſubſtantia vaſculoſa 683
Ceruus rangifer 475 ſeq.
Ceſpitis bituminoſi vſus ad aggeres 211. ceſpitum ſubterraneorum fodina 21
Chaerophylli virtus 137
Chambon, ab acad. reg. chirurg. Pariſ. praemium accepit 549
de Chanualon, Thibault, Voyage a la Martinique 115
Charpentier, Io. Frid. Guil. Fribergenſis acad. metallorum et fodinarum Prof. 171
Chemicae obſeruationes 8
Chirurgia completa 237
Cholerae curatio 388

Chopart, ab acad. reg. chirurg. Pariſ. praemium reportauit 549
Chorion 262
Cicadae noua ſpecies 305. Americae ſeptentrionalis 307
Cicutae extracta diuerſa, de his obſeruationes 314. vſus in cancro 93. 128. in tumoribus et vlcere ſcrophuloſo 94. vis reſoluens in morbis glandularum 398 ſeq. effectus in ſcirrho et cancro vlcerato vel nullus, vel noxius 626 ſeq.
Cimicis cuiusdam ſingularia 199 ſeq.
Clagenfurtenſis ſociet. caeſar. reg. agricult. et ſcient. theſ. et praem. ad ann 1768. 696
Clauiculae fractura complicata 392
Clerk, Car. obitus 178
Coccolobae ſpecies 248
Cocci Polonici natura et vſus tinctorius 311 ſeq.
Cochlearum coitus 200
Coeliaci fluxus ſpecies et curatio 516
Coendu, animal 487
Coffeae arboris pediculi 31. antherarum puluis, microſcopio obſeruatus 31
Cohaeſio corporum vnde pendeat 337
Coitus animalium 252
Colchici oxymellis effectus 403
Colica purgantibus ſublata 93. metallica, huius curatio 76 ſeq. pictorum 88. colicae ſpecies neruoſa 120. pictonum caſus 400. ſpecies colicae pictonum ſimilis 72. pictonum vegetabilis curatio 80 ſq. 83 ſq. 86 ſq. pictorum, de hac obſeruationes 675 ſeqq. eius cauſſae, ſymptomata et curatio 677 ſq.
Colli vulnus 390
Coloſtratio, mammae morbus 357
Conceptionis theoria 351 ſeq. animalis ratio 251 ſeqq. vegetabilis 492
Conchyliorum analogia cum tubulis vermicularibus 590 ſeq.
Condoma, animal 482
Conſpicillis conficiendis aptae materiei inueniendae praemium expoſitum 173 ſeq. 548
Conuulſiones infantum, harum cauſſa et curatio 515. periodicae 391. conuulſiui morbi curatio 90. inſultus endemii 107
Copal, gummi hiſtorice et chemice diſquiſitum 632 ſeqq.
Coralliorum analogia cum tubulis vermicularibus 590 ſeq.
Cordis inflammatio vera 160. irritabilitas vnde? 673. morbus ſingularis 581. ſenſibilitas probata 582. vſus in foetu 268
Corine, gazellae ſpecies 479. 481
Cornelia, nouum plantae genus 423
Corporis humani maioris et minoris incrementi ratio 283 ſqq. ſtatura 284. decrementi cauſſae 287. calor, de hoc obſeruationes thermometricae 213 ſeqq.
Corporum cohaeſio vnde pendeat 337
Coudous animal 483 ſeq.
Cranii vulnerum recentium curatio, de hac experimenta 593 ſeq.
Crantz,

Crantz, Henr. Io. Nepom. materia medica et chirurgica Tom. I. II. III. 135. inſtitutiones rei herbariae T. I. II. 460
Cuprum a ferro ſeparandi modus 207
Cuſcutae plantula ſeminalis 609
Cyprini ſpecies 131
Cyſtotomia lateralis Moreauiana 150 ſeq. huius praerogatiua 151
Cytiſi Caian vſus 246

D.

Dalby, Ioſeph, the virtues of Cinnaber and Musk againſt the Bite of a mad Dog 295
Daniae rex Hafnienſi ſocietati ſcient. pecuniae ſummam ad praemia diſtribuenda donauit 553 ſq.
Dauid, Recherches ſur la maniere d'agir de la Saignée 223
Dekker, ſociet. ſcient. Harlem. ſocius 547
Dentitionem difficilem praeuertendi modus 514
Dentium ortus et eruptio in infantibus 283
Diaboli marini deſcriptio 397 ſeq.
Diapenſiae Helueticae character 244
Diarrhoeae infantilis varia genera 516
Diuionenſes acad. ſcient. praemia aucta 176
Doctoris medici dexteritas et officium 615 ſeq.
van Doeveren, Gualth. ſpecimen obſeruationum academicarum 159
le Dran, Henr. François, Conſultations ſur les maladies, qui ſont du reſſort de la Chirurgie 298
Dulcamarae effectus ſalutares 399 effectus et virtus contra virus ſcorbuticum 6. eam propinandi modus ibid.
Dyſenteria, de hac obſeruationes 60. huius cauſſae 61. curatio ib. ſq. 67. caſtrenſis curatio 52. Londini epidemica 143. huius ſymptomata et curatio 143 ſq. ea defuncti cadaueris ſectio 145 ſq.

E.

Eclampſiae infantum cauſſa et curatio 515
Ehretia dubia, noua ſpecies 248
Electricitas, circa hanc experimenta 18. 310. tempeſtatum caute indaganda 220 ſq. electricitatis index emendatus 221 ſeq. electrici repulſus ratio 441
Eller, Io. Theod. *vollſtändige Chirurgie* 237
Embryologia ſacra 328
Embryonis primaeui mollities et incrementum 254. partium conformatio 266 ſqq.
Emeticorum vſus in amauroſi 90. in febre petechiali 48
Empyematis operatio neglecta 75
Enterocele cum gangraena 393
Entomologia ſyſtematica 431
Equiſeti paluſtris foetor 210
Equorum morbus mucoſus 13 ſeq.
Erucae, arbores Americae ſeptentrionalis infeſtantes 204
Eruditorum ſanitas et morbi 23 ſeqq.

Eryſipelas, aquam viridem exſudans 396
Eſculus *vid.* Hippocaſtanus.
Euler, Alb. ſociet. oeconomicae Petropolitanae membrum 177
Euler, Car. ab imperatr. Ruſſ. medicus aulicus factus 178
Eulerus, Leonh. ſociet. oeconom. Petropolitanae membrum 177
Evonymi Europaei vſus 210

F.

Falk, itineris per Ruſſiam inſtituendi comes 553
Fauna inſectorum Fridrichsdalina 297
Febris cauſſa 233 ſeq. biliosae caſtrenſis ſymptomata et curatio 46 ſeq. carcerum de hac obſeruationes 62 ſeq. lactea, de hac obſeruationes 356. 388. petechialis ſymptomata et curatio 47 ſeq. 51 ſeq. ex quotidiana continua putrida 363. ſcarlatinae hiſtoria et curatio 526 ſeq. tertiana cum ptyaliſmo inſigni 396. varioloſae curatio 517. febrium intermittentium cauſſa 234. curatio 54. 234. earundem apud infantes effectus et curatio 521 ſeq. remittentium et intermittentium caſtrenſium cauſſae et curatio 59 ſeq. febrium vehementiorum cauſſa in virili aetate 689
Fermentationis effectus 337 ſeqq.
Fermin, Philippe. Traité des maladies les plus frequentes a Surinam et des remedes a les guerir 119
Ferrum a cupro ſeparandi modus 207
Fibrae muſcularis indoles 412 ſeq. affectiones morboſae 415
Fiſtula laryngis 394
Flora Danica Vol. I. et II. 217. Gedanenſis tentamen 509. monſpeliaca 95 ſeqq.
Florentiis academia agriculturae (Georgo fili) conſtituta 366. academia degli Spontanei conſtituta 177
Florum differentiae et partes 444 ſeq.
Fluidorum compreſſibilitas 320 ſeq.
Foeminae cur citius creſcere deſinant maribus 284
Foetus primordia 258 ſeqq. in vtero ſitus 161 ſeq. 353. nutritio in vtero materno 265. 353 ſeq. incrementum 272 ſeq. 353 ſeq. vitae initia 262 ſeq. partium paulatina conformatio 266 ſeqq. huius cauſſae 269 ſeq. an in vtero reſpiret? 331. num in vagina reſpiret? 275. in ſtatum infantis transeuntis mutationes 281 ſeq. cura poſt partum 279 ſeq. humani monſtroſi 159. 203. 582
Foliorum in plantis differentia 443
Fontana, Felix, dei Moti dell' Iride 532
Fracaſſini, Ant. opuſcula phyſiologico-pathologica 152
Franklin, Beni. ſociet. reg. ſcient. Goetting. ſocius 175
Fribergae academia metallorum et fodinarum condita 170 ſeqq.
Frigoris effectus in Bothnia occidentali 196 ſeq.

Frumentorum grana erodens inſectum, contra hoc remedia 19 ſeq. frumenti Turcici morbus 594 ſeq.
Frys, Nicol. Chriſt. academ. ſcient. Holmienſis membrum 701
Fugazzo, Clodoaldo, academiae Florentinae degli Spontanei auctor 177
Fulguris effectus varii 317. eius damna auertendi modus 317. 320
Fulminis effectus ſingulares 317 ſeq. 320. 588 ſeqq.
Funiculus vmbilicalis 264

G.

Gaertner, Prof. hiſtor. naturalis Petropoli ſubſtitutus 553
Ganglii ſemilunaris quinti paris neruorum ſ. Gaſſeriani deſcriptio 530 ſeq. gangliorum vſus in neruis 315
Gazellae, harum ſpecies 478 ſeqq.
Gedanenſis ſociet. natur. indagat. theſ. et praem. ad ann. 1769. 699
Gellert, Chriſt. Ehregott, Fribergenſis academiae metallorum et fodinarum Prof. 171
Gemellorum cauſſae 280
Generationis theoria 351 ſeq. de hac hypotheſes 255 ſeqq.
Geniſtae ſeminum vſus in calculo 138
Genitalium partium maſculinarum mala conformatio 11
Germinis plantarum disquiſitio microſcopica 492 ſeq.
Geuns Matth. praemium a ſocietate ſcient. Harlemenſi accepit 695
Girardeau, ab acad. reg. chirurg. Pariſ. praemium accepit 549
von Gleichen, Wilh. Frid. *das neueſte aus dem Reiche der Pflanzen* 489
Gmelin, imperatricis Ruſſorum iuſſu iter per Ruſſiam inſtituet 552 ſeq.
Gmelini, Philip. Freder. obitus 702
Gobionis piſcis ſpecies 131
Godar, Guillaume Lambert, Diſſ. ſur la nature, la maniere d'agir les eſpeces et les uſages des antiſpasmodiques 412. idem ab acad. Divionenſi praemium reportauit 550
Gonorrhoeae diſtinctio 434. malignae in foeminis ſedes 434 ſeq. differentia a fluore albo ib. benignae cauſſa 69
Gottingenſis ſociet. reg. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1767 175. ad ann. 1769 697
Gouan, Ant. flora Monspeliaca 95. Prof. botan. et inſpector horti regii Monſpeſſulani 554
Grauiditatis theoria 353 ſeq. ſigna 276
Grimmia capra L. 483
Guaiaci decocti vſus in morbo venereo 405 ſeq.
Guib, animal 482
Gummi arabici coniunctio cum mercurio 623. affinitas cum muco animali 624. copal hiſtorice et chemice disquiſitum 632 ſeqq.
Gyllenſtaedt, itineris, per Ruſſiam inſtituendi comes 553
Gymnoti, piſcis, percuſſio electrica, dubia 580

Gyöngyöſſi, Paul. ab imperatr. Ruſſ. medicus aulicus factus 178

H.

Haemorrhagia narium menſtrua 397
Haemorrhoidum recenter tumidarum curatio 531 ſeq.
de Haen, Ant. rationis medendi in noſocomio practico Pars IX. et X. 669
Hafnienſis societ. reg. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1769. 697
de Haller, Alb. elementa phyſiologiae corporis humani Tom. VIII. P. I. II. 251
du Hamel du Monceau, acad. reg. Holmienſ. ſocius 555
Harduini, Petr. animaduerſionum botanicarum ſpecimen II. 422
Harlemenſis ſociet. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1768 et 1769 547. ad ann. 1770 695
Hartmann, Io. Frid. *Anmerkungen über die nöthige Achtſamkeit bey Erforſchung der Gewitterelektricität* 220. acad. imperial. nat. curioſ. ſocius 555
Hausmann, Chriſt. acidularum Sulzbacenſium hiſtoria et analyſis 146
Hectica febris, lacte curata 401
de Heinitz, Frid. Ant. Fribergenſis academiae metallorum et fodinarum praeſes 171
Hemeralopia 74
Hepatis morbus a calculo biliario 401. vulnus eiusque ſymptomata 400
Heracleum anguſtifolium 243
Hernia inguinalis gangraenoſa curata 387. incarcerata gangraenoſa, vi naturae curata 91. veſicae vrinariae 306. herniae cruralis cum gangraena caſus 89. incarceratae ſanatio 388 ſeq. cum gangraena cauſſa ſingularis 398
Herpetis ſpecies 121
Hills, Iohn, vegetable Syſtem Vol. V. VI. 34. Vol. VII. VIII. et IX. 601
Hippocaſtani gemma hybernalis, microſcopio diſquiſita 639 ſeq.
Hippopotamus, animal 473 ſeq.
Hirſch, Ant. Balth. Raym. Diſſ. paris quinti neruorum encephali diſquiſitio anatomica 530
Hirudinum vſus medicus 202. vſus in haemorrhoidibus negatur 532
Hiſtoire et Memoires de l'academie royale des ſciences année 1760. 579. année 1761. 3. hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres a Berlin année 1758. 628. hiſtorie naturelle generale et particuliere avec la deſcription du Cabinet du Roi Tome XII. 471
Hochenwartia, plantae genus 469
Holmienſis acad. reg. ſcient. theſ. et praem. aucta ad ann. 1768. 701
Home, Franc. principia medicinae 65
Homicidii ſigna in ſuſpenſis 27
Hompeck, Anton. *Abhandlung von der electriſchen Abſtoſsung* 441

ab Hum-

ab Humbourg, Io. Nepom. Diſſ. ergo haemorrhoidi recenter tumidae ſectio, non hirudo 531
Humeri fractura 395
Hummelauer, ab Imperatrice praemio magno donatus eſt 369
Hydrocephali origo, differentia et curatio 528 ſeq.
Hydrophobiae curatio 114. contra eandem remedium 295 ſeq.
Hydrops, de hoc obſeruatio 92. eius ſpecies 70. ſaccatus 401 ſeq. eodem defuncti ſectio 634 ſeq. ſpurius a ſanguine extrauaſato 396 ſeq. melancholiae accedens 652. 667. pectoris, huius diagnoſis dubia 670
Hyemis effectus in Bothnia occidentali 196 ſeq.
Hyoſcyami ſeminum effectus noxius 72 ſeq.
Hypochondriaci mali ſedes et cauſſae 102 ſeqq. curatio 111 ſeqq.
Hyſterici mali ſedes et cauſſae 102 ſeqq. curatio 111 ſeqq.
Hyſtrix, animal 486 ſeq. Americanus 487

I.

Iacquin, Nic. Ioſeph. enumeratio ſtirpium agri Vindobonenſis 241. obſeruationum botanicarum Pars I 245
Iaculator, piſcis, quomodo victum ſibi parat 310
Iantke, Io. Iac. obiit 554
Ibex, animal 477
Icteri infantilis cauſſae et curatio 527 ſeq.
Ileus morbus, de huius curatione experimenta 673 ſeq. eodem demortuae ſectio 160
Incubi cauſſa 111
Inediae caſus ſingularis 4. 7
Infantum contemplatio phyſiologica 281 ſeqq. diaeta, cauſſa longaeuitatis 688 ſeq. morbi 511. 513 ſeqq. horum diſtinctio 152 ſeq. infantes neonatos, mortuos viſos, in vitam reuocandi auxilia 332
Inflammatorii morbi, de his obſeruationes 56 ſeq. aetati virili ſolennes 689
Inoculatio variolarum defenſa 410 ſeq. 518 ſeq. contra eandem monita 674 ſeq. huius hiſtoria, ſucceſſus et methodus in Scotia 229 ſeqq. vtilitas ex indicibus natorum mortuorumque probata 587 ſeq. cum eadem alii morbi non communicantur 232. hanc infectio naturalis non ſequitur 232. eandem concomitantia ſymptomata 232 ſeq.
Inſania quid? 665. eius prognoſis 667
Inſecta agri Fridrichsdalenſis 297. inſectum frumentorum, grana erodens, contra hoc remedium 19 ſeq.
Inſitio variolarum vid. Inoculatio.
Intertriginis curatio 513
Inteſtini ilei ſingularis incarceratio 160. recti gangraena 74. portio per anum reiecta 404. inteſtinorum inuaginatio 636. inflammatio, de hac obſeruationes 58. 62. ſitus praeternaturalis morborum cauſſa 160

Inuentor medicus 616. anatomicus ib. ſeq.
Iridis oculi motus cauſſa 532 ſqq. ſtatus naturalis 534. motus eius eſt voluntarius 534 ſeq.
Irritabilitas partium, de hac experimenta 163. contra eandem obſeruationes 672 ſeq.
Irritantium actio et virtus antiſpaſmodica 419 ſeq.
Iuglandis foliorum vis diſcutiens 137
Iulien, ab acad. ſcient. Lugdunenſi praemium reportauit. 549 ſeq.
Iunci nouae ſpecies 243
Iuniperi ſpecifica virtus contra variolas 230

K.

Kamtſchadaliae deſcriptio 498 ſeqq. hiſtoria naturalis 501 ſeq.
Karſten, ſociet. ſcient. Harlemenſ. ſocius 547
de Keſsler ab imperatrice magnum praemium obtinuit 369
Keuel, gazellae ſpecies 479. 481
Kleinia, plantae genus 469
Kölpin, Alexand. Bernh. commentatio botan. de ſtylo eiusque differentiis externis 543
Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar För Aor. 1764. Vol. XXV. 195
Kraſcheninnikow, Steph. *Beſchreibung des Landes* Kamtſchatka 498 ſeqq.
Krauſe, Car. Chriſt. edidit - A. Corn. Celſi de medicina libr. VIII 426
Kulenkamp, Nicol. a reg. ſocietate ſcient. Gotting. praemium accepit 175

L.

Lactationis in foeminis non puerperis exempla 198
Lactea metaſtaſis 356. febris 356. 388
Lapis bezoar, huius origo et differentia 480 ſeqq. lazuli, de hoc experimenta 629 ſeq. phosphoreſcens et filamentoſus microſcopio obſeruatus 437 ſeq.
Lari Lapponici deſcriptio 204
de Laurentiis, Laur. ornithologiae edendae conſpectus et vlterius inſtitutum 180 ſeq.
Layard, Dan. Petr. ſoc. reg. ſcient. Götting. correſpondens 175
Lazuli lapis, de hoc experimenta 629 ſeq.
Ledermüllers, Mart. Froben. *Nachleſe ſeiner mikroſcopiſchen Gemüths und Augenergötzungen* 5 *Sammlungen* 29. *phyſikaliſch mikroſcopiſche Zergliederung einer kleinen Winterknoſpe des* hippocaſtani *oder* eſculi 639. *Zergliederung des Korns oder Rockens* 641. *Vorſtellung und Zergliederung einer angeblichen Rockenpflanze, das Staudten - Steck - oder Gerſtenkorn genannt* 641
Lehmann, Io. Gottlob obiit 179
Lepechin, itineris, per Ruſſiam inſtituendi, comes 553
Lepidium ſpinoſum 425
Lexicon botanicorum et hortulanorum 168
Lienteriae curatio 516
Linnaei, Car. muſeum Ludouicae Ulricae, Reginae Suec. et Adolphi Friderici, Regis Suec. 139

Lithontriptica remedia 347 ſeq.
Lithotomia, variae eius methodi 164 ſeq. lateralis Moreauiana 150 ſeq. huius praerogatiua 151
Lizzari, Ant. Diſſ. epiſt. dell' operatione ceruſica detta paracenteſi nell' idropiſie aſcitiche, ciſtiche et tel peritoneo 69
Lochiorum ſuppreſſionis cauſſa et curatio 355. 358
Lommer, Hier. Gottfr. Fribergenſis acad. metallorum et fodinarum membrum et Prof. 172
Longaeuitas humana 289 ſeq. eam acquirendi modus 688 ſeq.
Loquela ſine lingua 91
Loranthus Europaeus 243
Lorry, Ann. Car. de melancholia et morbis melancholicis Tom. I. 644
Louis, Memoire ſur les ſignes du Suicide et de l' Aſſaſſinat 26
Ludwig, Chr. Gottl. methodus doctrinae medicae vniuerſae 610
Lumbago rheumatica 67
Lumbrici, horum curatio. 523 ſeq. in veſicula fellea reperti 664
Lupuli Bauarici diſquiſitioni praemium conſtitutum 546
Lycopodium dichotomum 244

M.

Macbride, Dau. Experimental Eſſays 336
Macquer Petr. Ioſ. acad. reg. ſcient. Holmienſis membrum p. 701
Maculae nigrae vel fuſcae, ante oculos verſantes 583
Magnetes artificiales 15 ſeq.
Magnetiſmns, circa hunc experimentum 129. magneticae materiae actio in ferrum et magnetem 438 ſeqq. magneticam vim ferro conciliandi methodus 15 ſeq.
Mais, plantae morbus 594 ſeq.
Malpighia altiſſima 250
Malti vſus et vis antiſeptica 344 ſeq. huius infuſum parandi et exhibendi modus 345
Mammarum ſtructura et morbi 357. inflammationis cauſſae 357 ſeq.
Manetti, Xauer. operis ornithologici explicationum et deſcriptionum auctor 181
Mangold, Chph. Andr. obiit 370
Maniae cauſſa, ſedes et ſymptomata 666 ſeq. prognoſis 667. curatio 364. mania neruea 651 ſeq. a vermibus 664. maniaci an naſcuntur? 665 ſq.
Mantuae academia regia ſcientiarum artiumque bonarum condita 367
Maret, ab acad. ſcient. Burdigalenſi praemium accepit 551
Marteau, ab acad. ſcient. Burdigalenſi praemium accepit 551
Martin, Roland, Tal om Nerveurs allmänna Egenſkaper i männiſkans Kropp. 682
Martinique inſulae hiſtoria naturalis 116 ſeq. morbi ibi frequentes 116 ſeq.
Maſſilienſis acad. elegant. litter. ſcient. et art. theſ. et praem. ad ann. 1769 693

Materia medica et chirurgica 135 ſq.
Maty, Matth. ſociet. reg. ſcient. Londinenſ. ſecretar. 176
Mazame, capreoli ſpecies 483
Medicae doctrinae vniuerſae methodus 610 ſeqq. medicarum diſciplinarum recenſio 613 ſq.
Medici officium duplex 613. tironis indoles et inſtitutio 615. doctoris officium et dexteritas 615 ſeq. inuentoris officium 616. profeſſoris officium 617 ſeq. practici officinm 619 ſqq.
Medicinae hiſtoria et fata 612. definitio et diſtinctio 612 ſeq. eam addiſcendi ratio 612 ſeqq. colendi ratio 615 ſeqq. ſyſtema ſtabiliendi ratio 618 ſeq. cura publica 621 ſeq.
Meeſe, Dau. a ſociet. ſcient. Harlemenſi praemium reportauit 546 ſeq.
Melancholiae definitio 644 ſeq. diſtinctio 645. ſpaſmodicae definitio et ſpecies 646 ſeq. differentia ab humorum morbis 647. ſymptomata 648. nerueae eſſentia 645 ſeq. cauſſae procatarcticae 649. ſigna diagnoſtica 650. ſymptomata varia 651 ſeq. humoralis eſſentia et cauſſae 653 ſeqq. ſedes 659 ſeq. ſigna et ſymptomata 661 ſeqq. prognoſis 667 ſeq. melancholici num naſcuntur? 665 ſq.
Melicae noua ſpecies 424
Melonis flores microſcopio diſquiſiti 491
Memoriae poſt apoplexiam abolitio 82
Menſtrua in puella 4. menſium obſeruata 7. in puella quadrienni 389. in foemina 72. annorum 389
Mercurii deſtillatio, de hac obſeruationes et experimenta 130. affinitas cum muco et ſaliua 623. coniunctio cum gummi arabico 623 ſeq. vſus et actio in morbo venereo 324 ſeqq. 406 ſeq. gummoſi vſus in lue venerea 624 ſeq. eum adhibendi modus 625. actio in vias ſaliuales ib. ſublimati vſus ſuſpectus 407. eius inuentio 407. mercurialis aquae praeſtantia prae cauterio actuali in carie maxillae inferioris 394. inunctionis vſus in lue venerea 528
Meſenterii intorſio, mortis cauſſa 635 ſeq.
Meſſis optimum tempus cognoſcendi modus 205
Metallorum efferueſcentiae effectus morboſus 303
Metaſtaſis lactea 356
Metenſis acad. reg. ſcient. et art. theſ. et praem. ad an. 1767. 694
Meteora ſingularia obſeruata 322. ignea 4 ſeq. 316
Meteorologicae obſeruationes 205. in inſula Martinique inſtitutae 117 ſeq.
Methodus botanica duplex 447 ſeq. plantarum noua 449 461 ſeqq.
Microſcopicae oculorum animique oblectationes 29 ſeq. obſeruationes 490 ſeqq. obſeruationes de plantulis in vaſis vitreis reperiundis 211 ſq.
Microſcopiorum hiſtoria, diuerſitas et vſus 30. microſcopium ſolare emendatum 129

Mictus cruenti cauſſa 78
Miliaria exanthemata critica non ſunt 671. 680
Militum morbi 44 ſq. 51 ſqq. 56 ſqq.
Minerae argenteae lamelloſae Clausthalienſis examen chemicum 630 ſeqq.
Mineralis regni hiſtoria naturalis 408
Molae origo 357
le Monnier, Lud. Guil. Quaeſt. med. an cancer vlceratus cicutam eludat? 626
Monro's, Alexand. Account of the Inoculation of Small Pox in Scotland 229
Monro's, Donald, Account of the Diſeaſes in the Britiſh military Hoſpitals in Gurmany 50.
Monſpeliaca flora 95 ſeqq.
Monſpelienſis ſociet. reg. ſcient. theſ. et praem. ad an. 1769. 693
Monſtra humana 159. 203. 582. monſtrum cyclopis facie 7. monſtroſus agnus 89
Montium igniuomorum ignis cauſſa 600
Morbilli, num hominem bis inuadunt? 519. eorum curatio ib. ſq.
Morborum diagnoſis dubia 669 ſeq. morbus niger, de hoc obſeruata 402. 403
Mortis cauſſae et ſigna 291 ſeq.
Morton, Car. ſociet. reg. ſcient. Londin. ſecretarius 176
de Morton, Comes, ſociet. reg. ſcient. Lond. praeſes 176
la Morue, equorum morbus 13 ſq.
Moſchi adulteratio 484. vires contra morſum canis rabidi 295 ſeq.
Moſchiferum animal 484
dei Moti dell'Iride 532
Mulierum morbi 350 ſeqq.
Müller, Frid. ſociet. oeconomicae Petropolitanae membrum 177
Müller, Otto Frid. fauna inſectorum Fridrichsdalina 297
Mulorum morbus 7
Mumiae examen et diſſectio 302 ſeq.
Muſcae tubulus, per quem ouula ponit, microſcopio obſeruatus 32 ſep.
Muſculi bicipitis brachii ſingularis ſtructura 392
Muſcus quidam exiguus deſcriptus 197. in vaſis vitreis, ex quibus bibi ſolet, reperiundus 211 ſeq.
Muſeum S. R. M. Ludouicae Vlricae, Reginae Goth. Suec. Vandal. et Adolphi Friderici, Regis Suec. Tom. I. II. 139
Murray Io. Andr. acad. reg. ſcient. Holmienſis membrum 701
Myopia et presbyopia in ſene 79

N.

Naeui materni, horum ortus 259
Nahuis, Alex. Pet. ab acad. ſcient. Lugdunenſi praemium accepit 549
Narcotica remedia, quid? 419
Natura quid ſit eiusque effectus 471 ſeq.
Nautarum morbi 122 ſeqq.
Neruei fluidi natura 685 ſeq.
Neruorum conſenſus ratio 101 ſq. functiones generatim declaratae 682. 684. anatomica deſcriptio 687. quinti paris encephali deſcriptio 530 ſeq. ganglia, horum vſus 315. morbi, horum ſedes et cauſſae 102 ſqq.

102 ſqq. ſymptomata 108 ſqq. curatio 111 ſeqq.
Nicandri theriaca et alexipharmaca. Curante Bandinio 239
Niebuhr, ex Arabia redux in patriam reuertitur 372
Nietzki, Adam, Prof. med. ord. Altorf. 554. eiusque reditus 702
Nitri vſus in rheumatiſmo acuto 45
Noſocomia militaria inſtituendi modus 44
Noui commentarii acad. ſcient. imperialis Petropolitanae, Tom. IX. 128
Nutrici obſeruandae regulae 513
Nux, quid? 446
Nyctalopia 74

O.

Obeſitatis ratio et cauſſa 286 ſeq.
Oculi laeſio ſingularis 206. morbus ſingularis 390. 583. tumor cancroſus 389. pupillae contractionis cauſſae 532 ſeqq.
Oeder, Geo. Chriſt. icones plantarum ſ. Florae Danicae Volumen I. et II. 217. elementa botanicae, P. I. et II. 442
Ophrys Alpina, huius character 243
Opiatorum noxam in infantibus praecauendi auxilia 515
Opii vſus in dyſenteria 144. in haemorrhagia vteri grauidi 138, in ſpaſmis et conuulſionibus 114. cum ipecacuanha commixti effectus 45
de Oppeln, Frid. Guil. Fribergenſis academiae metallorum et fodinarum praeſes 171
Orchis morio, ex hac radicem ſalep praeparandi tentamina 209
Ornithologia Danica 432
Oſſeum corpus praeternaturale in homine repertum 581
Oſſium formationis cauſſae modus 270 ſeq. articulatio praeternaturalis 582 ſeq. exfoliatio, de hac experimenta 593 ſq. oſſa foſſilia prope aquas Sextias reperta 592 ſeq.
Oſteocollae formatio 4
Ouarii tumor inſignis 635. mutatio poſt factam conceptionem 253
de Overkam, Franc. Ioſeph. obiit 370
Oui humani deſcriptio 254
Oxymellis colchici effectus 403

P.

Palier, ſociet. ſcient. Harlemenſ. ſocius 547
Pallas, iuſſu imperatricis Ruſſorum iter per Ruſſiam inſtituit 552 ſeq.
Panici plantae ſpecies nouae 424
Paracenteſeos vſus in hydrope 70 ſeq.
Parallele des differentes methodes de traiter la maladie venerienne 405
Paralyſis, eius curatio 74. colicae pictonum ſuperueniens 86
Paregoricorum actio et vis antiſpaſmodica 419
Pariſiis ſchola veterinaria conſtituta 368. ibidem acad. reg. ſcient. praemium traditum eſt conſpicillorum materiae aptae inueniendae deſtinatum 173 ſq.

Parotidis tumor inſignis 581
Partus terminus naturalis 354 ſq. cauſſae 277 ſeq. 355. phaenomena 278 ſeq. difficilis natura et cauſſae 331 ſeq. caeſarei vtilitas 330 ſeq. laborioſus ob infantis nimiam magnitudinem 402
Patellae fractura, de hac monita 300 ſeq.
Pathologiae conſpectus 614
Paulliniae ſpecies 248
Pechurei fabae vſus in diarrhoea 516 ſeq.
Pecorum luis contagium exemplo illuſtratum 520
Pediculi, contra hos remedium 525
Pediluuiorum vſus 226. vſus in conuulſionibus 114
Peltaria, nouum plantae genus 243
Penis infantis, a cane deuoratus 85
Perioſtei formatio 271 ſeq. ex eodem oſſa non formantur 272
Peripneumonia, huius ſedes 53. 57. curatio 46. in ea qualis pulſus 671
Peritonei hydrops 92
Peruuiani corticis vſus in conuulſionibus 391. in febribus bilioſis et putridis 50. in febribus intermittentibus 54. in phthiſi 53. in variolis 90. 518. externus in febre intermittente 522. vis antiſeptica, experimentis declarata 342
Peſtis Conſtantinopolitana, de hac obſeruationes 307 ſeqq. eius ſymptomata 308 ſeq.
Petechialis febris 63 ſeq.
Petioli foliorum diſtinctio 443
Petropolitanae acad. ſcient. imperialis noui commentarii, Tom. IX. 128. ſocietatis oeconomicae noua membra 177. theſ. et praem. ad ann. 1769. 701
Phalaena exigua, apibus infeſta 195 ſeq.
Philoſophical Tranſactions, Vol. LIV. 302. eiuſdem libri noua editio huiuſque inſtitutum indicatur 556 ſeq.
Phocae vitulinae genera et vtilitas 506
Phrenitidis curatio 57
Phthiſis, de huius curatione obſeruationes 53. 58 ſq. ad melancholiam accedens 652. 667 ſeq.
Phyſicae obſeruationes 579 ſeqq.
Phyſicaliſch - mikroſcopiſche Beſchreibung eines beſondern phoſphoreſcirenden und ſaſerichten Steins 437
Phyſiologiae corporis humani elementa T. VIII. 251. definitio et diſtinctio 614
Pianes, cutis morbus 117
Pinkenfeldenſis aqua acidula 691. eius partes conſtitutiuae 692. vſus 693
Pipa, bufonis ſpecies 121
Piperis pellucidi et rotundifolii virtus 247
Piſces rariores muſei Petropolitani 131
Placenta vterina 264. huius vſus 266. cohaeſio cum vtero 353. incarceratio 162. poſt partum ſolutio 279
Plantarum diſpoſitio ſyſtematica noua 449 ſeq. 461 ſeqq. propagatio animalium analoga 636 ſeq. partes generationis, microſcopio diſquiſitae 490 ſeqq. generationis modus 492 ſeq. aggregatarum character, claſſis et or-

et ordines 35 ſeqq. vmbellatarum character, claſſis et ordines 38 ſeqq. monopetalarum regularium characteres et diſpoſitio 601 ſeqq. minus cognitarum deſcriptio 334

Plantulae in vaſis vitreis, ex quibus bibi ſolet, reperiundae 211 ſeq.

Platina di Pinto, de hac experimentum 207

Plenck, Ioſeph. Iac. methodus noua argentum viuum aegris, venerea labe infectis, exhibendi 623

Pleſſis Clavier du praemium reportavit a caeſ. reg. ſociet. agricult. et ſcient. Clagenfurtenſi 696

Pleuritidis ſedes 53. curatio 46. 57

Pluuioſae tempeſtatis damnis, dum ſeritur, praeueniendi modus 202

Podagrae cauſſa et progreſſus 104 ſeq. curatio 348

Poloniae regni ſtatus medicus emendatus 556

Polygalae vulgaris vſus in phthiſi 137

Polypi narium mucoſi curatio 77 ſeq. vteri caſus 88

Porcus Indicus 484. fluuiatilis Marcgrauii 485 ſeq.

Potentillae albae vſus tinctoris 311

Practicorum medicorum officium 619 ſeqq.

Pringle, John, Obſervations on the Diſeaſes of the Army 56. ſociet. reg. ſcient. Gotting. ſocius 175. Auguſtiſſ. Princip. Walliae archiater 702

Profeſſoris medici officium 617 ſq.

Ptyalyſmi ſpontanei diuturni curatio 396

Pubertatis ſigna in puella neonata obſeruata 7

Puiati, Giuſeppe Anton. della preſervazione della ſalute de Letterati 22

Pulices aquatici microſcopio obſeruati 31

Purgantium vſus in colica 93

Putredo corporum, de hac experimenta 339 ſeq. eam coercendi remedia et modus 340 ſeqq.

Putridum quomodo corrigi poſſit 341 ſeq.

Pyckogonum, nouum inſecti genus 431

R.

Rabies canina, contra eam remedium 295 ſeq.

Radicum in plantis differentia 443

Rangifer ceruus, animal 475 ſeq.

Raphani Chinenſis oleiferi cultura et vſus 217

Rattorum triplex genus et viuendi modus 504 ſeq.

Reichel, Geo. Chriſt. Prof. med. extraord. Lipſ. 555

Relaxantium ſpecies et virtus antiſpaſmodica 417

Relham's, Antony, Refutation of the reflexion againſt inoculation publiſhed by D. Raſt 409

Reſpiratio foetus in vtero 331. huius effectus in infante recens nato 281

Reinhard Io. Iac. acad. reg. ſcient. Holmienſis ſocius 701

Reyger, Gottfr. tentamen florae Gedanenſis 509

Rhabarbari vſus in dyſenteria exiguus 144

Rhachitidis curatio 524 ſq.

Rheumatiſmi acuti et chronici curatio 45. 53 ſeq. 58

Ring-Worm, herpetis ſpecies 121
Roborantium vſus antiſpaſmodicus 416 ſeq.
Roſen von Roſenſtein, Nils, Vnderrättelſer om Barn-Sjukdomar och deras Bote-Medel 511
de Roſenberg, Comes, Florentinae academiae agriculturae praeſes 366
Roſier, a ſocietate reg. Lemouicenſi praemium reportauit 550
Rothomagenſis acad. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1769. 549
Rouppe, Ludou. de morbis nauigantium 122
Roux, A. Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie. Tom. XIX. XX. 72. XXI. XXII. 387
Ruſſorum imperatricis inſtitutum aſtronomicum ad obſeruandum veneris tranſitum per ſolem d. 3. iun. 1769. 551 ſeqq. inſtitutum itineris per Ruſſiam in vſum hiſtoriae naturalis 552 ſeqq.
Ruthrum, plantarum genus 38

S.

Saiga, animal 478
Sal coeruleſcens microſcopio obſeruatus 33. ſalium differentia et proprietates 537
Salep radicem ex orchide morione praeparandi modus 209
Saliuae vis ſoluens 347 ſeq.
Salmonum varia genera 507
Sandifort, Eduard. acad. reg. ſcient. Holmienſis ſocius 701
Sanguinis circuitus in foetu 274 ſeq. in infante 281 ſeq. extrauaſatio, hydropem mentiens 396 ſeqq.
Sanitas quid? 23
Saponis vis anthelmintica 113. vſus in glandularum tumoribus ibid.
Sarcomatis cauſſa et curatio 93
Satio, pluuioſo tempore inſtituenda, de hac animaduerſiones 202
de Sauvages, Franc. Boiſſier, obiit 179
Scabiei cauſſa et curatio 55. 525. in infantibus retropulſae curatio 515. 521
Scabioſae ſpecies nouae 37
Scapulae fractura cum vulnere 392
Schreber, Io. Chr. Dan. icones et deſcriptiones plantarum minus cognitarum Decas I. 333
Schroeder, Phil. Geo. experimentorum ad veriorem cyſticae bilis indolem declarandam Sect. I. 293
Schultz, Dav. Tal om den rätta Alderdomens ärnaende 688
Schütze, Herm. principis Suecici archiater ordinarius 178
Schwenke, Thom. memoria 559 ſeq. ſcripta 561 ſeq.
Scopola Carniolica, nouum plantae genus 249
Scorbuti cauſſae 124 ſeq. 155. 343. cauſſa proxima et diagnoſis 126 ſeq. 156. ſeqq. ſymptomata 125 ſeq. 155. ſpecies 155. curatio 127. 158. 344 ſeq.
Scriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1762. prodierunt, indicis ſupplementum alterum 181 ſeq. anni 1763. indicis ſupplementum 187 ſeqq. anni 1764. index 372 ſeq. continuatio 563 ſeqq. 711

Scrophularum cauſſa 68
Scroti gangraena 89
Seba, Alb. locupletiſſimi rerum naturalium theſauri Tomus IV. 132
Secale microſcopio disquiſitum 641 ſeqq. de huius ſtructura et incremento obſeruationes 642. ſecali affinis plantae anatome 643
Seip, Folkert. Diſſ. de lithotomia ſ. calculi ſectione 164
Senectus, huius conditio et cauſſae 287 ſeqq. incommoda 291 ſeq. eam acquirendi ratio 688 ſeq.
Senis decrepiti diſſectio 391 ſeq. ſenum morbi, horumque cauſſae 153. diaeta 690
Senſibilitas partium, de hac experimenta 163. contra eandem obſeruationes 612 ſeq.
Sesleriae plantae ſpecies 424
Sexus vario modo diſtinctus in animalibus 251
Sida abutiloides 247 ſeq.
Sidrén, med. Prof. ord. Vpſalienſ. 554
Sigwart, Geo. Frid. Diſſ. cyſtotomia lateralis Moreauiana noua 150
Silicum geneſis 5
Slabber, ſociet. ſcient. Harlemenſ. ſocius 547
Solani ſpecies nouae 609. ſcandentis effectus ſalutares 6. 399. tuberoſi eſculenti cultura 213
Soni ortus et actio in aurem 360 ſeq.
Soye, Sinenſium embamma, parandi modus 199. ex quanam planta fiat 212
Spasmorum notio et differentia 413 ſeq. therapia 416
Sphacelus ex terrore 82
Spica graminis canini deglutita et ex dorſo extracta 327
Stehlin, Iac. ſociet. oeconomicae Petropolitanae membrum 177. ſociet. ſcient. Harlem. ſocius 547
Sterilitatis cauſſae et curatio 353
Sternutatorii pulueris abuſus noxius 650
Stoerck, Ant. ab imperatrice praemio magno donatus 369
Styli plantarum ſitus et differentiae 543 ſeqq.
Sulzbacenſium acidularum examen 146. partes conſtituentes 147 ſeqq. vires et vſus 149 ſeq.
Superfoetatio 280 ſeq.
Surditatis cauſſa 361
Surinam, ibi frequentes morbi 119 ſeq.
Suspenſorum mors 27. in vitam refocillatio 28. ſuſpenſus vtrum ſe ipſum interfecerit, vel an ab aliis ſtrangulatus fuerit? 26 ſeq.
de Swieten, L. B. Eques ordinis S. Stephani factus et praemio magno ornatus 369
Sympathia partium corporis humani 101 ſeq.

T.

Taeniae ortus 522. curatio 524. de hac obſeruationes 364. 523
Tanrec, animal 488
Tarandus, animal 475 ſeq.
Tartari emetici vſus in dyſenteria 143
Tempe-

Temperantium ſpecies et vſus antiſpasmodicus 418
Temporalis muſculi vſus ad auditum 361
Tendrac, animal 488
Teplenſium trium aquarum mineralium elementa et vires medicae 536 ſeqq.
du Terrail, Marchio, acad. ſcient. Diuionenſis ſocius 176. eiusdem ſocietatis praemia auxit ib.
Terroris effectus 216
Tetanus, 678 ſeqq. huius diſtinctio, cauſſae et curatio 678 ſeq.
Theae Indicae vſus in rheumatiſmo 609
Theodoro - Palatinae acad. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1769. 365 ſeq. 546
Therapiae ratio et diſtinctio 614 ſeq.
Thermometri vſus et applicatio ad fornaculam docimaſticam 599. metallici deſcriptio 128 ſeq. thermometrorum, punctis conſtantibus gaudentium, emendatio 129
Thermometricae obſeruationes de calore corporis humani 213 ſeqq.
Tilling, Io. Chriſt. Prof. med. extraord. Lipſ. 555
Titius, Io. Dan. praemium accepit a ſociet. natur. indagat. Gedanenſi 690
Toloſanae acad. ſcient. theſ. et praem. ad ann. 1768. et 1769. 693
Tormina infantum 513 ſeq.
Tragulus, animal 483
Traité de l'Oeconomie animale et des cauſes premieres des maladies 233
Tralles, Balth. Lud. Seren. Ducis Gothani archiater et conſiliarius aulicus 555 ſeq.
Transactionum philoſophicarum Vol. LIV. 302. noua editio huiusque inſtitutum 556 ſeqq.
Tribula, nouum plantarum genus 42. 39
Trudaine de Montigny, inueniendae materiae ad conſpicilla conficienda aptae praemium expoſuit 548
Tubulorum marinorum vermicularium diſpoſitio et diſtinctio 590 ſeq. analogia cum coralliis et conchyliis ib. ſeq.
Tulipae puluis antherarum 33
Tumor fungoſus oris 76. ſcirrhoſus inſignis exſtirpatus 94. tumorum magnorum exſtirpatio 76. lacteorum origo 356. metaſtaticorum cura 301
Turfae fodina 21
Tuſſis curatio 45. conuulſiuae cauſſa et curatio 67. neruoſa 110. infantum variae ſpecies earumque curatio 520 ſeq.

V.

Vaccinium foliis buxi, an in calculo vtilis? 674
Valeriana elongata, noua ſpecies 242
Vante, Violante, operis ornithologici tabularum auctor 181
Variolarum ſpecies 235 ſeq. curatio 48. 236. contagium et migratio probatur 517. diuerſa ſtadia et curatio ib. ſeq. abs-

ceſſus aperiendi neceſſitas 82 ſeq. inſitionis ratio in Gallia 371 ſeq. miaſma contagioſum Galli in puluere per nares ingerunt 372. easdem praeſeruandi modus 519. morbo, qui pereunt, nouus calculus 587 ſeq. variolae anomalae 364. varioloſae febris curatio 517
Vegetabilis regni cum animali analogia 636 ſeq.
Venaeſectionis effectus et agendi modus 223 ſeqq. in brachio inſtitutae effectus 225. in pede 226. in manu 227. in collo ib. vſus in artuum amputatione ib. ſeq. in colica pictonum 80. in dyſenteria 143. in variolis 236. vſus generalis 235
Venerei morbi natura 324 ſeqq. 405. effectus et curatio 324 ſqq. 528. eum curandi methodi 405 ſeqq. 624. ſeq. inueterati curatio 77. vlceris a ſcorbutico diſcrimen 528
Ventriculi cruſta tenax, vomitu reiecta 393. inflammatio 58. humani tunicae carnoſae plana muſculoſa 9
Ventura Iac. praemium reportauit ab acad. reg. ſcient. Holmienſi 700
Vermes, morborum cauſſa 392. melancholiae cauſſa 664. ex aure educti 85. in veſicula fellea reperti 664. cucurbitacei, de his obſeruatio 92 ſeq. inteſtinales, horum ortus, genera et curatio 522 ſeqq. vermis cum vrina eiectus 78 ſeq.
Vernicem metallis inaurandis aptam parandi modus 8
Veſica vrinaria vid. Vrinaria
Veſicatoriorum vſus in pleuritide 57
Veſpae noua ſpecies 305
Veſuuii ardentis materiae diſquiſitio chemica 8
Veterinariae ſcholae conditae 368. eidem arti praemia conſtituta 550
Vigor, North, ab imperatrice Ruſſorum medicus aulicus 177
Vindobonenſis agri plantae 241
Viſionis ſenſorium 154
Vitriolum aquarum mineralium 147 ſeq.
Vmbellatarum plantarum claſſis, tribus et ordines 38 ſeqq.
Vomitoriorum vſus in dyſenteria 143. in uariolis 236
Vomitus curatio 58. nigri cauſſa 106 ſeqq. infantum cauſſae 520
Voyage a la Martinique 115
Vpſaliae ſocietas coſmographica inclaruit 554
Vrachus 264
Vrethrae morbi 434. fiſtulae curatio 300. 435. nimis anguſtae dilatatio 300
Vria, nouum auium genus 433
Vrinae effluxus praeternaturalis 12. geniturae ſimilis et arenoſae in tetano ratio 679. retentio cum prolapſu ani 73. a calculis 393. cum vteri morbo minus conſueto complicata 394
Vrinalium viarum vitia 11 ſeq.
Vrinariae veſicae hernia, calculum continens 306. ruptura lethalis in grauida 161. vlcus gangraenoſum 390 ſeq.
Vrſon animal 487 ſeq.
Vteri

Vteri ligamenta duo rotunda poſteriora nouiter reperta 597 ſeq. venae coecales 358. dilatatio morboſa inſignis 394. tumor ſarcomaticus 395. polypi hiſtoria 88. ruptura 162. orificium clauditur ope ſphincteris 351. vaginae calculoſum concrementum 301. grauidi membranae 262 ſeq. mutatio et habitus 276 ſeq. haemorrhagiae poſt partum cauſſa et auxilium 279 ſeq.
Vulnera, ex iis corpora peregrina ſine ſectione educendi modus 299. vulnus granulis plumbeis exploſis factum 75. in quo iuncus per 18 menſes relictus eſt 73
Vuae vrſi virtus dubia 137. vſus in calculo 609. 674. 681.

W.

Wallerius, Io. Gottſchalk, a prof. chemiae et metallurgiae ſe abdicauit 369
Walther, Iſrael, ab acad. ſcient. Theodoro-Palatina praemium accepit 365
Wathen's, Ionathan, Obſervations concerning the Cure of the Venereal Diſeaſe by mercurials 324
Weber, Chph. obſeruationum medicarum faſciculus I 363
Werlhof, Paul Gottlieb obitus 371. memoria 703. ſcripta 709
Werner, ab imperatrice praemio magno donatus 369
Wheeler's, Iames, Botaniſt's and Gardener's new Dictionary 168
Wetſch Ignat. diſſ. de aqua acidula, vulgo Pinkenfeldenſi 691
Whytt's, Robert, Obſervations on the nature, cauſes and cure of thoſe Diſordres, which have been commonly called nervous, hypochondriac or hyſteric. 100
Winslouii, Iac. Benigni, elogium ſeu vitae deſcriptio. 583 ſeqq.

Y.

Yaws, morbus 121

Z.

Zauſchner, Io. Bapt. Ioſeph. Diſſ. de elementis et viribus medicis trium aquarum mineralium Teplenſium 536
Zebra, animal 472 ſeq.

Emen-

Emendanda.

Pag. 67. lin. 30. *qui* lege quae. pag. 73. lin. 16. *et* deleatur. pag. 87. lin. 27. *bibenum* lege bibendum. p. 168. l. 20. *ſpeciſicos* lege ſpecificos. p. 191. l. 8. *ledermüller* l. Ledermüller. p. 196. l. 17. *teles* l. telis. p. 200. l. 10. *cuiforme* l. ouiforme. p. 204. l. 20. *Fluii* l. Fluuii. p. 217. l. 20. *illuſtrandam* l. illuſtrandum. p. 218. l. 19. *tanum* l. tantum. p. 221. l. 10. *ſulminea* l. fulminea. p. 222. l. 18. *vilum* l. filum. l. 23. *excedentes* l. excedentis. p. 236. l. 23. *eo* l. ea. p. 244. l. 6. *qui à calyce* l. quem calyx. p. 297. l. 15. *vocauit* l. vacauit. p. 348. l. 31. *ſixum* l. fixum. p. 349. l. 21. *reſinorum* l. reſinoſorum. p. 353. l. 1. *Auctori* l. Auctor. p. 358. l. 27. *quae* l. quas. p. 361. l. 10. *muſculi temporalis* l. muſculum temporalem. p. 393. l. 2. *ſecauit* l. ſecuit. p. 399. l. 16. *doleroſa* l. doloroſa. p. 419. l. 24. *carbonae* l. carbone. p. 423. l. 24. *haec planta* l. hanc plantam. p. 434. l. vlt. *goborrhoea* l. gonorrhoea. p. 435. l. 14. *ſpuritie* l. ſpurcitie. p. 438. l. 11. *tabuloſum* l. tubuloſum. p. 447. l. 8. *Auctor* l. Auctore. p. 454. l. 14. *aliquod* l. aliquot. l. 26. *ſunt* l. ſint. p. 455. l. 32. *ſaluti* l. ſoluti. p. 457. l. 15. *cummuni* l. communi. p. 462. l. 10. *piſtilla* l. piſtillo. l. 14. *diphytus* l. diphytas. l. 22. *nouum* l. nouam. p. 463. l. 17. *hosce* l. hasce. p. 465. l. 9. *ductus* l. duobus. l. 31. *reliquunt* l. relinquunt. p. 466. l. 5. *nacamentaceo* l. nucamentaceo. p. 467. l. 8. *mutuatus* l. mutuatas. p. 468. l. 33. *própias* l. proprias. p. 469. l. 8. *poſtulare. Ille poſſet,* l. poſtulare ille poſſet. p. 474. l. 3. *longum* l. longus. p. 480. l. penult. *Aegragopilae* l. Aegagropilae. p. 482. l. penult. *calorem* l. colorem. p. 508. l. 9. *artica* l. arctica. l. 20. *inſeruit* l. inſeruiunt. l. 25. *cymices* l. cimices. p. 513. l. vlt. *anquirit* l. inquirit. p. 514. l. penult. *aſſatarum* l. aſſarum. p. 520. l. 1. *euerrat* l. euehat. l. 21. *aſſata* l. aſſa. p. 521. l. penult. *eum profligatum* l. eam profligatam. p. 541. l. 3. *aqua* l. aquae. p. 544. l. 10. *tandum* l. tantum. p. 554. l. 20. *GOVAM* l. GOVAN. p. 555. l. 15. *Sereniſſime* l. ſereniſſimo. p. 571. l. 7. *Brokcleſby* l. Brockleſby. p. 598. l. 8. *grauidatis* l. grauiditatis. p. 609. l. 33. *infuſam* l. infuſa. pag. 613. lin. 7. *methematicis* lege mathematicis.